

[London : T. Creede, 1614]









ARCANA ARCANISSIMA

HOC EST

HIEROGLYPHICA ÆGYPTIO-GRÆCA,

Vulgo necdum cognita, *ad demonstrandam falsorum apud antiquos deorum, dearum, heroum, animantium & institutorum pro sacris receptorum, originem, ex vno Ægyptiorum artificio, quod aureu animi & Corporis medicamentum peregit, deductam; Vnde tot poëtarum allegoriæ, scriptorum narrationes fabulosæ & per totam Encyclopædiam errores sparsi clarissima veritatis luce manifestantur, suæq; tribui singula restituuntur, sex libris exposita.*

Authore

MICHAELE MAIERO COMITE PALATII CÆSAREI, EQUITE EXEMTO, Phil: & Med: Doct: et: Cæsar: Mai: quondam Aulico.







de legato J. A.mi Cocini



SVMMA LIBRORVM SINGVLORVM
huius Tractatus.

LIB. I De Dijs Aegyptijs Hieroglyphicis, Osiride, Iside, Mercurio, Vulcano, Typhone, &c. deq; Regum operibus miris, animanuum singulorum characteribus ac monumentis alijs huc spectantibus.

LIB. 2. De Græcorum allegorijs, inprimis aureis, vt aureo Iasonis vellere, aureis pomis Hesperidum &c. nihil aliud quàm aureum medicamentum denotantibus.

LIB 3. De aurea deorum dearumq; genealogia fictitia, Philosophica seu Chymico-medica.


LIB. 4. De festis ac sacris nec non certaminibus ac ludis, in huius scientiæ gratiam institutis.

LIB. 5. De Herculis Laboribus, idem artificium significantibus.

LIB. 6. De Troiana expeditione & requisitis, sine quibus Troia capi non potuit, Vlyssisq; erroribus, eòdem pertinentibus.







Hexaſtichon Authoris lectorem candidum
á Momo & Mimo diſtinguens.

Eruitur tenebris SATVRNI Filia noſtro,
Deq; novo luci parta, labore, datur;
Lector, & ecce tuas, ô candide, fertur in vlnas,
Si non arbitrio cenſor iniquus eris.
Spernere NIL LEVIVS, quæcunq; vel optima Momis,
Quæ placeant Mimis edere, NIL GRAVIVS.



MICHAELIS MAIERI COMITIS PAL. CÆS. PRÆFATIO AD LECTORES.



I miremini, lectores beneuoli, quid Causæ mihi extiterit, cur hunc tractatū *ARCANISSIMORVM nomine insignitum post tot & tantos de Hieroglyphicis, allegorijs, fabulis, theologicis, philosophicis, poeticis, Chymicis & medicis peruulgatos authores ediderim ac in publicam mundi lucem nunc tandem sparserim, vobisq́ inprimis de tot præiudicatis ad diiudicandum inscripserim, postquam rem ipsam, mea studia ac mentem, vestrumq́ candorem simul respexeritis, mirari absq́ dubio desinetis. Inter Christianos, vt opinor, nullus est adeò rerum omnium imperitus, si modò sensu communi valeat & prima literarum rudimenta teneat, qui non aliquando libros Ethnicorum (quorum ingens numerus ad nostram ætatem peruenit) legerit & non hæc duo in illis obseruârit, Primò deorum, dearum & heroum, vtpote Iovis, Martis, Mercurij, Apollinis, Iunonis, Veneris, Palladis, Herculis, Iasonis & reliquorum nomina; Secundò deorum & heroum singulorum monstrosa, horrenda & incredibilia facta: His enim duobus omnes libri Ethnicorum referti sunt adeò vt ferè in singulis paginis ea inculcando vix quicquam præterea memoria dignum contineant: Exempli gratia, si quis ex Homero & Herodoto apud Græcos, ex Liuio & Virgilio apud Romanos tollat deos & facta deorum, heroumq́ à dijs oriundorum, maxima pars eorum operum obelisco notabitur: Sunt enim facta ita cum personis, & hæ cum illis colligata, vt sublato vno, nec alterum consistere possit,*



aut uno concesso & alterum concedatur: Idem iudicium de cæteris authoribus Ethnicis & eorum scriptis erit. At nos Christiani illam deorum multitudinem iamp ridem abiecimus, derisimus & elusimus utpote veritate Verbi Dei instructi: Quid igitur de tot deorum & heroum factis dicemus? An hæc possibilia & vera esse, cum authores illorum non dij & falsi fuerint? An verò deos refutabimus & reijciemus ac nihilominus eorum facta & progeniem admittemus & recipiemus? An hæc cum illis falsa pronũciabimus & nihil veritatis esse in utriq; apud omnes authores? Mirum est, de hoc non fuisse sollicitum quenquam inter tot scripturientes Christianorum myriadas, cum tamen harum difficultatum declaratio adeò necessaria sit, ut vix ullum scriptum seu polyticum, seu Theosophicum post sacras literas, utilius mundo offerri possit: Verùm in causa est, quod illa non solum antiquissima & ultra omnem scribentium memoriam reposita videantur, sed etiam arcanissima, quò ad veram sui originem semper habita & paucissimis nota extiterint: Antiquissima enim & simul ARCANISSIMA ea iure censeri debent, quæ per tot mundi ætates, amplius quàm ter mille annorum, inde à primis Authoribus ad nostra usq; tempora, velut Thesaurus in arca arcanissimè conclusus, tecta & recondita fuerunt, de quibus cum Ethnici Scriptores nonnulla licet fabulosa fabulosé, hoc est, pro suo capiu, euolverint, mysteria ea appellârunt, ut patet ex inscriptione librorum Eumolpi, Menandri, Melanthij, Iamblici, Evanthis, & aliorum præter fabulas Poëticas nihil continentium, ac earum ne apicem verè explicantium, eâ ratione, quod intellexerint, sub his figmentis res magnas & mysticas latere, plus reverá in recessu continentes, quàm prima fronte promittentes: Ægyptij enim antiqui sapientissimi homines (à quibus, si originem primam repetimus, hæc omnia propagata esse animadvertemus) cum res preciosissimas DEI dono, suoq; labore confecuti essent, quas nollent posteritati omnino ignotas, nec tamen omnibus æquè notas fore, invenerunt modum eas obscurandi, & velut tenebris quibusdam involvendi, ita ut

non

non nisi acutissimo mentis lumine præditi quicquam de iis suspicerent, atq; sic Hieroglypha grammata, allegorias & fabulas excogitârunt, quibus tanquam claustris & carceribus res non divulgandas, quàm diu libuit, continuerunt & occultârunt, vt videntes & audientes non statim intelligerent, sed saltem inquirendi causas haberent. Verùm quantum malorum hinc exortum sit, vix dici aut credi potest: Quemadmodum enim apud Babyloniam in Apollinis templo auream miræ vetustatis arculam quandoq; compertam legimus, ex qua concisa & aperta ea vis pestilentis ac perniciosissimi aeris sese profuderit, vt difflatus non eos modò qui aderant, venenosa ac lethali infectos tabe conficeret, sed pestifera incredibiliq; potestate grassatus longè lateq; etiam Parthos afflaret; Aut veluti temporibus M. Antonii & Veri apud Seleuciam militibus quiddam angustum foramen, quod prius Chaldæorum vates occlusissent post direptum templum Apollinis & simul idolum eius Romam translatum, aperientibus tam funestus ac teterrimus vapor egressus est, vt à Persarum finibus per Syriam, totamq; Græciam eiq; finitimas regiones ad Gallias vsq; furens debacchatus sit, (vt Ammianus Marcellinus & ex eo Cal. Rhod: l. 5. c. 12. recenset,) ita ferè contigit cum Ægyptiorum thesauris sub arcanis suis involucris reconditis, vt aliter, quàm decuit, aperti, totam Græciam, & post eam orbem terrarum superstitionibus & deorum vanissimorum multitudine, stupendisq; factis repleuerint: Hoc malum perdurauit toto Paganismi tempore, donec verus animæ Medicus S A L V A T O R noster adesset, qui longè alio remedio, quàm Hippocrates (incensis sylvis Athenienses ab ea peste immunes reddens) generi humano prospexit & Idola illa gentium omnino pessumdedit & destruxit, nempè arcanissimo salvifico V E R B O ex sinu Æ T E R N I P A T R I S prolato: Inde iampridem gentium dii in Ecclesia Christianáq; orbe, tanquam ficticii et vani, viluerunt et reiecti sunt. Verùm cum nihilominus, vt dictum, quotidiè Ethnicorum tot edita monumenta et libri

 in

in manibus doctorum versentur, in quorum ferè singulis paragraphis deorum & heroum gentilium fit mentio, hoc eruditis causam præbuit, quid deniq; per deos illos & heroes intellectum sit studiosè indagandi. Ideoq; inventi sunt, qui partim ad hystoriam reduxerint, quasi dij illi & heroes priscis seculis reges ac homines fuerint, ac talia & tanta, quæ de illis scribuntur, peregerint, partim ad mores formandos aut naturalem huius mundi rationem applicaverint: Verùm cum hi sæpe numero absurdissima, nec primis illis sapientissimis ad involvendum, nec ipsis ad evolvendum digna, protulerint ac maximam partem eorum figmentis proprijs, absq; rerum consensu productis, depravârint, vt plus dubij, quam certitudinis in legentium animis reliquerint, optârunt plurimi, quid tandem sub illis dijs & heroibus gentium reverà subesset, penitus expressum esse: Nam non rem leviculam, ab hystoria profectam, nec ad mores aut alias res trahendam, primitùs extitisse, quæ totum ferè mundum & tot in eo sapientes non centum saltem annis (quod nimium esset) sed trigesies centum aut amplius, hoc est ter mille involuit, involutos tenuit & obcæcavit, pro certo credibile est: Interim ex ijs, qui chymica tractant, quidam se obtulerunt, qui deos & deas gentiles ex operibus chymicis primam originem produxisse affirment, inter quos Braceschus, Rob: Vallensis, & nonnulli alij fuerunt; Verùm cum illi partim suis rebus singula accommodârint, nec satis omnium rationem & harmoniam methodo convenienti reddiderint, partim ipsa chymia multorum iudicio, vt inanis, futilis & inutilis habeatur, hinc nihil certi à doctis de ijs rebus censeri potuit: Idcirco ego tandem hanc mihi operam sumpsi varijs de causis inductus, ad declarandum nempe & vno tractatu legentium oculis subijciendum, quæ res sub dijs, deabus & heroibus gentium primitus intellecta fuerint, & qua ratione per ætates mundi fabulosa illa huc vsq; propagata sint, tum vt Christianæ doctrinæ veritas per se satis splendescens, his vmbris remotis, magis magisq; illustretur, tum vt Chymia, non Alcumia (illa, tot nebulonum nutrix & deceptionum mater, quæ metalla adulterat & non verè transmutat) sed quæ Medicinæ Aureæ producendæ inservit, Antiquissima & Verissima demonstretur,


ſtretur, & à calumniantium blaſphemijs TANTVM DEI DONVM vindicetur. Nemo, arbitror, aurum, metallum optimum, quod pro rerum precio in mundo, dum fuit mundus & erit, receptum eſt, quodq́; multis hominum morbis curandis adhiberi ſolet, tanquam inutile, nocentiſſimum & deteſtandum quid æſtimabit, proſcribet & accuſabit, propterea, quod non tanta apud ſe ſit eius copia, quantam vellet, nec omnes affectus, morbos & deſyderia hominum tollat, ac multorum malorum, furti, rapinæ, homicidij, adulterij & ferè omnium vitiorum perpetrandorum illecebroſa cauſa ſit, niſi velit omnino extra mundum viuere & cynicus videri. Idem de Medicina iudiciũ eſto: Si igitur ex auro medicina, vel ex hac aurũ proveniat, quis niſi inſaniſſimus, medicinam illam deteſtabitur? Puer eſt in mundo, qui exiſtimat omnia ita ſe habere vbicunq́;, vt in ſua domo, vel vrbe vel regione, in qua educatus eſt: Bis puer eſt, qui ætate valens putat nullos unquam fuiſſe aut eſſe, qui plus in rebus viderint, ſciuerint & intellexerint, quam ipſe capere poteſt. Nemo itaq́; iudicio valens veritatem Chymiæ ideo negabit, quod eam non videat, ſciat aut intelligat. Hoc enim eſſet impudentiſſimi ingenij, omnia Entia ſibi nota recipere, ignota ex rerum vniuerſitate profligare velle: Hoc eſſet, inquam, invidi & canini, non humani moris, mundo detrahere id, cuius ipſe vſum non haberet. Verùm ne quis inde opinetur, me, cum tale ſcriptum proferam, eiuſdem rei ſcientiam profiteri, ſtudiorum meorum rationem percipiat: Medicinam Galenicam huc vſq́; profeſſus non deſtiti & alia, ſi qua eſſent, arcaniſſima in Chymicis indagare: Id enim hominis liberaliter educati proprium eſſe arbitratus ſum: cum vt auis ad volandum, ita ille ad ratiocinandum natus videatur: Auibus autem non vnam partem aëris, ſed vniuerſum patere cernimus; Quid ni & hominibus ad ratiocinandum? Hinc nemo mihi ſuccenſeat, ſi præter communia, ſcire deſyderem etiam arcana & rara, in natura rerum fundamentum habentia, ratione & experientia probata veriſſima: Hoc enim animæ intelligentis proprium eſſe Ariſtoteles in Metaphyſicis demonſtrat. Quia eo affectu incitatus extera quoq́; loca viſitavi, & ſic in hoc quoq́; celeberrimum regnum

 perveni,

perveni, ubi dum studijs meis promovendis acriùs inhæreo, en hic fœtus mihi sub calamo natus, Medicina illius, quem hucusque vestigavi, non pedissequus, at prodromus; Non tamen adeò immaturus, ceu quisquam imaginari posset, ut vivere nequeat, cum diutius, quàm Elephantos utero gestare aiunt, ipsum apud me fouerim, at iam, quod fateor, ursino partu & rudi Minerua in lucem miserim. Non enim adeò de verbis, quam de rebus, nec tam de gloriola inde mihi captanda, quam de commoditate alijs præstandà, fui solicitus. Accipite igitur, Lectores benevoli, hunc meum qualemcunque laborem in hoc genere novum, qui ut vera Theologia non supervacaneus videri poterit, ita toti Encyclopediæ, utpote Polyticæ & vitæ civili, (quam Iurisprudentia tractat,) Medicinæ, Chymiæ, Poesi, hystoriæ, Astronomiæ, Physicæ, cæterisque scientijs & artibus maximè utilis futurus est. Et quamvis videatur paradoxa continere in eo, quod receptas per tot secula quasi infringat, tamen quod cum veritate in omnibus convenit, etiamsi cum maiore mundi parte in opinionibus dissentiat, magis amplectendum reor, quam tot opinionum prætendictis consentaneum; Cumque id in rebus divinis sequamur, quidni etiam in humanis ijs, quæ proximè ad eas (quales hæ sunt) accedere æstimantur? Quod si quis Paganismum, deorumque multitudinem approbare malit, ac Chymiam, quæ vera est etiam ipsis incognita, in hisce haud agnoscere, critico quodam acumine sibi placens, faciat, quod lubet; Interim nec eorum falsitatem, verisimilem, nec huius veritatem, vanam intelligentibus reddet unquam. Vos, qui Promethei luminis scintillam pectore gestatis, qui Palladis sapientiam animo circumfertis, etiamsi nec Vulcani nec Vestæ aram cum illis communem agnoscatis, hoc nostrum studium ab invidorum & mastygum iniurijs pro vestro candore vindicetis, & Veritatem ex profundo (cui immersam Democritus risu & Heraclitus fletu testati sunt) puteo seu specu eruendam & extrahendam pro viribus curetis. Vobis inquam solis, quibus corculis sapere datum est ante alios, hæc (mundi ARCANA ARCANISSIMA) utpote qui de his ex gemina iudicij dexteritate calculum ferre noveritis, aperta & reclusa, cæteris autem plebeijs, indoctis, harum rerum inexper-

tis,

tis, incredulis & neutiquam capacibus, Momis & Mimis, tanquam indignis, quibus nihil, quod sapientibus, sapiat, nil, nisi lucro aut sensui & vulgo gratum videatur, verè arcana & occulta manere optamus: imò vobis solis hæc edita, his abscondita, vobis intellecta, his ne lecta quidem fore speravimus & quantum in nobis erit, annitemur. Vestrum est hanc animi mei effusionem, voluntatis studiiq; promptitudinem non aversari, sed æqui boniq; consulere, quos ego Deo Opt: Max: commendatos haberi velim.



IN SYMBOLVM
Magnif: & Cl: V. Dni: Michaelis Maieri:

Corporis est aliquid speciosi gratia formæ,
Est aliquid priscum posse docere genus.
Est aliquid vigili sapientia parta labore,
Sunt aliquid, magnus quas tenet orbis, opes:
Si tamen, his quantum præstet, spectabimus Author,
Sunt nihil, aut nihilo si minus esse potest.

Chr: Reinhart V. I. D.
R: I: M: S: Ord:
& P. L. C.

MICHAEL MAIERVS DOCTOR, COMES PALATINVS.
IN CHRISTO SPES ILLA DEO MEA,
AMO CRVCIATVM,
Auri ne te eat me malesuadus amor.
Aurea dos placeat reliquis & lumina pascat,
LAVRVS, AMO OMEN SIC, DOS MIHI RECTA PLACET.

ΜΙΧΑΗΛ ΜΑΙΗΡΟΣ

ἀναγραμματιζόμενος:

ΗΛΙΟΣ ΧΑΡΜΑ ΗΜΙ.

ΜΗ ΑΜΑ ΗΡΙ ΧΙΑΟΣ,

ΗΛΙΟΣ ΗΜΙ βροτοῖς μέγα ΧΑΡΜΑ
φάος τε βίοιο.
ΜΗ δ' ΑΜΑ ΗΡΙ ΧΙΑΟΣ κτήνεσιν ἠδὲ βροτοῖς,
Καὶ σὺ παιδεία, μαινοὶ, τὶς ἥλιος ἴσω,
Χάρμα διδοῦσα καλοῖς ϗ μαρίπτεσσι χιλόν.

Aliud eiusd.

ΜΙΧΑΗΛ ΜΑΙΗΡΟΣ,


ΜΗ ΗΜΑΙ ΧΛΙΑΡΟΣ.

ΜΗ ΗΜΑΙ ΧΛΙΑΡΟΣ ζέσεις δεῖ χριστοσεβεῖας
Ἔμμεναι, ϗ ψυχροὺς ἢ χλιαρούς τε φρένας.
Ἐξ αὐτοῦ στόματος δ' ἐγενὲς ῥα θεοῖο ὁ υἱὸς
Συμπαντίας χλιαροὺς ἐξεμέσαι ἐθέλει. Αποκ. γ.

Idem Latinè.

Non sedeo tepidus:
Non sedeo tepidus; Fervere est Christicolarum,
Non frigere animis, nevè tepere suis.
Bis genita æquævi Proles veneranda Parentis
Ore quia est tepidos evomitura suo.

M. M. B. G. T. P.



LIBER PRIMVS.

DE HIEROGLY-PHICIS ÆGYPTIORVM.



Vi *Ægyptiarum* rerũ antiquiſſimarum hyſtoriam,ſeu potiùs geſta fabuloſa complexi ſunt, nihil certi de primarum literarum, aut ſcientiarum ortu memoriæ prodiderunt; quemadmodum nec de primis in orbe regibus,diis creditis, aut hominibus natis; ſed quæcunque de hiſce ſcripſerunt,meris otioſorum figmentis,ac melancholicorum delyrijs aut ſomniantium phantaſmatis ſimilima ſunt. Primos homines aſſerunt nonnulli, in *Aegypto* editos eâ coniecturâ, quód circa *Thebaidem*, cum *Nili* ceſſavit inundatio, calefaciente limum ſole ab aqua relictum, multis in locis ex terræ hiatu multitudo murium oriatur, quaſi ab ipſo orbis primordio omnia animantia ſimiliter,ipſiq; homines geniti ſint: At *Diodorus Siculus*,qui maiorem *Aſiæ, Europæque* partem,nec non *Aegyptum* perluſtrauit, (vt ipſemet fatetur).Qui primi, inquit, fuerint in orbe reges, nequaquam compertum habemus, cum nulli Hyſtorici eos tradant: Impoſſibile quippe eſt,literas æquè ac primos reges, vetuſtas extitiſſe: Si veró quis literas etiam túm fuiſſe contendat, certè rerum ſcriptores multo poſt tempore fuêre: ſed quæ antiquior ætas tulerit, non ſolum Græci dubitant,ſed etiam qui ſe Indigetes primoſque rerum ad

Primi homines vbi.

Primi Reges. Lib.1.c.1.

Primæ literæ & ſcriptores.

vitam vtilium scriptores appellant barbari.

L. 1. c. 2. *Primi Dij.* Idem, mox sequente capite, à primis hominibus Solem & Lunam pro Dijs æternis cultos, & illum Osiridem, hanc veró *Isidem* certâ nominis ratione appellatos esse, narrat. Verum quis vnicus & verus Deus Deorum sit, qui quando & vbi primi homines ac in orbe reges extiterint, ex sacris Biblijs nos, vt indubitatum accepimus, ita *Aegyptiorum* in eo, vt & in asserenda suorum regum antiquitate & numerosa serie per plus quam viginti millia annorum continuatâ vanitatem agnoscimus; Qui cum *Isidem* & *Osiridem* aliás ex *Saturno* genitos dicant, mirum est, cur illos pro primis diis æternis & ingenitis, seu cælestibus luminibus habeant: Scriptores autem Ethnicos in hisce excusare possumus, si res aliter, vt sint, tradiderint, tum quod ob antiquitatem, quales sint, sciri non potuerint, cum sacra *Mosis* hystoria ipsis incognita fuerit, tum quòd ob Deorum tum receptorum religionem aliter sentire non licuerit. Nos vt fundamentum *Aegyptiæ* doctrinæ

Propositio, & summa totius tractatus. statuamus, ex innumeris indiciis exploratum habemus, in *Aegypto* scientiam quandam arcanissima naturæ opera docentem, siue *MEDICINAM AVREAM*, non ex auro, sed auro millies pretiosiorem, in vsu extitisse, præsertim apud Philosophos, Sacerdotes, & Reges antiquissimos; quæ vt posteris sapientioribus tradi posset, vulgo autem ignota maneret, pro scriptione occultas ab animalibus desumptas notas, à Græcis postea *Hieroglyphicas* dictas; pro declaratione verò rerum Allegorias à personis fictis earumque rebus gestis translatas passim vsurpârunt: Hinc succedentibus temporibus, superstitione hominum ignarorũ præoccupante mentes, personæ illæ pro Diis aut regibus habitæ, animalia pro sacris & inviolabilibus culta sunt; iisque singulis monumenta quasi æterna constituta

Partitio primi libri. reperiuntur: De quibus vt ordine quodam disquiramus, 1. de Diis primó, 2. mox de Regibus *Aegyptijs*, 3. tertió de Animalibus, eorumque sacratis characteribus, ac denique 4. de monumentis, indiciis ac vestigiis, quæ hanc artem in *Ae-*

gypto

gypto vsitatissimam & quasi vernaculam fuisse, conuincent, hoc libro primo agemus. Antiquissimi & primi huius artis seu Medicinæ aureæ inuentores considerantes subiectum, formam, efficientem, & effectus eius communitatem cum mundi præcipuis partibus habere, nempe cum Sole, Luna, Igne, aere, aqua, & terra, cæterisque stellis errantibus, ab iis eadem denominârunt: In Subiecto enim artis duo considerantur, quorum vnum masculi, alterum fæmellæ rationem obtinet; ideoque illud *Osiridem* seu solem, hoc *Isidem* seu Lunam dixerunt: *Mercurius*, qui Soli & Lunæ coniungitur, vtrique communis est, cum non fiat coniunctio Solis & Lunæ in maiori mundo, nisi & *Mercurius* præsentaneus adsit, quippe qui Soli semper satelles accurrit: Atque hi duo vt sunt coniuges, sic & frater et soror habentur, quibus et tertius quidam rufus & ardens spiritus adiungitur, *Typhon* dictus, qui *Osiridem* fratrem vterinum in tenuissimas partes & membra dissecat: Hæ igitur quatuor apud *Aegyptios* personæ præcipuæ sunt, quarũ tres, *Osiris, Isis* et *Mercurius* pro diis, *Typhon* verò pro maligno dæmone, accipiuntur. His adnumerant *Vulcanum*, seu ignem externum, *Palladem* seu sapientiam operandi, Oceanum generatorem deorum, seu matrem *Thetim*, aut pro vtrisque *Nilum*, hoc est aquam, et terram, matrem omnium, vt *Orpheus* ait, diuitias largientem; deinde *Saturnum, Iouem, Venerem, Apollinem, Plutonem*, aliosque Deos: Quæ nomina etsi sequentibus temporibus communiter & aliàs semper à vulgo pro Deorum numinibus aut planetarum, seu stellarum cœlestium corporibus accepta sint, à *Chymiæ* tamen restauratoribus, et propagatoribus primiùs in artis occultationẽ introducta sunt; quod ex omnibus circumstantiis singulorum tàm apud *Græcos*, quàm *Aegyptios*, scriptores manifestè conspicitur; imprimis apud *Diodorum*, cuius sententias de diis *Aegyptijs* percurremus, ac conuenientiam eorum cum *Chymicis* delibabimus. Præter dictos Deos, inquit, quos cœlestes & æternos vocant, ferunt insuper alios ex his genitos, qui fuerint

1. De Dijs Aegyptiorum hieroglyphicis.

Lib. 1. c. 1.

rint mortales, ſapientiâ verò & in humanum genus beneficiis immortalitate potitos: horum quoſdam in *Aegypto* regnâſſe, partim q; eo fuiſſe nomine, quo & Dii cœleſtes, partim proprio vocitatos, *Solem, Saturnum, Rheam, Iouem* quoque à nonnullis *Ammona* appellatum; *Iunonem* præterea, *Vulcanum, Veſtam*, vltim ó *Mercurium*. Primum quidem regem fuiſſe apud *Aegyptios* Solem, eo nomine quo & cœleſte aſtrum. Quidam Sacerdotes affirmant, primum regnaſſe *Vulcanum*, inventorem ignis, eoque beneficio ducem ab *Aegyptijs* conſtitutum: Et paulò poſt: Deinceps *Saturnum*, qui ſororem *Rheam* ceperit vxorem, aiunt extitiſſe, genuiſſ. que ſecundum quoſdam, *Oſiridem* et *Iſidem*, plures, genuiſſe *Iouem* ac *Iunonem* tradunt, qui propter virtutem vniuerſo orbi imperârint: Hos quinque genuiſſe deos, prout apud *Aegyptios* dies habentur intercalares, *Oſyridem, Iſidem, Typhona, Apollinem* & *Venerem*; Et *Oſiridem* interpretatum *Dionyſium, Iſidem* vero *Cererem*: Hac *Oſiris* in vxorem ſumptâ, regnoque ſuſcepto, multa contulit ad vſum vitæ communis. Hæc ille: Deinde tradit *Iſidem* triticum et hordeum inveniſſe, eiuſque ſationem docuiſſe homines; leges quoque dediſſe, templum erexiſſe *Ioui* et *Iunoni* parentibus inſigne tum magnitudine, tum ornatu: Duo inſuper Templa aurea ſtatuiſſe, vnum maius *Ioui* cœleſti, alterum minus *Ioui* regi eorum patri, quem quidam *Ammonem* vocant: Fecit etiam aliis, inquit ibidem *Diodorus*, quos retulimus, aurea templa, honoribus cuilibet et ſacerdotibus inſtitutis: Artium quoque aut rerum ad vtilitatem vitæ ſpectantium repertores ab *Oſiride* et *Iſide* in honore habiti fuêre: Inuenti inſuper æris aurique in *Thebaida* fabri, armaque facta, quibus et feras occiderent et excolerentur terræ. Statuæ præterea et Deûm templa aurea, ab his cum omni ornatu fabricata ſunt. Et mox: *Mercurium* quoque maximè omnium ab eo (*Oſiride*) honoribus affectum, vt repertorem rerũ plurimarum, quibus vitæ hominum conſuleretur, volunt: Hunc enim primum et verba in ordinem redegiſſe, et multis

Vulcani inuenta.

Iſidis inuenta.

Mercurii inuenta.

tis indidisse rebus nomina; fuisse quoque literarum inuentorem aiunt, instituisseq; quo honore, quibusve sacris colerentur dii: Inprimis obseruator astrorum cursus fuit, et vocum harmonias adinuenit: Palæstræ, numerorumque, et ad corpora curanda medicinæ artis, lyræ insuper ex neruis trium chordarũ instar trium anni temporum, repertorem tradunt. Tres enim instituit voces, acutam, grauem et mediam; acutam ab æstate, grauem ab hyeme, mediam à vere sumens: Hic et *Græcos* docuit verborum interpretationem, vnde et ipsum Hermen, hoc est Interpretem appellârunt. Denique et qui tempore *Osiridis* fuêre sacrarum literarum scriptores, hæc eadem ab illo accepta referunt. *Osiridem* etiam plurimum suo consilio vsum: Oleæ quoque plantam ab eo, non à *Minerua*, quemadmodum *Græci* dicunt, repertam. Ex quibus constat, Vulcano & Mercurio apud Ægyptios magnos honores haberi ob inventionem tot rerum vitæ humanæ vtilium: At quis Vulcanus? An non ignis magister operum? quis Mercurius? An non omne id, de quo, ex quo & cum quo operantur Chymici, licet non sit vulgare quid? Qualem ignem verò intelligunt Ægyptij? An illum, de quo Diodorus loquitur his verbis; cum enim arbor ictu fulminis in montibus conflagrâsset, ligna propinqua hyberno tempore flammâ sunt compræhensa, qua ex re Vulcanum calore lætatum, deficiente igne addidisse illi nouam materiam, & eo modo continuato igne, alios homines conuocâsse ad eius aspectum, tanquam a se reperti: Id nullo modo verisimile est: Quia ignis ille ante diluvium notissimus fuit quoq; primis hominibus, quemadmodũ & segetũ satio Abeli & Caino, fabriliũ artiũ invẽtio Tubalcain, vini Nohæ: Vnde sequitur, alterius ignis inventionẽ tribui Vulcano, nempe philosophici, seu quo modo ignis Mercurio non vulgari adhibendus sit; Hinc dicitur primus apud Ægyptios regnasse Vulcanus; Sic Mercurius omniũ artium & literarum hieroglyphicarum apud eosdem inuentor est; Propter ipsum enim artes & li-

Nota.

Gen. c. 4. v. 2. 22. c. 9. v. 20.

literæ Ægyptiæ introductæ sunt: Ille docuit Rhetoricam, astronomiam, geometriam, arithmeticam & musicam: Nihil enim absq; numero, pondere & mensura fit in arte, vt nec naturâ: Sic Raijm: Lullius theor: Testam: Cap. 50. Natura, inquit, habet in se philosophiam & scientiam septem artium liberalium, quibus operatur: Quoniam ipsa in se portat omnem geometricam formam & omnem rem terminat virtute arithmeticæ suæ per æqualitatem numeri certi & per noticiam rhetoricalem intellectum tuum ducit de potentia in actionem. Hæc ille: Ipse Mercurius est interpres omnium, Hermes Græcis dictus, cuius consilio Osiris plurimùm vtitur; Quia sine Mercurio nihil fit: Ipsi olea sacra, vtpote omnium oleorum præstantissimo, qui nimis mollia indurare, dura emollire potest, vno eôdemq; igne: Reliqua ad Mercurium & Vulcanum spectantia, in sequentibus exponentur. Verum cur Isis omnia ex auro, & quidem tot integra templa, parenti suo & reliquis dijs statuit? Cum aliàs omni æuo inauditum sit vel vnicum ex auro templum statutum esse, præsertim hoc recentiori, vbi auri ex fodinis & fluuijs eruti millies maior copia est, quam antiquitùs, cum primum aurum repertum dicatur: Aut cur æris auriq; fabros Isis in honore habuit? In promptu causa est, Aurea quippe Dea est: Eadem & soror & coniunx Osiridis dicitur, quemadmodum Iuno Iouis & Rhea Saturni, qui progenitores eorum narrantur: Quæ vnica nota Chymiæ evidentissima & propria est; Cuius subiectum constat agente masculo & patiente fæminâ, tanquam fratre & sorore, nec non coniugibus, vt passim demonstrabitur. Osiris igitur & Isis, veluti & Vulcanus ac Mercurius, præcipui dij intellectuales chymici sunt, non cælestes, sed subterranei, & ab arte nati: Cumq; Isis Ceres sit & Osiris Bacchus seu Dionysus apud Græcos, reliquas eorum dotes & notas infrà trademus. Osiris verò, vt Diodorus ibidem narrat, Cum vir bonus gloriæq; cupidus esset, ingentem exercitum coëgit, vt peragraret orbem, doceretq; mortales plan-

tare

tare vites ac tritici & hordei segetem, pecorumq; fructum, existimans, si homines ab agresti vita ad cultiorem mitioremq; traduceret; honores se (quod & consequutus est) potiturum immortales. Non enim prisci illi tantum, sed posteri etiam propter inventas ab eo segetes beneficij memores, pro vno ex maximis dijs eum habuêre. Tradunt autem Osiridem Ægypti regno constituto, rerumq; omnium curâ Isidi vxori permissâ, tradidisse ei Mercurium, cuius consilio, quoniam prudentiâ videretur excellere inter amicos, vteretur: Ducem vero exercitus, omniumq; quæ suæ ditionis erant, reliquisse Herculem, tũ quia genere proximus, tum quia fortitudine roboreq; corporis erat admirabili; Regniq; gubernationem ita partitus est, Phæniciæ & maritimæ oræ Busiridem, Æthiopiæ Libyæq; proximis regionibus Antæum præfecit: Ipse cum omnibus copijs ex Ægypto in expeditionem profectus est, secum fratrem ducens, quem Græci Apollinem dicunt & lauri repertorem: Osiridem duo filij, virtute dispares, *Anubis* & *Macedon* prosecuti sunt; vterq; armis vsus est insignibus, aliquo animali haud ab eorum natura dissimili: Nam Anubis canem, Macedon lupum insigne armorum tulit: Quâ ex re hæc animalia *Ægyptij* summo in honore habent, et horum animantium formis apud *Ægyptios* coluntur. Duxit insuper secum Pana, cui *Ægyptij* in *Thebaida*, ciuitatem sui nominis ædificârunt, Chemnim, id est, Panis vrbem vocitatam: secuti sunt eum quoq; in agris colendis experti, qui vineas plantare nosset, Maron; qui triticum sereret, Triptolemus: Omnibus deinde compositis, oratis dijs, Osiridem comam, quoad in Aegyptum rediret, nutrisse aiunt, ac versus *Æthiopiam* profectum: Cum esset in *Æthiopia*, ferunt oblatos ei Satyros, comas vmbilico tenus habentes: Dicitur Osiris fuisse cupidior risus, delectariq; solitus musicis et choreis: Quapropter illum musicorum multitudo sequebatur: Inter eos nouem fuisse virgines adolescentulas, tum canere solitas, tum in aliis eruditas, quas deinceps Græci appellârunt Musas

Musas: Has Apollinem docuisse dicunt, qua ex re Musicus est nominatus: Hoc tempore Nilum ferunt circa Sirii Canis ortum (tunc enim maximé crescere consueuit) maiorem Aegypti partem, et eam maximè, cui Prometheus imperabat, inundasse: Absumptis enim fermè omnibus eius regionis incolis, Prometheum dolore motum se interficere voluisse; Fluvium verò propter cursus velocitatem, profunditatemq; aquarum Aquilam tunc appellatum: *Herculem* tum consilii magnitudine tum virtute volunt è vestigio compressisse aquarum impetum et ad priorem cursum conuertisse: At vero Osiris cum esset in montibus *Æthiopiæ*, vtrasq; ripas Nili aggere cinxit, ne modum excederet inundatio, sed veluti per portas quasdam exiens lenis esset atq; agris proficua. Deinde per Arabiam iuxta rubrum mare iter faciens, ad extremos Indos peruenit, vbi plures constituit vrbes, ex quibus vnam Nysam nominauit, in eius memoriam, in qua erat nutritus, vbi hederam plantavit, quæ sola eô loci alitur, et in *Nysa Aegypti.* Multa quoque alia reliquit sui apud Indos monumenta: Columnas insuper multis in locis statuit suæ expeditionis testes: Peragrauit autem et cæteras *Asiæ* nationes; Per *Hellespontum* in *Europam* transiens, *Lycurgum* in *Thracia* barbarorum regem sibi obsistentem perêmit: Illi prouinciæ *Maronem* senem præfecit; *Macedonem* filium *Macedoniæ* regem statuit, *Triptolemum Atticis* agris colendis præfecit: Denique cum orbem fermè circuisset, in *Aegyptum* rediit, tulitque dona secum à diuersis gentibus data. Deinde cum ad Deos ex hominibus esset translatus et honores illi et sacra, vt maximo Deorum, ab *Iside* et *Mercurio* instituta sunt, multaque vi mysticâ ad cultum addita, quibus eius Dei potentiam ampliorem redderent. Tantum breuiter de *Osiridis* in Indiam expeditione ex *Diodoro* attulisse sufficiat. *Hieroglyphicas* seu allegoricas hasce omnes narrationes, et veritati, si aliter, quàm sic, accipiantur, aduersissimas esse, tum ex singulis ad literam absurdis et falsis, tum ex plantatione vini, tritici et hordei segete, pecorum-

Mystica.

Nota.

que

que fructu, ab eodem inuentis, quæ in sacris literis, vt dictum, patribus ante diluuium, et in orbe primis verè attribuuntur, constat. Si quis verò artis, de qua agitur, qualẽcunq; cognitionem habeat, ille non solum negatiuè sciet, quibus rebus hactenus dicta non ascribenda sint, sed et affirmatiuè, quibus vnicé conueniant; nempe *Osiridem*, et *Isidem* esse in vno subiecto agens et patiens; et per expeditionem *Osiridis*, solutionem operis arcanissimam denotari, vbi primum ad Aethiopes nigros, póst ad mare rubrum deuenitur; qui colores vt primo & vltimó interueniant necesse est; in principio niger, qui per intermedios colores in albedinem, ac post in rubedinem transit: *Hæc enim creata sunt*, inquit Flamellus, *in hac terra nostra Aethiopia*; Et Rasis, *Dealba Coruum tuum, si vis dealbare ipsum cum Nilo Aegypti albescit primò, tunc cum Persia in secretis, & cũ hoc, & hoc apparebit rubedo, vt papauer in Eremo*: Si *Nilus* non intra metas retineatur, sed in agros nimis redundet, maxima inde noxa eueniret; Oportet itaq; *Prometheum* ratione præviâ, et *Herculem* labore comite, id est, artificem, ingenio manuq; id præcauere: Adsunt nouem Musæ, et frater *Apollo*, hoc est, 9. Aquilæ, et vna pars terræ nigræ, vt alij exponunt. Adsunt Satyri salientes, et chori mulierũ, choreas ducentes, nempe Nymphæ et Lymphæ, ascendentes et descendentes: semen in suum agrũ iactũ est, Cui *Triptolemus* præest, sic et vitis plantata vuas ferens copiosissimas; *Mercurius* consultor *Isidis* et *Hercules* gubernator *Aegypti* datus: *Herculem* esse artificem et *Mercurium* primũ, medium et vltimum operis, inferiús latius patebit. Si quis igitur omnia et singula huius expeditionis acta consideret, videbit nihil absq; singulari causa ibidem positum, sed omni solutioni dictæ ad vnguẽ quadrare; Sacra *Osiridi* á *Mercurio* & *Iside* instituta esse dicuntur, et multa alia vi mysticâ ad cultum eius addita: Vbi per vim mysticam satis declaratur, quod alius sensus, præterquam hystoricus et literalis adsit, quem nos in plærisque rimati intelligentibus satis insinuamus. Quæ deinde

inde solutionem hanc, seu mortem *Osiridis*, secuta sunt, et quid circa eius mortem contigerit, sic *Diodorus* contexit: Verùm, inquit, ex vetustis Sacerdotũ arcanis, qui *Osiridis* tempore fuerant, postea cõpertum est, *Osiridem Aegypto* iustè regnantẽ á *Typhone* fratre impio atque nefario interemptum, quem ille in sex ac viginti partes dissectum, cuilibet eorum, qui secum tanti sceleris participes fuerant, partem dedit, veluti eius facinoris conscijs, & simul vt ipsos defensores, custodesq; haberet regni fidos. *Isis* fratris eiusdẽq; viri mortem auxilio filij (ORVS ei nomen erat) vlta, *Typhone*, & qui cædis conscij fuerant, interemptis, *Ægypti* regnum cepit: Cõmissa est pugna iuxta fluvium in parte *Arabiæ*, quam *Antæi* appellant vicum: Quod nomen ex *Antæi* morte ab *Hercule* occisi, *Osiridis* tempore sortitus est locus. *Osiridis* partes omnes dispersas cum inuenisset *Isis*, præter pudenda, cupiens incertum esse viri sepulchrũ, ab *Aegyptijs* autem & singulis hominibus honori haberi, ex aromatibus ac cera singulas eas partes in formam hominis viro similem composuit. Convocatis deinceps *Aegypti* sacerdotibus singulis dedit *Osiridis* imaginem, asserens eis soli corpus illius creditum atque adiurans, vt nunquã apud se esse sepulturam *Osiridis*, vlli panderent, vtque illum in abditis seruatum, vt Deum colerent, veluti *Osiridem* dum viueret, & post obitum simili ceremoniâ obseruarent. Vt autem maiori beneficio Sacerdotes ad hæc sibi promptiores faceret, tertiam eis agrorum partem ad Deorum cultum & sacra concessit: Horum meritorum *Osiridis* memores, tùm beneficio *Isidis* allecti, eius mandata perfecêre; quâ ex re etiam nunc sacerdos quilibet testatur, penes se *Osiridem* sepultum esse: Animantia quoq; à principio ei dicata in honore habent; & cum moriuntur, in eorum funere renouant *Osiridis* luctum: Tauros autem sacros, hunc quidem Apim, alterum *Memphim* nominatos, sacrificant *Osiridi*, quos etiam veluti deos *Aegyptij* omnes colunt: Iurasse autem *Isis* dicitur, viro mortuo, nulli se amplius nupturam: Iusto deinceps regnauit imperio, bene-

beneficio in ſubditos, reliquos omnes excedens: Poſt obitum verò immortalium honores conſecuta eſt, ſepultaq; apud *Memphim* in VVLCANI luco, vbi vſque ad hoc tempus ſepulchrum eius monſtratur: Nonnulli horum Deorum corpora non illic ſita arbitrantur, ſed in *Æthiopiæ*, *Aegyptique* montibus, iuxta inſulam, quæ *Nili* Portæ ab agro Dijs ſacro appelletur. Veſtigia huius oſtendunt tùm Sepulchrum *Oſiridi* conſtructum, atque à Sacerdotibus *Aegyptijs* in honore habitum, tum vrnæ trecentæ ſexaginta, quas quotidie lacte replent Sacerdotes ad id inſtituti, luctumque renouant, Deos nomine vocantes. Hac de cauſa Inſula à tranſeuntibus aditu prohibetur. Apud *Thebaidis* vero (quæ Ciuitas antiquiſſima eſt omnium) incolas, maximum habetur iuſiurandum per *Oſiridem* in nubibus exiſtentem, omnibus *Oſiridis* partibus, vt refert, præter pudenda, ibi ſepultis: Ea quippe in fluvium à *Typhone*, cum nullus ex cædis conſcijs illa penes ſe eſſe vellet, erant proiecta: Ab *Iſide* poſtea non minori honore, quàm reliquæ partes, fuerunt Sepulchro condita. Ab *Oſiride* vero atque *Iſide* vſque ad *Alexandrum Macedonem*, qui in *Aegypto* ſui nominis vrbem condidit, annorum dicunt amplius decem millia, vt verò quidam aſſerunt, paulò minus tria ac viginti millia extitiſſe: Hæc ille. Quæ omnia non eſſe Hyſtoricâ, ſed Allegoricâ fide ſcripta quilibet Chriſtianæ profeſſionis vel illiteratiſſimus agnoſceret, dummodo annos Mundi creationis ab initio ad hoc vſq; tempus computare ſciat, qui 5575. nondum excedunt. Vixit itaque *Oſiris* viginti millibus annis ferè ante conditum à Deo mundum, primumq; hominum parentem *Adamum*, iuxta *Aegyptiorum* Allegorias ſeu traditionem: Cumque *Hercules Oſiridi* coævus tradatur, qui belli *Troiani* tempora, vt ſtatuuntur, paulò anteceſſit, *Troia* quoque totidem annorum millibus ante mundi creationem deleta eſt: verùm ſi hæc ex Hyſtorijs refellere ad vnguem conaremur, innumera a- *Nota.*

 lia

lia indicia huc proferenda essent, quæ iam silentio præterimus: Ad Allegorica & Hieroglyphica igitur saltem breuissimè exponenda respiciemus: *Osiris*, vt dictum, pro materia artis, ex qua Medicina aurea componatur, absque omni circuitione habetur; Hæc suo sepulchro, hoc est, vasi, imposita à *Typhone* fratre, in multas partes discerpitur; quas post operis absolutionem *Isis* colligit & vnit, sulfure combustibili segregato; Atque sic collectio partium *Osiridis* ab *Iside* instituta, est eiusdem operis reiteratio, quæ eo usque contingit, donec *Typhonis* virtus extincta sit, & in eius locum Anima *Osiridis* sat ardens successerit adeò, vt matrem *Isidem*, seu coniugem, seu sororem amantissimam faciliter ad se conuertat; quæ est vltima perfectio: *Typhon* quid sit iam ante diximus, nempe spiritus igneus & furiosus; qui mox *Osiridem* nostrum penetret, & in suum colorem rapiat, instar veneni, quod non in primâ, sed vltima coctione fieri debet: Ignis enim in vase accensus non à *Vulcano* nimis acuatur in principio, aliás, vt ignis Inferni, totum corpus *Osiridis* comburet, ne ille vnquam vitæ restitui á matre possit: Vbi notandum, *Isidem* et *Osiridem* esse vnum idemque subiectum, in quo sit mas *Osiris* & fœmina *Isis*, nec non *Osiris* filius & *Isis* mater; vel *Osiris* frater & *Isis* soror; & sic instar *Hermaphrodyti* seu *Androgyni* se habet, dum nunc pro *Osiride*, nunc pro *Iside*, quia vtrumque sexum referat, vsurpatur & accipitur; pro diverso relationis respectu, mariti & vxoris, fratris & sororis, matris & filij: Cumq; hoc subiectum vnicum sit in rerum natura, & Chymiæ proprium, artificibus notũ, ijsdem *Osiris* & *Isis* cum tota sua familia, et rerum gestarum serie innotescent: Sacerdotes verò *Aegyptij* quod *Osiridis* imaginem habeant, sepulchrum soli cognoscant, apudque se esse asserant, nec vlli tamen patefaciant, hoc nihil aliud ostendit, quam ipsos fateri, per Allegoriam tamen, quod artificij Chymici gnari sint ac possessores, quod tamen nulli reuelare, nisi dignissimo, velint: Tertiam

Osiris quid. *Isis quid.* *Typhon quid.* *Nota.*

Tertiam agrorum partem in sacerdotes diuisam, Tauros & sacrificia in memoriam Osiridis instituta & reliqua omnia, Sacerdotum scientiam & ex arte efficaciam haud dubié cum cæteris inferre possunt: Absurdissimum enim est & à veritate hystorica alienissimum, Osiridis regis mortui Sepulchrum abscondi debere, nec vlli monstrari, & vxorem eius totum regnum in sua habere manu, vt tot sacrificia æternis temporibus obseruanda, tantam agrorum in sacerdotes diuisionem, instituere potuerit, nisi res esset mystica & alterius originis: Et quod Isis nulli viro pòst nubat; & quibus ceremonijs Apis eligatur, colatur, suffocetur & sepeliatur, vt póst audiemus, quodq; in Vulcani luco sepulta Isis dicatur, hæc singula Veritatem ob oculos cuilibet intelligenti ponunt. Pudendum Osiridis membrum est fæx illa nigra & inutilis, quâ primò quidem incrementum sumpsit, at post solutionem separanda à corpore reliquo mundo & puro. De tempore verò ab Osiride ad *Alexandrum*, vt ipsi *Ægyptij* non inter se conueniunt, ita nec cum veritate: Cum enim Osiris sit, vt dictum, persona ficta, tantum retró spacium temporis sumpserunt, cuius memoria inuestigari non posset, ne res ficta appareret, aliás si saltem quingentos aut mille annos statuissent, forsitan ab hystoricis eius temporis conuinci possent, quod fabulosum quid & non verum esset: A condito enim mundo vsq; ad *Alexandrum* 3528. saltem numerantur anni, à diluuio veró ad eundem, 1972. Nec enim *Ægyptij* suis allegorijs æternitatem mundi, vt multi partim inscitiâ, partim consultó fecerunt, introducere poterunt, quemadmodum et Chinenses persuasi sunt, dum vtrique se annales decem millium annorum continuatâ seriẹ habere, falsissimé iactant. De Iside, præter antea memorata inuenta, asserunt *Ægyptij*, teste Diodoro, eam plurium inventricem ad morbos medicamentorum, & medicinæ arti admodum contulisse: Et mox: Ab ea quoq; medelam ad assequendam immortalitatem aiunt esse inuentam: Itaq; Orum filium à Titanis insidijs

interfectum, ac per aquam repertum non solum in lucem restituit, sed & fecit immortalem: Videtur autem vltimus iste deorum regnasse, postquam pater Osiris fuit ad deos translatus: Orum dicunt Apollinem interpretari, ac medendi diuinandiq; artem à matre Iside edoctum, multum hominibus cum oraculis, tum medelis attulisse vtilitatis: Hæc Diodorus: Vbi obseruandum, Osiridem prius fratrem dictum esse Apollinis & Isidis, cum omnes hi à Ioue & Iunone nati dicantur, nunc Apollinem Isidis vocari filium & Osiridis; Idq; apud veram Chymiam solummodo contingit: Nam agens & patiens cum sit homogeneum quid & vnius generis, idem potest esse pater, mater, filius, filia, auus, auia, nepos, neptis, frater, soror, maritus & vxor & eiusmodi similia, quod admirabile est & in hac arte propriũ. Isidem medelas hominibus præstare credibile est; quantum enim possit ea res, que Isis dicitur, in medicinâ orbi iampridem innotuit: Filium eius Orum seu Apollinem vltimum esse deorum Ægyptiacorum, verissimum constat: Ipse enim ille est, ob quem mater & pater, auus et proaui tot labores susceperint, in Indias aliasq; mundi partes migrârint, nec non tot stupenda opera perfecerint: Hic est Philosophorum, Sacerdotum, et Regum *Ægyptiorum* thesaurus, amor et cura, propter quem parentes eius honorant, in delitijs habent et solenniter celebrant: Hic est fœtus ille philosophicus, ex Iside et Osiride, aut si mavis, *Apollo* ex Ioue et Latona natus, de cuius ortu, vt et de sororis eius Lunæ aut Cynthiæ, inferiùs dicemus: De hoc gratulabundi philosophi multis in locis meminerunt, ipsum nempe esse ex Seruo rubeo seu Gabritio patre et Beia matre natum, longeq; nobiliorem suis parentibus fore; Cumq; matre iterum filiũ coniuglo copulandum, hoc est, coctum cum crudo coniungendum atq; iterum coquendũ, donec vnum quid homogeneum inseparabile ex duobus fiat, nempe spiritus perfectus: *Isaac l.2.c.26. De quo*, inquit, *Morienus loquitur: Coniunctionem facito ac animam ei inde, ita vt in æternum ab anima non separetur: Facito nuptias,*

Orus, Medicina aurea.
Nota.

nuptias, inquit Geber, ac sponsam cum sponso in lecto colloca, ac lectum eius rore cælesti irrorabis, atq; sponsa filium concipiet, is Rex erit in omnes tribus eius, omnesq; hostes eius pacem cum eo inibunt, ac rubro diademate coronabitur, Rexq; æternitatis permanebit, ac nunquam dominationem amittet. De eodem Hermes, cap. 3. *Venite*, inquit, *filij sapientum ex nunc gaudebimus & delectemur simul, quia mors consumpta est, & filius noster iam regnat ac rubeo ornamento & carne indutus est: Iam filius noster genitus Rex sumit tincturam ab igne:* Et in Metaphora Belini; *Nuncio ergo vobis, quod nisi me interfeceritis, intellectus vester nõ erit perfectus, & in sorore mea Luna crescit gradus sapientiæ vestræ, & non cum alio ex seruis meis, & si sciretis secretum meũ, ego sum frumentũ seminatum in terram puram, quod nascens crescit & multiplicatur, & adfert fructum seminanti:* Ibid: *Ego enim sum excellens, qui exalto, deprimo cuncta, & nullus seruorum meorum potest super me, nisi vnus, cui datum est, quod contrarius est mihi, Et ipse destruit me, non tamen destruit naturam meam; et ipse est Saturnus, qui separat omnia mea membra: Postea vado ad matrem meam, quæ congregat omnia membra mea diuisa & separata, Ego sum illuminans omnia mea, & facio lumen apparere patenter in itinere de patre meo Saturno & etiam de matre mea, quæ mihi inimicatur:* Quid his, et ijs similibus, quæ apud nostrates authores extant, accommodatius ad Orum Isidis filium aut ipsum Osiridem, cuius membra ab Iside congregantur, dici potest? Quod quoq; filius cum matre concumbat, innumeris locis apud philosophos insinuatur, præsertim in Secreto maximo; vbi dicitur, *Verum confiteor, peccator sum, quod cum matre mea, quæ me prius in suo ventre portauerat, consueui multiplicare filios meos & cum ipsa consueui delectari & amicabiliter amplexari, vt ex ea & per eam possim mihi similes augmentare & multiplicare, iuxta illud, Pater eius Sol, mater eius Luna:* Et dicit Arnoldus; *Matrem puram accipias, & eam in lecto ponas cum filijs, & ibi delectetur, & quando incipiet aliquantulum delectari, in aqua frigida extingue*, Sic Lullius in Codicill: Cap. 4. *Oportet*, inquit, *matrem,*

trem, quæ prius generat filium, in humari in ventre filij et ab eo generari: Quòd verò eadem sit mater et soror, quod naturæ quid adversum videtur, ex hactenus dictis, et ex disputatione *Solis* et *Mercurij* patet; vbi *Mercurius*, *Ego*, inquit, *spiritualis sum, & in me latet sapientia abscondita, & qui me iunxerit filio vel fratri meo, viuet & gaudebit, habebitque sempiternum Thesaurum: adeò vt si pasceret quotidie mille millia hominum, non indigeret*: sed his missis & lectori ipsi ad indagandum authorum sententias et cum hisce *Aegyptijs* antiquissimis conferendum relictis, *Diodori* narrationes de *Aegyptiorum* arcanis prosequamur; qui dicto loco, *Aegypty* Sacerdotes, inquit, à Solis regno, vsque ad *Alexandri* tempus, quo in *Asiam* transcendit, annos computant, ferè mille et viginti: Fabulantur quoq; priscos illos Deos regnasse annis amplius mille et ducentis, posteriores verò non minus trecentis; quod alij de Lunæ et non Solis motu accipiunt, menses pro annis computantes: Lege quoque *Aegyptij* præter communem cæterorum hominum morem sanxêre, fas esse sororem à fratre vxorem capi, exemplo *Isidis* moti, quæ fratri *Osiridi* nupsisset. *Eusebius*, qui *Aegypti* reges quoq; commemorat, Oceanum omnium primum ponit in annum Mundi, 1802. quo tempore *Nimrod* primus Rex in orbe regnauit: Et post Oceanum, *Osiridem* et *Isidem*; deinde Dynastiam *Aegyptiorum* quâ pastores regnârunt Annis 103. Póst, *Dynastiam* Polytanorum per annos 348. quorum vltimus est Miris seu *Pharao Menophis* dictus, circiter annum Mundi, 2550. Hinc *Dynastiam Larthum* per annos, 194. Posthanc Diapolytanorum per annos 177. *Herodotus* ab anno mundi, 3060. *Aegyptios* reges enumerat, inter quos Anno Mundi, 3228. *Sethon Vulcani* Sacerdos regnauit; de quo mirum videri debeat, quod et Rex et Sacerdos fuerit; nec verò *Iouis*, aut magni Dei, sed gentilium deorum vilissimi, *Vulcani*, cui ignis tunc vt post, quoque sacer credebatur: Quod si iam mille annos et viginti ab annis Mundi, quando *Alexander* Magnus in *Aegyptum* venit, detrahamus, regnum Solis seu Ori, qui post

Sethon Rex, Vulcani Sacerdos.

post *Osiridem* regnasse perhibetur, in annum Mundi 2608. incidere animaduertemus, quo tempore Zetus, secundum Eusebium, Dynastiæ Larthum regnauit, qui Miridi successerat: sic hac ratione Solis regnum in *Aegypto* locum non inuenit, vti nec *Osiridis, Isidis, Mercurij, Vulcani, Saturni, Iovis, Nili,* aut *Oceani*; nisi fortè ante mundi creationem eos regnasse somniemus, vtpote nihil in nihilo: Haud verò inscius sum, inquit *Diodorus*, à nonnullis scriptoribus tradi, horum Deorum sepulchra in Nysa Arabiæ sita; à qua *Nysæum Dionysium* appellant; Esse autem vtriq; dicatam Columnam sacris sculptam literis tradunt:

IN COLVMNA ISIDIS *hæc scripta esse*:

EGO ISIS SVM AEGYPTI REGINA, A MERCVRIO ERVDITA:
QVAE EGO LEGIBVS STATVI, NVLLVS SOLVET:
EGO SVM VXOR OSIRIDIS:
EGO SVM PRIMA FRVGVM INVENTRIX
EGO SVM ORI REGIS MATER;
EGO SVM IN ASTRO CANIS REFVLGENS.
MIHI BVBASTIA VRBS CONDITA EST.
GAVDE, GAVDE AEGYPTE, QVAE ME NVTRISTI.

IN COLVMNA OSIRIDIS, *hæc scripta dicuntur.*

MIHI PATER SATVRNVS, DEORVM OMNIVM IVNIOR.
SVM VERO OSIRIS REX, QVI VNIVERSVM PERAGRAVI ORBEM VSQVE AD DESERTOS INDORVM FINES.

AD EOS QVOQVE PROFECTVS SVM, QVI ARCTO SVBIACENT, VSQVE AD HISTRI FONTES.

ET ITERVM ALIAS QVOQVE ORBIS ADIIVSQVE AD MARE OCEANVM PARTES.

SVM SATVRNI FILIVS ANTIQVIOR, GERMEN EX PVLCHRO ET GENEROSO ORTV, CVI NON SEMEN GENVS FVIT.

NEQVE VLLVS EST IN ORBE, AD QVEM NON ACCESSERIM, LOCVS, DOCENS OMNES EA, QVORVM INVENTOR FVI.

Hæc tantum in Columnis legi posse adfirmant; alia (quæ plurima sunt) tempore esse corrupta. Et de his sanè, quæ in Sepulchris extant consentiunt ferè omnes. NAM QVAE SACERDOTES CONDITA IN ARCANIS HABENT, NOLVNT, VT VERITAS IGNOTA SIT, AD MVLTOS MANARE, POENA IIS ADIECTA, QVI EA IN VVLGVS PRODERENT. Hactenus *Diodorus*. Hæc singula adeò dilucida sunt, vt vix vberiori probatione aut explicatione egeant: Etsi veró eiusmodi Columnæ aliquando in illis locis extiterint, tamen non inde consequitur, reuerà deos aut homines ibi fuisse conditos, qui ea fecerint, vt ad literam *Osiridi* & *Isidi* attribuuntur; sed è diuerso patet, has columnas ab artificibus veris in laudem Dei Creatoris, tantorum donorũ Largitoris, ac testimonium veritatis *Osiridi* & *Isidi* pro æternâ memoriâ consecratas esse, quibus non omnino stupidos ad inquisitionem rerum abditarum incitare voluerunt: *Isis* à *Mercurio* se eruditam tradit; quia ita oportuit, cum tota mercurialis sit; *Ægypti* regina vocatur, quia *Isidis* nutu & instinctu omnes res *Ægyptiæ* ordinatæ sunt tam publicé, quam priua-

ARCANA

Nota.

Isis à Mercurio erudita.

priuatim, non quod ipsa dederit leges, sed earum conferendarum causa fuerit, vt et *Mercurius*; Hic vt totum, *Isis* et *Osiris*, vt partes se habent; Cumque tria dici possint, duo tamen sunt, & reuera vnum; quia vnum ex altero ortum ducat: Frugum inuentrix habetur, quia semen Mundi docuit in suam propriam terram mittere, idque propagare, quod tota ars est, at non rustica illa, notissima, sed Philosophica arcanissima: Osiris verò se *Saturni* filium prædicat, & in asserenda sua natiuitate mendax haud invenitur; Veritas enim ex Tempore, quod *Saturnum* multi putant perperàm, progenita dicitur; Peragrauit orbem ad Indos vsque et Histri seu Danubij fontes; velut ipse gloriatur, & sic in Rhætiam Germaniæ tractum peruenit; idque non immerito; nam & septentrionales hasce gentes docuit suum frumentum propagare: Quod ex nullo semine *Saturni* patris productus sit, testatur: mater enim eius virgo est, et pater non concubuit, nihilominus eius conceptio facta est absque semine in naturâ: Per Calorem enim draconis rubei & ardentis maturatur; Cumq; maturus sit, ipse est semen optimum in matrem suam spargendum; Rex enim à seruo mutuari cogitur tam diu, donec regni sui reditus exegerit à subditis, tum ille alienæ opis non est indigus, sed de proprio thesauro & vestium colore singulis, quantum sufficiat, communicare potest: Quod autem Sacerdotes illa in arcanis habeant, & non cuilibet patefaciant, quid per illa mysteria & sacra denotatum sit, quisve finis aut scopus, quæ Causarũ series, impulsiua, efficiens, formalis aut materialis, non caret ratione: Si enim omnibus constitisset, eo tempore tale artificium chymicum in *Aegypto* apud Sacerdotes exercerj, ideoq; tot et tantas ceremonias ordinatas, ingens omnium gentium concursus in *Aegyptum* factus fuisset, Variæq; expeditiones regum exterorum eòdem tentatæ et susceptæ; vnde se Reges et Sacerdotes *Aegyptij* bello intricassent absq; causa, Cum in silentio quieti suis bonis frui possent; Ideoq; interdictum fuit capitali supplicio

Osiris Saturni filius.

Nota. Sacra Ægyptia cur Arcana habita.

quicquam de arcanis illis propalare; idq; eó facilius, quia plæriq; Reges ipsi ex Sacerdotibus electi et creati erant, vt Sacerdotes ex philosophis: Ad hæc nullus vel minimam horum arcanorum cognitionem habuit, prætérquam Sacerdotes; Et Sacerdotes, filios Sacerdotes habuerunt, vt singuli opifices opifices; nec licuit alteri ad sacerdotium aspirare, sed cuilibet de necessitatẽ impendebat paternum munus aut opificium exercere: Hac ratione nec inquilinis alijs, preter Sacerdotes, hanc scientiam esse in rerum natura, innotuit; multó minus peregrinis, qui eandem ob causam *Aegypto* penitus arcebantur, aut si advenissent, cum ignominia aut periculo capitis repellebantur; Cum verò pòst cuiusdam Regis beneficẽtiâ allecti propinquiores populi Græci adventassent, obscui â quadam famâ exciti, constat *Aegyptias* arcanissimas artes quoq; in alias orbis partes propagatas esse, vt pòst latiùs disseremus: Reliquæ causæ huius scientiæ occultationis sunt, eædem cum ijs, cur artifices latere conueniat, aut cur Vulgo artem non videri veram conducat; quæ apud authores abundé legi possunt; vt non opus sit húc plura de ijs adduci: De *Alexandro* Magno referunt, cum in *Ægypto* versantem á Sacerdote quodam Leone dicto, pro *Arcano Arcanorum* rescíuisse, illos, qui vulgo pro dijs habentur, non deos sed homines mortales *Aegyptiosq́;* reges fuisse, idq; ad Olympiadem matrem perscripsisse, mandasseq; vt lectam epistolam in ignem abijceret: Cum enim Græcis ijdem pro dijs colerentur, nempe vná cum arte, religione *Aegyptiorum* per *Orpheum* aut *Melampodem* ad ipsos translata, inconsultum erat vulgo innotescere, receptos deos non esse deos; cum hinc confusio omnis æquitatis impendere videretur, veri vnius Dei cognitione non perceptâ, ideoq; *Alexander* epistolam igne absumi mandauit: nam metus deorum etiam falsorum, pro veris tamen agnitorum, homines omni tempore in officio continuit, ne quicquam contra leges latas, aut religionem, aut summum magistratum attentarent. Quod si sacerdos ille Leo, vt res est, confessus

ARCANA

Nota.

fessus esset, absq; dubio totam artem *Alexandro* Magno, qui tum *Aegyptum* possidebat, manifestare coactus fuisset: Ita sub Osiridis et Isidis fabulosis involucris artem, quam diu voluerunt, celârunt: Si enim constitisset publicé, Osiridem et Isidem nec deos, nec homines fuisse, sicnec Saturnũ, Iovem, Martem, Mercuriũ, Apollinem, Dianam, Venerẽ Vulcanum, vnquam vixisse aut regnasse, ac nihilominus singulis tot et tanta sacra fieri et honores exhiberi, curiosioribus, quid tandem sub illis velatis nominibus compræhenderetur ac lateret, indagandi ansam præbuisset: Quod Sacerdotibus Ægyptijs ab omni ratione alienum videbatur et eum summo periculo coniunctum; ideoq; tales non deos, sed homines fuisse, inq; deorũ ordinem receptos, asserere cogebantur; ac ita *Alexandro* causam præbuerunt, cum dij maiorum gentium adeó per orbem cultu divino celebrati, saltem homines et reges fuissent, vt et ipse se pro Deo coli et proclamari passus sit, mortali corpore circumscriptus: Præter *Osiridis* et *Isidis* cultum, *Herculi* quoque honores habitos, et Eleusinia seu Cereris arcanissima sacra, alijsq; Dijs instituta esse, nempe *Vulcano, Mercurio, Saturno, Ioui* et similibus, apud Ægyptios ex Hystorijs notum est; sed illis alibi euoluendis relictis, nunc ad reges Aegyptiorũ celebriores nos conuertemus: Vt autem Sacerdotes Aegyptij disciplinarum artiumque repertorem Mercuriũ fuisse tradunt, ita eorum, quæ ad vitam spectant, Reges: Antiquitus enim non ad principantium progeniẽ, vt *Diodorus* inquit, ferebantur regna, sed ad eos, qui plurimũ de hominũ vita mereri viderentur, siue ob communẽ vtilitatem creante sibi reges populo, siue quod ita in libris sacris contineretur: Eorum nonnulli fabulantur, deos primũ & Heroas in Ægypto paulò minus decem & octo millia regnasse annos, deorumq; postremũ Orum Isidis regno potitum; Homines vero paulò minus quina dena millia, vsq; ad centesimam atq; octogesimam Olympiadem, quo tempore in Ægyptum transcendit Diodorus, regnante Ptolemæo, qui nonus est *Dionysius* appellatus. Verum ex chronologia mundi constat, *Ægyptios* sacerdotes numero

2. De præcipuis Ægypti Regibus Philosophis.

certo annorum, pro incerto vsos, ac illorum, qui nunquam regnârunt, nec in rerum natura fuerunt, regna vltra omnium hystoricorum memoriam reposuisse: Primum post deos in Ægypto regnasse ferunt Menã, qui primus scriptas leges *Ægyptijs* tradidit (quas finxit se Mercurij præcepto tanquam magnorum bonorum causam futuras promulgare) eiusq; progeniem regnũ tenuisse, nempe 52. Reges, annis 1040. Busiridem deinde regnasse cum 8. posteris, quorum vltimus quoq; Busiris dictus, qui Solis vrbem ab *Aegyptijs*, Thebas à Græcis appellatam, condidit, cuius mænia 140. sint stadia ambitu complexa, ædificia ornatissima, & centum portæ sint, & in qualibet earum custodes ducenti cum equis & curribus: Non solum verò hunc regem, sed & qui post eum regnârunt, multa accepimus ad huius ciuitatis amplitudinem ornamenta contulisse donis; prætcrea decorasse pluribus argenteis, aureis, eburneis statuis insuper, colossorum instar, atq; obeliscis, ex vnico lapide factis, vt planè constet, nullam sub sole vrbem ita fuisse exornatam: Hæc sunt verba Diodori: Hæc ciuitas ad miraculũ artis & naturæ extructa & à singulis Regibus Philosophis dotata tot stupendis preciosissimis operibus, in honorem ORI, seu Apollinis, siue Solis, non cælestis astri, sed Philosophici, è terra producti & Vulcani operâ elaborati, deorum vltimi, consecrata animadvertitur, quam videre aut intrare nulli extero licebat, quamuis fama eius longè latéq; per orbem disseminata sit; Hinc Græci de ea scribentes nihil certi, tanquam non oculati testes, pronunciârunt, sed velut somnia & incredibilia de Thebis *Aegyptijs* Centiportis passim sparserunt: Hæc sola vrbs ad luxum & opum ostentationem extructa sufficiens & evidentissimum documentum de *Aegyptiorum* chymico Artificio dare posset ijs, qui rem acutius consyderent; de quâ ita Diodorus; Referunt, inquit, Sacerdotes, 47. Sepulchra regia, quorum vsq; ad Ptolemæum Lagum, 17. tantúm supererant, in eorum libris scripta contineri: Tantam pecuniarum copiam in *Aegypto* fuisse tradunt, vt ex incendijs

Mena.

Busiris.

Thebæ Aegyptiæ centiportæ amplissimæ.

Thebarum ornatus & divitiæ.

dijs (Cambysis tempore, qui Aegyptiorum templa combussit, & omne aurum et argentum in Persiam transtulit) quæ omnia absumpsêre, inter cætera parum quid auri, quod tamen vltra 300. talenta sit pensum, effluxerit, argenti veró 2300. Idque de Thebis Aegyptijs intelligendū est: Busiridem Aegypti regem, qui Thebas condidit, Philosophum fuisse, et *Vulcani* sacerdotem, velut cæteri, nullum est dubium, etsi eius crudelitas apud Græcos magis detestata, quam scientia celebrata sit: Annumeratur enim à Græcis *Herculis* laboribus, quod nimirum è Libya in Aegyptum profectus Busirim, Neptuni Lysianassæque vel Libyes filium, aduenas *Ioui* vel *Neptuno* patri immolantem, é medio sustulerit; Idque á posterioribus Poetis in Busiridis ignominiam adfictum dicitur, eam ob causam, quia non licebat Græcis eius tempore Aegyptum, cuius diuitias ex fama cognouerant, intrare, vt antè dictum: Strupenda alia opera regis *Simandij* describuntur ab *Hecatæo* et *Diodoro*, cuius monumentū *Thebis* non solum magnitudine conspicuum, sed & arte mirabili & lapidum naturâ excellens fuit, stadiorum decem, in cuius aditu Porta erat duorum iugerum longitudine, altitudine 45. cubitorum; Scriptum erat in eo:

Nota.

Stupenda opera Regis Simandij, Thebis in Ægypto.

REX REGVM SIMANDIVS SVM.
SI QVIS, QVALIS FVERIM, ET VBI IACEAM, NOSSE VELIT, MEORVM ALIQVID OPERVM EXVPERET.

Esse quoque et aliud signum matris ferunt vnico lapide cubitorum 20. habens supra caput Reginas tres, quæ ostenderent filiam, vxorem se & regis matrem fuisse. Post hanc Portam & aliud erat peristylium nobilius superiore, sculpturis varijs, in quêis bellum erat contra Bactrianos, quibus regis filij imperabant, desciscentes ab eo, gestum aduersus hos quadringentis millibus peditum, equitum viginti, in quatuor partes diuiso exercitu, cum profectus esset. Prima

muri

muri pars obsidionem vrbis sculptam continebat, ab ea parte, qua fluvius muros alluit: Rege deinde cum parte hostium congresso, Leo vnà cum eo initâ pugnâ hostes in fugam verterat. Scriptores quidam veram hystoriam fuisse, leonisque operâ domi enutriti regem in pugnâ vti solitum ad victoriam ferunt. Alij ob fortitudinem corporis præcipuam, leonis similitudine, corporis animique vires ipsum ostendere voluisse. Secundus paries sculptus erat captivis absque pudendis, manibusque à Rege ductis; quæ nota erat, illos esse animo viles, & corpore imbecilles. Tertium latus sculpturis varijs picturisq; decoris, regis sacrificia, triumphumque deuictis hostibus continebat. In medio Peristyli latere, statuæ jacebant duæ ingentes ex vnico lapide, cubitorum 27. ad quas tres ex peristylo aditus patebant: Has prope domus erat columnis suspensa, cuius latus quodlibet duo jugera complectebatur: In ea statuæ duæ ligneæ positæ haud paruo numero, repræsentantes tum eos, qui de re dubia disceptarent, tum respicientes eos, qui in iudicijs sententias ferrent: Hi ab vna muri parte sculpti 30. numero erant, et in medio iudicandi princeps, cuius à collo suspensa Veritas penderet, et oculis esset subclausis, librorum cumulo circumstante: Hæ imagines præ se ferebant, iudices integros esse debere, Prætorem solam inspicere veritatem. Dehinc ambulatorium erat domibus plenum, inque eis diuersa epularum genera, suauia gustu præparata: sculptus deinde eminens cæteris Rex varijs coloribus, aurum atque argentum, quæ ex aureis, argenteisque metallis annuatim ceperat, Deo offerens: Inscripta quoque summa erat omnis in argentum redacta.

Mina ter decies centena & ducenta millia millium.

Sequebatur dehinc sacra Bibliotheca, in qua inscriptum erat.

ANIMI MEDICAMENTVM.

Pone Bibliothecam domus sita erat egregia, in qua viginti essent *Iouis* et *Iunonis* lectisternia, Regis insuper statua

tua, vbi & regis corpus sepultum videbatur: Hanc circumstabant plurima habitacula, in quibus picta cernebantur animantia Aegyptia singula sacris apta, omnia sepulchrum versus ascendentia: Circumibat monumenta aureus circulus, cubitis 365. vnius cubiti spissitudine, in quo descripti erant per singulos cubitos dies anni et astrorum ortus atque occasus, quidve ea secundum Aegyptios astrologos obseruata significarent: Eumq; circulum ferunt, quo tempore Cambyses et Persæ Aegyptijs imperârunt, ablatum. Quæ magnificentissima Regis *Simanaij* opera hactenus ex *Diodoro* enarrata, non solum materiâ, sed et formâ satis declarant, cui rei et intentioni plæraq; instituta sint, quomodocunq; Hystorici interpretentur: Haud verisimile est, regē auri & argenti ex metallorū fodinis annuatim accepti summam inscripsisse monumento, quasi hæc perpetua et sibi propria foret, cū tamen nunquam non decrescere possit; quia diuitiæ ex fodinis perceptæ rarò sunt statæ aut eædē, sed subitó plærunq; mutantur; Deinde *Simandius* hæc opera sibi addicare non poterat quorum ipse author non esset, at saltem dispensator; cum æquè ad antecessores et posteros ea gloria spectaret: Et stultitiæ proximū videretur, divitias ex terra erutas, post mortem suo sepulchro incidi curare: Adhæc sūma tanta est, vt incredibilis sit, si ex fodinis percepta annuatim dicatur; quia mille milliones auri longè excedit: Vnde mysticum quid subesse dixero, aut numerum finitum pro infinito positū: quod verò hanc inscriptionem sequatur sacra Bibliotheca, hoc est, supellex librorum sacrorum seu Hieroglyphicis literis scriptorum cum titulo, Animi medicamentum, quid aliud indicat, quam quod a *Salomone* Sapientiæ, *cap.* 7. (citante Rosario Philosophorum) dicitur: *In comparatione illius omne aurum tanquam arena exigua est, velut lutum æstimabitur argentū in conspectu illius: Melior est enim acquisitio eius negociatione argenti & auri purissimi: Fructus illius preciosior est cunctis opibus huius mundi, & omnia, quæ in mundo desiderantur, huic non valent comparari:*

HIEROGLYPHICA.

Nota.

1320000000 *Corbnai.*

E *Lon-*



Longitudo dierum et sanitas in dextera eius, in sinistra verò eius gloria & diuitiæ infinitæ: viæ eius operationes pulchræ & laudabiles, non despectæ, & semita eius moderata, & non festina, sed cum laboris diuturni instantiâ: Lignum vitæ est his, qui apprahendunt eam, & lumen indeficiens, beati qui tenuerunt eam. Quæ verba licet de æternâ Sapienti; quæ est Christus, explicari possint, tamen quod potius de terrestribus intelligenda sint præterquâ quod id circumstantiæ ferè omnes innuant, auctor mihi est princeps quidã imperij electorali celsitudine et doctrinâ tam Philosophicâ, qualis hæc est, quàm Theologicâ insignis et præclarissimus, qui mihi geminas medicinæ aureæ dotes cōmendans, eadem verba in mediũ adduxit, omni exceptione maiora: Quó et spectare videntur ex statuæ erectæ, & forté belli gesti Allegorica expositio, vbi rex instar leonis dimicat, et hostes absq; pudendis conspiciuntur; quãuis non negem ex his nonnulla ad veram hystoriam referri posse: per pudenda autem heterogeniũ quid, vnde nostro subiecto ortus et propagatio accidit, denotari solet, quo per *Vulcani* operam spoliato, Triumphus regis, leonino robore præditi, sequitur: Ne quid de judicibus et prætore, eorumq; figuris hieroglyphicis addamus; quæ ad rẽ præsentem forté aptius; quám ad vulgo notam iudiciorum formam, accommodari poterunt; Hic enim veritas; ibi justitia quæritur; quò spectant et varia epularũ genera apposita: A regis *Symandij* progenie *Ogdous Vchoreus* descendit, qui *Memphim* condidit ambitu stadiorum, 150. vrbem omnium *Ægypti* præclarissimam: Quo defuncto, duodecima post eum proles *Ægypti* regnum possedit, nomine Miris; post quem proles septima Sesostris rex factus, superiores omnes gloria et rerum magnitudine excessit: cuius educationẽ et res gestas hic præteribimus, et saltem nonnulla huc spectantia de eo adducemus: Asserunt plures ex scriptoribus; patri post natum Sesostrem in somnis *Vulcanum* prædixisse, infantem genitum toti orbi imperaturum: præter alias res stupendas et expeditiones fæliciter in extremas Indias, aliasq; orbis partes absolutas, nauem

Sesostris. A.M. 2711.

nauem ex Cedro fecit 280. Cubitorum longitudine, deauratam exterius, interius verò deargentatam, quā dono obtulit Deo, qui maximé *Thebis* colitur; *Memphi* in *Vulcani* templo suas et vxoris, lapidis vnius statuas, altitudine cubitorum 30. filiorum verò 20. ob hanc rem collocauit: Regibus seu ducibus quatuor, á se devictis, aut quibus regna tradidisset, aut quos diversis provincijs præfecisset, præstituto die in Aegyptum venientibus, eiq; dona offerentibus, si quando ad Templum iret, aut per vrbem incederet, loco equorum curru junctis, vsus est: Annos 33. regnavit: adeò autem diuturna eius gloria ingensq; ad posteros manavit, vt cum multis postea seculis, *Persis Aegypti* imperium tenentibus, *Darius Xerxis* pater vellet in *Memphi* suam ante Sesostris statuam ponere, princeps Sacerdotum publicè contradiceret, asserens, illum nondum Sesostris opera æquasse; quod responsum haud quaquam ægré ferens Rex, sed lætatus admodum libertate loquendi, se curaturum inquit, vt nihilo illius virtute, si tantundem viueret, esset inferior, hortatusq; est, vt ætatis ejusdē conferret gesta. Póst *Amasis, Actisanes Æthiops*, ac iterum Miris, qui Labyrinthum, mirandum opus, condidit; cui similem in Creta regnanti *Minoi Dædalus* construxisse dicitur; At *Diodori* tempore Cretensis defecit; Aegyptius integer mansit. Post hūc Cetes, à Græcis *Protheus* dictus, deinde Octavus ab eo Chemnis, qui 50. regnauit annos, & Pyramidum maximā extruxit; cui successit Chabreus ac post Micerinus, aliarum Piramidum extructores; Alij maiorem Pyramidem Armeum extruxisse, secundam Amasim, tertiam Masum asserunt, quam volunt quidam Rhodopis pellicis sepulchrum fuisse, & id non nullorum principum, qui eam amassent, communi opera absolutum. Post Bocchorus, deinde Sabacchus Aethiops regnauit, qui si bene regnare vellet, in somnijs iubebatur omnes sacerdotes occidere; Ne verò tantum scelus perpetraret, regno se volens abdicauit, & in Aethiopiam secessit: Tum Aegyptus á 12. Paribus gubernata est, ex quibus Psammiticus, (cuius regnum in annum

IN VVLCANI Templo statuæ.

Labyrinthus Aegypti.

Mundi 3278. refertur) Monarchiam obtinuit; Hic Aegyptiorum regũ primus cæteras nationes ad importanda, quæ apud se erant, allexit, securitate singulis adeuntibus præbita: Apud superiores enim reges nulli externi ad Aegyptum nauigabant, cum partim occiderentur, partim adigerentur in seruitutem: Impietas, inquit *Diodorus*, *Busiridis* tempore apud *Aegyptios* aduersus exteros seruata Græcis causam præbuit, licet minime veram, sed multâ contractam crudelitate, scribendi, quæ de eo in fabulis feruntur. Post Psammiticum regnauit quarta progenies: Pòst Apri-
A.M. 3390. cus, ac post hunc strangulatũ Amasis, cuius tempore (quo & Polycrates *Samius* tyrannus vixit) Pythagoras rediјt in Græciam: Amasis regnauit 55 annis, vt aliјs placet 44. et post eum *Psamenites* 6. annis: Tum Cambyses Persarum rex *Aegyptum* armis cepit, circa tertium annum *Olympiadis* tertiæ et sexagesimæ: *Aethiopes* verò quatuor, non continuis, sed diuersis temporibus regnârunt, annis ferm è 6. *Persæ* duce Cambyse rege, annis 134. Postremi *Macedones* et qui ab eis manârunt, annis 276. *Aegyptij* imperrâunt; Præter hos temporibus reliquis *Ægyptij* omnes regnum tenuêre, viri quidẽ 470. mulieres 6. Ex hactenus enume-
Nota. ratis præcipuorum Regum Aegypti operibus & factis, præter ante dicta, manifesto conspicitur, non obscura artificij Chymici vestigia adhuc tempore *Diodori* in *Aegypto* extitisse, quæ licet ille nó eo fine obseruarit, quippe olim prorsus incognita, nos tamen aliјs quoq; documentis instituti, in his veritatem manifestissimè scintillare animaduertimus; Nam quid causæ aliud esset, cur *Vulcani* templum primarium Memphi fuerit, ejusq; Sacra arcanissima, & nulli aperienda semper habita? Quin & Reges *Vulcani* Sacerdotes dicerentur, Cum tamen apud alias gentes huic Deo credito non tantus honos præstitus, sed extremus locus semper inter reliquos relictus? Cur *Aegyptus* exteris non adeunda fuit, nisi quod plus diuitiarum apud se esse crederent *Aegyptij*, quam ab advenis apportari posset, ac interim ad victum omnia abundantissimè haberent? Cur tot opera incredibilia & stupenda, qualia Mundus

dus nusquã tum temporis, nec adhuc imitari potuit, immẽsis laboribus, et sumptibus plusquam regijs, posteritati relicta essent, nisi ab arte profecta et ad veritatem eius demonstrandam perfecta forent? Cur Sacerdotes tertiam partem omnium prouentuum et vectigalium, et quidèm primò ante Regem accepissent, nisi talis causa subesset, quod ex illis Reges crearentur, ab illis leges promulgarentur, et per illos Sacra Vulcano fierent, hoc est, artificiũ chymicum Vulcani operâ conficeretur? Quibus & hieroglyphicæ animaliũ literæ seu picturæ, quas nulli declarare licuit, adnumerentur; De quibus etsi ab alijs integro volumine actum sit, tamen nescio an, præter vulgatissima palam & superficialiter cognita, quicquam eo contineatur; Non dubitamus morum institutiones inde peti posse & virtutum & vitiorum symbola, nec non rudimenta quædam physica maioris mũ li, vt quilibet pro suo ingenio ea intellecta interpretatur, sed ea non tanti momenti esse suspicamur, cur mundus inde in religionibus mutationem sentiret, ac tot & tanta solennia, sacra, ceremoniæ & ritus fierent, tot leges ferrentur, nouæ literæ fingerentur, & singula tenebris & silentio inuoluerentur, advenæ arcerentur & arcanorum reuelatores capitali supplicio punirentur: Nos ex innumeris hieroglyphicis animaliũ picturis præcipuas saltem, & quarum gratiâ reliquæ introductæ sint, seligemus, et ante dictis et pòst dicendis applicabimus, vtpote cum quibus solis sint consentaneæ: Quotquot Aegyptiorum hystorias scripserunt, vnanimi consensu meminerunt Apidis, bouis sacri, de quo nonnulla ex Diodoro Siculo, vt pleraq; alia, adferemus: Addemus, inquit ille, et his, quæ circa sacri Tauri, quem vocant Apim, curam fieri percepimus: Eo mortuo magnificèq; sepulto, quærunt ad id delecti Sacerdotes vitulum priori persimilem; inuento, populus luctum finit: sacerdotes, quibus ea imminet sollicitudo, primùm in ciuitatem Nili vitulum perducunt, in qua eum nutriunt diebus 40. Deinceps in nauim contectam, habitaculum aureum habentem, introducentes,

3. De hieroglyphicis animalium figuris.

Mũdus mutationem sensit ex Aegyptiorum institutis.

Apis. bos seu vitulus sacer Aegyptijs.

L. 2. c. 4.

centes, et ad Memphim, vt deum, ducentes *IN VULCANI* Fano locant: His diebus solæ mulieres Taurum vident, quæ ante eius faciem astantes, vestibus sublatis, ei abrasum fæmen ostentant: Reliquo tempore prohibentur in conspectum huius Dei accedere. Hæc Diodorus: Alij addunt, necessariò in boue colorem nigrum requiri, ac signum aliquod album seu maculam lunæ crescentis et corniculatæ formâ in fronte vel alterutro latere, et præterea ab omni macula immunem esse debere; Postquam vero per quatuor annos in Vulcani templo nutritus & cultus sit, magnâ solennitate in fontem quendam immergi vivum; eiusq; cadauer inferri Sepulchro sumptuosissimo, ac postea Serapin dici, aliumq; bouem, vt prius, per totam Ægypti regionem, iisdem maculis & coloribus insignem, magnâ curâ à Sacerdotibus inquiri; Quám sumptuosissima palatia, Cubilia dicta, Memphis in Vulcani templo huic boui struxerint, quâ sollicitudine ipsum curârint & enutriuerint, quaq; reuerentia & cultu prosequuti sint, apud Authores varios sparsím notari potest: Hunc morem colendi bouis *Diodorus* suo tempore perdurasse testatur à multis seculis inde obseruatum; Quod si Israelitici populi, á Mose ex Aegypto educti, idololatriam in deserto, Aaronis permissu, institutam, consyderemus, quomodo ex auro vitulum fecerint, eiq; diuinos honores circumsaltando Aegyptio ritu adhibuerint, longè ante id temporis in Aegypto cultum Apis receptum fuisse, animaduertemus: *Moses* enim circiter annum mundi 2454. ante natum Christum 1509. populum Israeliticum ex Aegypto eduxit; & *Diodorus Sicutus* Aegyptum perlustrauit Anno mundi 3907. ante natum Christum 55. Ex qua computatione patet interuallum inter *Mosis* eductionem & Diodori peregrinationem esse 1453. annorum, quo continué, & longè antè & pòst, ritus colendi bouis in Aegypto permansit. Cuius institutionis, vt antiquissimæ, ipsi Aegyptij causas veras ignorant, ideoq; diuersissimas vulgo proponunt: Sic enim *Diodorus* dicto libro. 1. Honoris, *inquit*, boui impensi

Strabo lib. vlt. Plin. l. 8. c. 45.

Quamdiu Apis cultus Ægyptijs.

pensi causam nonnulli tradunt, quod defuncti *Osiridis* anima in bouem transmigrasset; quæ deinceps ad posteros pergens fuerit transfusa: Ali à *Typhone* interfecto *Osiride*, ferunt Apim membra eius collecta in bovem ligneum corio bouis albo circumdatum reposuisse, ideoque civitatem Busiridem appellatam: Multa alia de Api fabulantur, quæ longum esset singulatim referre. Omnia veró miranda & fide majora de ejusmodi animalium honore differentes Aegyptij, dubitationem haud paruam quærentibus causas injecerunt: Sacerdotes secretiora quædam scripta, prout jam diximus, habent: Multi Aegyptiorum tres causas reddunt, quarum prima omnino fabulosa est, & antiquorum simplicitate digna: Aiunt enim, priores Deos, cum pauci numero essent, viribusque populo impares, impietatem verò hominum timerent, similes se quibusdam animantibus finxisse, eoq; modo crudelitatem, vimq; hominum effugisse: Parto deinceps orbis imperio, vt redderetur animalibus gratia, quæ suæ salutis causam præbuissent, consecrasse illa, quorum sumpsissent formam, ostendisseq; quo pacto & viva nutrienda essent & mortua sepeliẽda. Secũda causa; Ferunt Aegyptios veteres, apud quos nulla esset militaris doctrina, cum à vicinis sæpius bello superarentur, excogitasse ferre aliquod insigne, quod milites sequerentur: Figuras igitur animalium, quæ nunc colunt, duces eorum in bello tulisse, eaq; ex re cognito, seruateq; sub quo quisque militaret ordine, victoriam consecutos: Igitur visum esse gratiam his animalibus, tanquam victoriæ authoribus, reddi, statutumque nefas esse, quodpiam eorum, quorum imago delata fuerit, occidi, sed coli potius debere, honoreq; affici: Tertia affertur causa, horum animantium illata victui hominum vtilitas; bos fæmella & alios parit, qui terram arant, & ipsa haud invtilis ad arandum: Oves bis edunt fætus, lanamque præbentes vario accommodatam vsui, lac, caseumque abundè nobis præbent. Canis tum venationi, tum ad custodiam prodest: Propterea deum, qui apud eos Anubis vocatur, capite

Secretiora.

Prima Causa.

Colendorum animalium fabulosa.

Secunda Causa.

Tertia Causa.

capite fingunt canino, significantes custodem corporis *Osiridis* atq; *Isidis* fuisse: Hæc *Diodorus*. Hæ causæ, vt ipsi Diodoro ethnico, qui nec veri Dei cognitionem, nec falsorum numinum differentiam, multò minus chymicæ veritatis quicquam sciuit, non satisfecerunt, sed indignæ tantæ operæ precio visæ sunt, ita multò minus nobis longè aliter institutis tum in vera Dei religione, tum Chymiæ studio, ad palatum esse poterunt; Imò potius nugatoriæ & relatu vix dignæ censentur, quippe ab omni ratione & experientia alienissimæ: Interim cum veræ causæ, quæ suâ luce se illustrarent, darj non deberent, nec poterant, tum a vulgo ignaro, tum à Sacerdotibus rei conscijs, qualescunq; ad formam seu prætextum effingendæ fuerunt; quæ cum sapientioribus absurdæ viderentur, non iniuriâ illi Ægyptiorum stoliditatem in numinibus colendis deriserunt: Verùm Ægyptios multarum artium & scientiarum primos inuentores & cultores esse nemo inficias ire poterit, et semper pro prudentissimis subtilissimiq; ingenij hominibus habitos celebratosq;, quomodo igitur præ cæteris gentibus ad puerilia delyramenta circa brutorum cultus deuenissent, nisi alia causa secretior, quam reuelare non liceat, subesset? Sacerdotes veritatis conscij religione & capitali pœna deterriti nihil aperuerunt de tantis Secretis; Vulgares alij siue literati, siue Idiotæ inter Aegyptios ne minimum de vera causa sciuerunt, ideoq; nil aliud quam fabulas et res ad speciem fictas scribendo manifestare alijs potuerunt; ita vt quò magis causas veras inquirentes falsi fuerint, et à scopo seducti, eò gratius id Sacerdotibus conscijs contigerit: Cum enim sibi persuasum haberent, Deum omnium Creatorem per Creaturas suas agnosci & coli posse, erroneâ imaginatione non fuerũ solliciti, vulgum aliter in religione institui, cum mutationem ejusmodi sibi periculosissimam futuram prospicerent: Verâ autem animantium cultûs sub silentio causâ tectâ, necessariũ erat varias easq; falsas ratiunculas produci, quæ seipsas iugulent invicem & è medio tollant: Verum *Diodorus*

Nota.

Ægyptij sapientissimi antiquitus.

dorus fatetur secretiora quædam scripta de hisce apud Sacerdotes extare, alijs adhuc incognita: quæ qualia fuerint secreta, vt animi Medicamentum dici reuera possent ac solerent, dies jam posterior detexit: Valeant itaque causæ illæ ternæ a pueris deridendæ, & ab omni veritate absonæ, ijsque credat, qui velit, nobis aliæ innotuerunt rationes; si vero eædem sub Allegoria dictæ sint, simul constare poterunt, ac prima, quæ ad literam absurdissima, ad sensum veritati magis correspondebit: Cum enim dij chymici, *Osiris, Isis, Mercurius, & Vulcanus*, timerent hominum impietatem, sua opera illis absque discrimine largiri noluerunt, ideoque sub figura & schemate variorum animantium ea, tanquam pelle, velaverunt, et absconderunt; ne agnoscerentur, nisi à conscijs aut rationabilibus: Non enim tutum erat, arcanissima naturæ Papyro Niloticæ aut membranis animantium per scripturam aperte concredere, sed videbatur consultum characteribus essentialibus ab animantibus desumptis, invicem colloqui, ne audientes aut videntes scirent, scientes autem non ignorarent: Quod vt magis conspicuum fiat, breviter nos causam hujus divini cultus boui, Api dicto, impensi percurremus, vnde de cæteris simile judicium sumendum erit: Est autem bos niger Hieroglyphicus et indubitatus character materiæ veræ et vnicæ Philosophicæ, vt patet ex multis vtriusq; proprietatibus et Allegorijs: Proprietates naturæ etsi nullæ essent, arbitrium voluntatis ad ejusmodi designationem tamen sufficeret; Omnium enim Technicorum vocabulorũ aut noematum rationem nimis curiose velle quærere, absq; ratione esset: Idem in Hieroglyphicis forté locum habet animaliũ, quod in characteribus et notis literarum; Quantum verò suspicari licet, hoc animal, Taurus ad cultum seligitur, præ alijs, vt Apis dicatur, quia alias notum et insigne est vtilitate, robore, cicuritate et præstantiâ naturæ; tum quia magna pars agriculturæ in

Cur bos in Aegypto cultus.

Nota.

Apis lingua Aegyptia, bos.

arando, occando, triturando et alijs operibus laboriosissimis huic incumbat, tum quia lunæ crescentis imaginem cornibus et maculis albis in nigro corpore ad vivum exprimat; Ad hæc colore varium est, naturâ tractabile, et non admodum raræ inuentionis: Aliæ si quæ sint proprietates ab alijs obseruentur, hæ nobis sufficiunt: Est autem hic bos simulacrum *Isidis* et *Osiridis* visibile et sensibus obuium, à quo ad mentem facilis fiat recursus intelligenti, nempe quid illo denotetur: Verùm hìc quæri posset, an igitur eiusmodi cultus institutio adeo necessaria fuit, vt chymicum artificium absq; eo exerceri non poterat? Ad quod respondeo; Duas esse motiuas seu impulsiuas causas primarias harum ceremoniarum et rituum introductorum; Primam ac præcipuam, vt Deo, summo Creatori atque tantorum munerum Largitori, quotidiè à conscijs sacerdotibus gratia redderetur, conspecto hoc animali, vt visibili obiecto et quasi sacramẽto et symbolo externo, quod interiores pectoris motus ad Deum dirigere admoneret; Vtq; Sacerdotes iuniores huius rei nondum perfectam scientiam adepti ad inquisitionem eorum, quæ obscuriora erant, hisce hieroglyphicis characteribus incitarentur: Credibile enim est philosophorum discipulos hisce rudimentis se invicem exercuisse, inquirendo et consyderando rerum et animalium imagines seu figuras, vt perfecti theorici fierent, antequam praxi manum adhiberent: Vt enim quod manus antè notauit, mens facilius retinet, sic quod mens bene præmeditata est, id manus aptius pòst exprimit: Altera ac secundaria causa est respectu vulgi, tum vt hoc in officio & veneratione huius animalis, licet ignarum, contineretur, legibusq; morem gereret, tum vt non inquireret in acta et scripta Sapientum, Chymiæ artificium tractantium: Si enim nullus cultus externus huic rei adfuisset, Sacerdotes illi, non Sacerdotes, sed artifices chymici proclamati essent, et quilibet præ curiositate in eorum facta et effecta inqui-

Colendi bouis Duæ causæ impulsiuæ.

1.

2. Causa.

inquisiuisset; A quo timore per religionis prætextum liberi euaserunt, licet semper in Vulcani templo ignem fouerent, eiq; noctes et dies aduigilarent; Nam ita res sacra postulauit; Quæ intelligenti sufficient: Per taurum quoq; materiam philosophicam denotari, patet ex *Osiride* et *Iside*, antè satis declaratis, qui per Apim intelliguntur, cum *Osiridis* anima in Apim mortuum, Serapin post dictum, migrare dicatur: et quoscunq; honores *Osiridi* et *Isidi* debeant, eosdem Api impendere teneantur Aegyptij: Præterea sequentibus temporibus à Græcis semper eadem materia per boues allegoricè insinuata est, vt patet in Tauro Minois seu Minotauro labyrintho Cretensi incluso et à Theseo deuicto, ope Ariadnes; in bobus *Herculis* ex Hesperia seu Iberia Geryonis tricorporis, (Chrysaoris filij, sanguinis Medusæ nepotis,) abacti, nempe ex Pyrenæis montibus; in bobus solis in Trinacria pastis, in tauris ab Iasone sub iugum missis, et in alijs eiusmodi quàm pluribus: Color huic boui Api niger adesse debebat eandem ob causam, quia nigrum nigrius nigro est artis initium; In fronte autem vel alterutro latere macula alba crescentis lunæ, alias absq; maculis omninó requirebatur iuuenis, seu vitulus, sanus et generosus, quia ætas iunior, vt in ouis incubatui idoneis requiritur, sic et in materia philosophica; vtq; oua gallinæ sine gallo edita inutilia sunt, sic subiectum philosophicum, seu Apis absq; lunæ crescentis imagine vix quicquam prodest; Quartum annum Apis non excedit, quo præsente mergitur, et alius eius vice inquiritur, eodemq; modo nutritur, colitur et extinguitur; quia necesse est vt iuuenis maneat; Cursu enim Philosophiæ ter quaterq; absoluto, de nouo incipitur, vt *Typhon Osiridem* iterum interimat, et *Isis* sui coniugis membra de nouo recolligat: Alij dicunt Isidem esse lunam, *Osiridem* solem, cælestes, ijsque Apim sacrum, præsertim dictis maculis notatum; At illi Solem et Lunam philosophorum nunquam viderunt, ne quidem

per vmbram; hoc est, noctuæ sunt ad hunc solem, qui etiam noctu lucet intelligentibus, ignaris, sub tenebris tectus; *Caput enim artis,* inquit Hermes cap. I. *Est coruus, qui in nigredine noctis & claritate diei volat sine alis.* Habitaculum præterea aureum, quo Apis tenebatur, Vulcani fanum, quo nutriebatur, et cæteri cultus adhibiti idem attestantur: Quemadmodum autem imago bouis sculpta Chaos philosophicum, vt totum continens, denotauit, ita figuræ aliorum animalium vel partes totius vel operationis, pro cuiuslibet naturæ diuersitate, expresserunt; quas cum Aegyptiorum vulgus in Pyramidibus, columnis, statuis, templis alijsque locis pictas aut sculptas vná cum Api animaduertit, ijsque reuerentiam et silentium à Sacerdotibus impendi, eodem sensu et honore, quo Apim, cætera quoque bruta animantia colere cepit: Hæc est origo et radix brutalis superstitionis Aegyptiorum in colendis quibuscunque animalibus et plantis, ab Api eiusque hieroglyphicis exorta, inque mentes eorum proseminata et infixa; Dum enim signum pro signato appræhendit præ ignorantia, vt canis lapidem pro iactore præ bile, externæque superficiei inhæret, negligit interiora, quæ intellectu, non oculis, cernenda forent; dumque vmbram captat, rei essentiam perdit: Sic superstitio ex superstitione, et error ex errore natus est, conniuentibus ad hoc Sacerdotibus, ex causis prædictis; Nec verò fieri potuit, vt talis opinio cum lacte materno imbibita, pòst extirparetur, nisi monstratâ veritate, ob quam hæc talia et tanta ab antiquissimis ordinata, quod nullo modo fas erat; Hinc singulæ ferè ciuitates Aegypti sumpto à Memphi (quæ bouem colebat) exemplo, singula animalia venerari proq; numinibus habere ceperunt; Vnde et nominari se optárunt, tanquam à Dijs ortum ducentes, vt Bubastis à boue, sic Leontopolis à Leone, Lycopolis á Lupo, ab alijs aliæ: *Strabo* lib. 17. Geographiæ de ijsdem *Ægyptys,* eorumque ani-

Origo superstitionis Ægyptiæ.

Vnde animalia cepta coli in Ægyptò.

animalium cultus varietate sic scribit: Saitæ & Thebani ovem colebant præcipuè, Latum piscem Nili Latopolitani, Lupum Lycopolitani, Cynocephalum Hermopolitani, Cetum Babylonij, qui colebant iuxta *Memphim*, Aquilã Thebani, Leonem Leontopolitani, Capram & Hircum Mendesij, murem & araneum Athribitæ: Verùm cum nonnulli Ægyptiorum deorum immensum numerum producant, nos cæteris omissis præcipua saltem animalium Hieroglyphica perlustrabimus, vtpote Canis, Lupi, Felis, Leonis, Hirci, Ichneumonis, Cynocephali, Crocodili, Ibidis, Accipitris & Aquilæ. Canis Mercurio, vt custos affingitur, estq; ejus proprium Hieroglyphicum: Nam Canino capite Mercurium pingebant, quem Anubim vocârunt, velut singularem Deum Ægyptium; vt enim *Mercurius*, *Osiridis* & *Isidis* consiliarius seu minister vbiq; constituitur, ita Canis, quo vix animal sagacius est, huic sacer habetur: Hinc *Virgilius* Anubim appellat latratorem, seu caninos latratus edentem hoc versu: Omnigenûmq; Dìûm monstra & latrator Anubis. Lupos cur venerati sint, tradunt varias causas; alij ob similitudinem canum, alij quod, cum *Isis* vnà cum filio Oro bello dimicatura esset, *Osiris* in Lupi formâ, ab inferis & vxori & filio contra *Typhonem* auxilio venerit: Alij alias rationes fingunt: Verùm eandem esse causam introductionis figuræ Lupi, quæ Canis, ex circumstantijs satis apparet; *Anubis* & *Macedon*, vt ante dictum, fingebantur filij *Osiridis*, quorum ille Canis, hic Lupi insignia in armis gestaret; Hic *Anubis* habetur pro *Mercurio*, qui vel consiliarius vel officiarius est *Isidis*, non filius, & Orus solus natus dicitur ex *Osiride* & *Iside*: vnde constat, si pro hystoria rerum aut personarum hæc assumantur, in omnibus & singulis à seipsis refelli: Nihil autem aliud canis & lupus Hieroglyphicè designant, quam duas partes in vno Subjecto, quarum vna est cicurior & tractabilior seu minus fugax, altera ferocior & fugacior; Cumque *Anubis* fingitur canino capite, materia Philoso-

Cur præcipua animalia culta in Aegypto.

Canis.

Lupus.

Nota.

phica denotatur eo respectu, quo est stabilior & fixior; Cum Macedon Lupino, quo volatilior: *Lupus enim noster*, inquit *Rhasis* in Epistola, *in Oriente invenitur & Canis in Occidente; Iste momordit illum, & iste momordit istum, & fiunt rabidi ambo, et interficiunt se ad invicem donec fiat ex eis toxicum & Theriaca*: Hinc *Isis* de seipsa testatur, vt habet ejus columnæ inscriptio, quod sit in astro Canis refulgens; Et Author rythmorum Germanicorum; *Alexander*, inquit, *ex Persia scribit, Lupum & Canem in hac argilla esse educatos; tamen à Philosopho nobis indicatur, vtrumque vnam habere originem, Lupum scilicet ab Oriente provenire, Canem verò ab Occidente ortum habere.* Sic & Felis *Isidi* sacra habebatur eâdem ratione, quia *Isis* Lunæ cœlesti ac fæmineæ

Felis. naturæ assimilabatur, ac felis vicissitudines Lunæ tenere oculorum incremento ac decremento videbatur; vnde in præcipuo honore fuit apud superstitiosos Ægyptios felis, habebaturque capitale felem occidisse, vt *Diodorus* narrat exemplo cujusdam Romani plebeij & Regis Persici ob feli illatas injurias trucidatorum; Leonem veró vt animalium regem, qui victricis esset naturæ, calidæ & igneæ, nec

Leo. non sanguine aliorum victitaret, posuerunt, eoque sulfur leonina pelle insignitum denotârunt; de quo cum sæpius hisce libris dixerimus, vt notorium hic omittimus: Hircus

Hircus. idem cum *Typhone, Priapo, Phallo*, Satyris & Titanibus designare animadvertitur; cum enim sit animal ad libidinem pronum, vt patet ex *Virg. Egl. 3.*

Novimus & qui te transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphæ risere sacello.

Hinc pro generationis membro, quod *Osiridi*, aut ejus patri *Saturno*, aut avo Cœlo, detractum est, sumitur; & *Baccho*, qui *Osiris* est, sacer habetur, vt & *Phallus*, de quo inferius: Ichneumon murem figura referre traditur, vnde & Mus

Ichneumon. Indicus à quibusdam dicitur: Huic cum Crocodilo aiunt inter-

necinum bellum esse, cui cum viribus & magnitudine impar sit, astu hostem aggreditur, dum in illius dormientis fauces insilit, corrosisque intestinis ipsum prosternit; Hujus absque dubio rationem habuerunt antiquissimi qui ejus animalis figurâ, tanquam charactere Hieroglyphico primitus vsi sunt: Tale enim quid accidere in hoc naturali artificio tam notum est quam quod notissimum: Nam vnum, quod fixum est, jugulat reliquum, quod volatile, & sic ex vtroque fit Theriaca Medicina aurea: Nihil autem frequentius Cynocephalo in Ægyptijs symbolis visitur, idque ob naturam ejus animalis, quod Isidorus lib. 11. hoc modo describit: Cynocephalus est monstrum caput habens caninum, de quo narratur in lib. de Naturis rerum, quod vnus Cynocephalus fuit delatus regi Francorum Ludoico, caput habens ferè caninum, cætera verò membra sicut homo, crura quidem humano modo nuda, manus etiam & brachia, collum album ac nudum, dorsum verò pilosum, erectus vt homo stabat, & ita decenter et honestè sicut homo cibum manibus capiebat & ori inferebat: Hujus meminit *Augustin.* l. 2. c. 14. *De Ciuitate Dei*, vbi *Thomas Valois* addit, *Augustinum* per *Cynocephalum* intelligere *Mercurium* seu Hermetem Aegyptium; vnde & dicit *lib. 3. cap. 12. 16.* Miror sanè si ipsa scilicet, Deorum mater, Rhea, peperit Cynocephalum, quæ longè postea venit ex Ægypto: Hunc autem *Mercurium* seu *Hermetem* dicit *Isidorus* l. 8. *cap. vlt.* fuisse formatum cum capite canino; Nam Canis est animal sagacissimum, sic et ipse fuit sapientissimus: Hæc *Valois*: Huic animali, (si non ipsum est) persimile est Bavian dictum, cujus vt simiæ gestus sunt varij et disciplina mira: Ratio ex ante dictis conspicua est, cuj alij adjiciunt, quod mictu iterato viginti quatuor horas diej naturalis exprimat, ac ita solis motum in circulo repræsentet: De Crocodilis eorumque veneratione, Causæ quæ apud Aegyptios traduntur, absurdissimæ sunt; quia patriam securam præstent à prædonibus, qui metu horum à Nilo abstinere cogantur *Cynocephalus.* *Crocodilus.*

tur; quasi Crocodili sub aquis degentes potius hostem propulsare possint, quam ipsi Aegyptij sub eorum Crocodilorum tyrannide præoccupati et nunquam securi; cum Crocodilus omnibus prædonibus sit rapacior et crudelior, tam Aegyptijs, quá n exteris infestus, et aquis et terris metuendus: Menam verò á Crocodilo per paludem *Mæridis* vectum esse, quem sui canes persequerentur, ideoque a b eo mandatum, bestiam hanc pro Deo coli, eique vrbē Crocodilopolin dictam extrui, vt in Lupi honorem Lycopolin, in Leonis leontopolin, omnino incredibile est; Non á merito animalium id provenisse, sed ob physicam significationem arcanam, non omnibus notam, certo certius est: Hoc enim animal et aquis et terris degit; solumque ex quaprupedibus ovum parit; qua ratione ovum philosophicum verè exprimit; quod cum imperfectum sit, tamen omnia sibi necessaria intra se habet: De Ibide eadem est ratio, quæ deprædandis serpentibus Aegypto maximé salutaris habita est; Hæc avis *Isidi* et *Mercurio* sacra credebatur ob arcanas naturæ dotes, tum quod venenosa depascendo aerem salubriorem ac animalibus vitam tutiorem præstaret, tum quod ipsa sibi Clysteris injectione ab obstructionibus, quæ alvum interciperent, medicaretur. Accipitrem *Osiridi* sacrum putant, quia solaris avis videatur non solum ob oculorum aciem, quâ valet, sed etiam naturam igneam ad bella promptam; vnde illud *Ovidij*.

Ibis.

Accipiter.

Odimus accipitrem, quia semper vivit in armis.

Hæc enim Martiali vi cæteras aves in prædam vocat, sibique in sanginem convertit: Præ his omnibus veró Aquilam Reginam volucrum agnouerunt, et inter sacros characteres, quos Hieroglyphicos vocant Aegyptij, reposuerunt, easdem ob causas, quas antea, et post, vbi Aquilæ fit mentio, recensuimus: Præter has figuras Hieroglyphicas innumeræ aliæ reperiuntur, vt in Pyramidibus, Isidis mensa, ac similibus antiquissimis operibus Aegyptij, et

Aquila.

& inscriptionibus apparet, verum hæ nobis exempli vice hoc loco sufficient; Scribant alij de Hieroglyphicis Ægyptiorum magna commentaria, vt velint, vix tamen arbitor, absque *Vulcani* & *Mercurij*, imó Medicinæ (in quâ plurimum *Osiris* et *Isis* præstiterunt) verâ cognitione, & vsu eos quicquam nisi verba daturos, vtcunque ad morales, imó morosas, ac verè moras et meras tricas implicando explicent: Causa verissima, cur Dij crediti horum animalium formis gaudeant vel lætentur, vulgo ignota fuit, nisi quod putârint (vt supra sub prima causa meminimus) Deos territos ob metum Gigantum in Aegyptum aufugisse, ibique assumptis variorum animalium figuris se abscondisse; Hinc *Ovid.5.Met.* Cuilibet ex Dijs singulare animal asscribit, sub cujus tegmine latuerit, his versibus.

Huc quoque Terrigenam venisse Typhoea narrat,
Et se mentitis superos celâsse figuris.
Duxque gregis, dixit, fit Iupiter, vnde recurvis
Nunc quoque formatur Libycis cum cornibus Hammon,
Delius in corvo est, proles Semeleia Capro,
Felle soror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,
Pisce Venus latuit, Cyllenius Ibidis ales.

Præter animalium, aliarumque rerum figuras pro characteribus Hieroglyphicis vsurpatas, in singulis Aegyptiorum templis Harpocratis simulachrum visebatur, eâ forma, vt digito ori impresso silentium seruandum, & altera manu pudenda abscondens, libidinem detestandâ, innueret; idque non absque causa; Hæc enim quatenùs arcana arcanissima naturæ non omnibus insinuanda, vtque Dej dona preciosissima, ita non libidine aut luxuria dehonestanda sunt. *Harpocrates*

Sunt præterea monumenta haud dubia in *Aegypto* reliqua, quorum vel memoria extet in hystorijs vel vestigia hodierno quoque die obvia, de artificio Philosophico si non per se, tamen cum alijs iuncta evidens testimonium per- 4 *De alijs indicijs & Monumentis Aegyptiorum.*

pueri, ab Ægypto eâ consuetudine traducta. Verum in his ex ignorantia sacrarum literarum, originem circumcisionis apud Iudæos ab Aegyptijs deducit, cum econtrà fieri debeat; Postquam *Abraham* ex Dei ipsius iussu hunc ritum in posteros suos transmiserit, à quibus multi in Aegypto diuersis temporibus consederunt, ibique circumcisionem sine dubio propagârunt: In qua Israelitarum ex Aegypto eductione singulare quoque accidens abundantiæ diuitiarum auri et argenti apud Aegyptios apparet; Cum singuli ex Israelitis à Deo iubebantur aurea et argentea vasa mutuó accipere secumq; auferre; Vbi videtur et horum vasorum magnam copiam ibi fuisse et haud magnam æstimationem aut preciositatem, quod viri rustici, seruiles, alienigenæ, contra ipsius Regis nutum inde migraturi et redeundi animum non habentes, à vicinis suis Aegyptijs eadem inpetrârint; Nam præterquam quod Deus Aegyptiorum voluntatem in manu sua habuerit eóq; direxerit, tamen si priuati homines non multum auri & argenti ipsi habuissent, non potuissent alijs dare mutuò; Quod si hoc verum est de priuatis personis, quid æstimandum erit de Sacerdotibus et Regibus ipsis, quantum illi thesaurorum et opum ex metallis habuerint, de quibus legitur, quod propria reconditoria seu gazophylacia ad aurum & argentum reseruandum extruxerint, quod sanè mirum videri possit illo antiquo, non nostro tempore; Athenienses quoq; colonos Saitarum gentis Aegyptiæ asserere nituntur, vt patet ex Diodoro: qui inquit; Fuerunt & Aegyptij quidam Atheniensium duces: Dipetes enim Mnethei pater, cum esset Aegyptius, postmodum Atheniensium ciuis et rex factus est: Similiter & Erichtheum tradunt Aegyptium genere Atheniensibus imperasse, qui ex Aegypto Atheniensibus attulit frumentum, ob idq; beneficium eis regem constitutum, qui sumpto regno docuit eos ceremonias ac mysteria Cereris Eleusinæ ab Aegyptijs translata: Eam quoq; deam his temporibus coæuam Athenas frumenta comportasse dicunt & serere

Nota.

Athenienses.

Dipetes.

Erichtheus.

demandavit: Ex his postmodum sacerdotes, qui faciendis præessent sacris, ex successione manârunt: *Cadmus Minervam Lindiam* ornavit donis, in quêis olla fuit ærea admodum conspicua, antiquo more fabrefacta: In ea literis Phæniceis, quas aiunt primum ex Phænicibus in Græciam allatas, appellatasque Phæniceas, inscriptum erat, Terram Rhodum à serpentibus vastatum iri; quæ verba si ritè intelligantur, totam artem chymicam brevissimo Hierogyphico apertissimè evolvunt: Nam cur ollam eam *Minervæ* Deæ sapientiæ obtulit? cur æream, & quidem antiquo more fabrefactam? Cum enim hæc antiquissimo tempore contigisse dicantur, cur dicitur adhuc antiquo more fabrefactam ollam esse; nisi potiùs ad materiam, quam ad formam ibi respiciatur? Phæniceas literas Hieroglyphicas fuisse non est dubium, aut potiùs, Allegorici sensus, easdem cum Puniceis, quarum ante meminimus; Terra autem *Rhodus*, cum Allegoricè ibi accipiatur, Terra Philosophica est, quæ á Serpentibus devastanda erit, in quibus duobus, vt arcanissimis, nempe terra Rhodia (alia enim non valet) & serpentibus volatilibus & venenosis totum magisterium quiescit: ideoque hoc à *Cadmo*, quasi varidico spiritu, prædictum fuerat; Donum sanè æreum *Minervæ* (sapientiæ Deæ habitæ, vtpote ex Cerebro *Iovis* enatæ) oblatum non tanti erat momenti ob materiam nec formam, cum preciosiora dona Deæ offerenda essent, ex auro, gemmis & alijs, nisi quid Hieroglyphici Aegyptij continuissent; Huc accedit, quod omnia de *Cadmo* ferè fabulosa sint & chymiæ propria arcana denotent; quomodo nempe bovem sequutus varij coloris, vbi hic recubuit, ille vrbem condiderit, sociosque ad fontem miserit, à Dracone ingenti, *Typhonis* & *Echidnæ* filio, pòst extinctos; quem ipse *Cadmus* aggressus trucidarit, ejusque dentes in terram pro seminio sparserit, vnde enati Terrigenæ fratres in *Cadmum* irruentes: Cum verò *Cadmus* vnum eorum Lapide clam percussisset, inde intestino bello exorto se mutuò è medio sustulerunt: Hæc singula

Arcana. Nota.

esse accommodatissima veræ chymiæ Hieroglyphica opera nemo non videt, vt etiam in sequentibus demonstrabitur latiùs: Eòdem spectat, quod *Orpheus* Thebanorum amicus finxerit Dionysium, qui apud Aegyptios Osiris & Latinos Bacchus est, ex *Iove* & *Semele Cadmi* filia, natum, quasi primò post *Thebas* à *Cadmo* conditas *Dionysius* seu *Osiris* ortus dicatur, cum tamen longé ante *Cadmi* tempora apud *Aegyptios* celeberrimus fuerit, non quod reuerà Deus exstiterit, sed inter Hieroglyphicos pro primario, vt dictum, creditus & receptus: Ideoque Aegyptij scriptores tradunt, nugari Græcos, quod *Dionysium* apud sese natum ebuccinentur: *Diodorus* quoque nonnulla alia *lib. 2. c. 6.* de Aegyptijs recenset his verbis: Multa quoq; alia fabulosè de Aegyptijs feruntur, quæ adhuc nomine & opere perseuerant. Nam in vrbe Achanta trans *Nylum*, Libyam versus procul à *Memphi* stadijs 150. vas est perforatum; ad quod singulis diebus sacerdotes 360. aquam ex *Nilo* deferunt: Asini etiam ficti fabula monstratur in quadam celebritate: Nodos enim, quos vnus in principio longioris funis complicat, alij post sequentes dissolvunt. *Melampodem* insuper ferunt *Dionysii* sacra ab Aegyptijs ad Græcos transtulisse, quæve de *Saturno* feruntur, deque Titanum pugna, hystoria postremò omnem Deorum passionem docuisse. *Dædalum* quoque aiunt imitatum esse labyrinthi errores, qui ad hoc vsque tempus manet. Hunc aliqui ædificasse dicunt Mendetum, alij Maronem multò antequam *Saturnus* regnasset. Numerus priscarum apud Aegyptios statuarum idem est, qui est à *Dædalo* Græcis factus. Templi *Vulcani* vestibuli, quod pulcherimum in Memphi situm est, *Dædalum* architectum fuisse constat, obque eam rem à populo statuâ ligneâ in templo, quæ ab ipso fabricata sit, donatum. Huic propter artis præstantiam, multaque ab eo inuenta, magna gloria adepta deorum honores accolæ impenderunt: In vna enim *Memphis* insularum templum nunc quoq; est *Dædalo* dicatum; Hæc *Diodorus*; Cum Græci arcana Aegyptia potissima resci-

Fabulosa alia de Ægyptijs.

Melampus.

Dædalus.

Templum Vulcani pulcherrimum.

rescivuerint, ceremonias quoque et ritus sacros quibus illa tegi simul et propagari possent, receperunt; Hinc fabula de *Danai* filiabus, vas perforatum aqua replentibus, ac reliqua ejusmodi apud Græcos celebrata sunt; Templũ *Vulcani* quoque preciosissimum apud Ægyptios fuisse *Diodorus* narrat, quia vt dictum á *Vulcano* et *Mercurio* ferè omnia sua bona post Deum habuerunt: Tradit quoque idem author in Ægypto *Orpheum*, Musæum, *Melampodem*, *Dædalum*, *Homerum poetam*, *Spartanum Lycurgum*, *Solonem Atheniensem*, *Platonem Philosophum*, *Samium Pythagoram*, *Eudoxum Mathematicum*, *Democritum Abderitem* et *Inopidem Chium* fuisse, suasque scientias, artes & doctrinas didicisse: quod si verum est, vt in eo consentiunt omnes hystorici, constat ab his tanquam ducibus omnium bonarum literarum, legum et institutorum, nec non ceremoniarum, de Dijs Hieróglyphicis opinionum & figmenorum originem et radicem primam emanasse ad Græcos aliosque populos, atque sic per totum ferè terrarum orbem successu temporis propagatam esse: Quid enim Poetæ et Theologi Ethnicorum habent, quod non ex *Orpheo*, *Musæo* & *Homero* hauserint? Quid antiquorum legislatores memoratu dignum habuerunt, quod non á *Lycurgo*, Soloneque transtulerint? Quid denique Philosophi tot sectarum principes in scientijs jactârunt, quod non á *Platone*, *Pythagora*, *Eudoxo*, *Democrito*, alijsque tanquam per manus traditum acceperint? Itaque hj omnes sua dogmata ex Aegypto, artium nutrice & opinionum matre domum deportârunt; quæ licet diversa videantur & nonnulla eorum inter se pugnare, ex Hieroglyphica & Allegorica doctrina tamen ea varietas duntaxat contigit; Quocirca omnes ferè religiones Ethnicæ in orbe tũ temporis noto, literæ & leges ex Ægypto exortæ sunt; *Iamblichus* in libro de mysterijs idem, at paulò aliter, attestatur; Ægyptij, inquit, scriptores, putantes omnia inventa esse à *Mercurio*, suos libros *Mercurio* inscribebant: *Mercurius* præest sapientiæ & eloquio: *Pythagoras*, *Plato*, *Democritus*,

Qui Græci ad Aegyptos doctrinæ gratia iverint.

Ex Aegypto omnes artes.

critus, *Eudoxus* & multi alij ad Sacerdotes Aegyptios iuerunt: Dogmata hujus libri ſunt Aſſyriorum et Ægyptiorum, & ex columnis *Mercurij*: *Pythagoras* & *Plato* didicerunt Philoſophiam ex columnis *Mercurij* in Aegypto: Columnæ *Mercurij* plenæ doctrinis: Hæc ille: An verò hæ columnæ fuerint illæ, quarum meminimus de *Oſiride* et *Iſide*, aut aliæ Hieroglyphicis prorſus literis (quales ſunt illæ quæ hodierno quoque die Romæ viſuntur non procul á Porta Populi, ad S. *Iohannem Lateranenſem*, ad Diuam *Mariam* Majorem, & alibi) ſculptæ, triangulis, quadrangulis, circulis, ſerpentibus, & innumeris ejuſmodi animalibus mirabiles & refertæ, in obſcuro manet. *Ioſephus* quoque meminit in antiquitatum libris á primis patribus ante diluvium, duas lapideas, vnam marmoream, alteram lateritiam, tabulas ſeu columnas, ſeptem artium liberalium inſcriptione, ne hæ perirent aquis vel igne, ſed ad poſteros tranſmitterentur, inſignitas, erectas fuiſſe, quarum fortè & alij antiquiores ſcriptores mentionem faciunt; Ex recentioribus, *Bernhardus* comes, aliorum monumentis edoctus Hermetem inveniſſe primum illas tabulas refert, dum inquit; De hoc verò Hermete legitur in Biblijs; ipſum intraſſe in vallem Ebron primum & ibidem inveniſſe lapideas tabulas ſeptem, quibus inſculptæ fuerant á ſapientibus, priuſquam inundatio fieret aquarũ, ſeptem artes liberales, cuique ſuis ſolum in principijs, ne tranſirent in oblivionem. Quod etiamſi nos in textu bibliorum ſacrorum non legamus, tamen credibile eſt hauſtum ex gloſſis antiquorum ſcriptorum: Ratio his adſtipulatur in hunc modum; Quod ſi *Adam* omnium rerum creatarum eſſentias cognovit intus & extus, vt in ſacris traditur, dum nomina à cujuſque natura ijs impoſuerit, Et ſi antiquiſſimorum illorum patrum vita adeo longæva potius in conſideratione & ſpeculatione divinorum operum, quám alijs operationibus vilioribus peracta ſit, quis neget, ſcientias omnes reales, non phantaſticas et imaginarias (quales quædam pòſt introductæ ſunt, vt eſt ratiunculâ

Columnæ Mercurij.

producta

productâ nigrum facere album et album nigrum) in mente et vsu illorum patrum extitisse? Quod si in consyderatione et opere, non iniuriâ et de harum propagatione fuerunt solliciti in posteros; Prolem enim suæ mentis vt reseruarent æquè, ac corporis, hoc fortè medio vsi sunt; si veró quis *Iosepho*, alijsque in his contradicat, per nos licebit; satis ex antè dictis nostræ Propositionis demonstrationes sese insinuant: Vitrum, quod lapis artificialis pellucidus dici posset, et propriè ad chymiam spectare, ab antiquissimis quoq; temporibus Aegypto eiq; vicinæ Aethiopiæ innotuit; Ex eo enim Aethiopum sepulturas fieri *Diodorus* testatur; Salientes, hic inquit, corpora inq; vasis vitreis nuda condentes supra columnas ponunt: Ita per vitrum defuncti corpus aspicitur, quemadmodũ scribit Herodotus, quod Cnidius Ctesias improbat: Ait enim saliri corpora, ideoq; corruptam non posse speciem seruare, sed statuas aureas cauas fieri, in quibus mortuos ponant vitro circumposito: Quo fit, vt in locis superioribus sitæ circumstante vitro imago aurea defuncto similis reddatur aspicientibus: Et hæc ditiorum Sepulchra esse affirmant: Tenuiores argenteas imagines ponũt, inopes veró fictiles. Vitrum abundè cum plurimum fiat in Aethiopia, omnes habent. Hæc ideo afferenda putauimus, cùm Aethiopes aliquando Aegyptijs, et hi illorum magnæ parti, imperârint, ne quis ex vasorum, nunc ad chymiæ vsum requisitorum, defectu tum existente, vt opinari posset, aliter, quàm res est, concluderet: Quó et spectat, quod admirabile est, & adhuc Cairi, (Memphis olim dicti) obseruatur, oua gallinacea ab Aegyptijs solis per artificium furnorum excludi posse; idq; ab antiquo et longè ante natum Christum tempore: Sic enim *Diodorus* l. 2. c. 3. de hoc plus quam chymico artificio Ægyptiorum scribit: Nam qui, inquit, aues et anseres nutriunt, præter earum, quæ apud alios homines habentur procreandi naturam, adeò illis indulgent, vt in numerũ dictu mirabilem avium euadant. Non enim ovis incubant aues, sed ipsi ingenio & naturali

Vitrum in Ægypto ab antiquis temporibus.

Nota.

naturali arte ex ovis præter cæterorum consuetudinem educunt fætus: Non immeritò quoq; ex Aegyptiorum regum stupendis Sepulchris et miraculosis monumentis Pyramidum, idem convincere possemus: Quamvis enim Aegyptij ex naturæ operibus de animæ humanæ immortalitate, vel aliàs, certiores facti, ideo magnifica Sepulchrorum Mausolêa reliquerunt, negligentes interim domus ædificandæ curam, quod, vt *Diodorus* de his loquitur, domos nostras diuersoria appellent, tanquam breui tempore à nobis inhabitandas, defunctorum Sepulchra, sempiternas domos, tamen eorum potentiam, diuitias, animi constantiam, et supra humanitatem quid tentantium effectus et opera adhuc ibi locorum videmus, quasi æterna et ad finem mundi duratura; quæ à quibus extructa sint, supra diximus; Hæ inquam *Pyramides*, vt *Diodorus* l.2.c.2. refert, versus Libyam spectant longè à Memphi stadijs 120. à Nilo autem 45. quæ et artificio & operis magnitudine mirabili stuporem præberent aspicientibus: Earum maxima quatuor est laterum, quorum quodlibet ab inferiori parte iugera septem continet: altitudo amplius, quam 6. iugera tollit: Latus quodlibet deducta paulatim vsque ad verticem altitudine continet cubitos 65. Ex lapide duro difficilique ad tractandum sed æternum permansuro structura omnis constat. Nam fermè mille annis, vt aiunt quidam, vt alij tradunt, amplius tribus millibus quadringentis, ad nos vsque ea moles integra permansit. Ferunt eos lapides ex *Arabia* longo admodum itinere aduectos: Aggeribus autem fabricata est, nondum eo tempore inuentis machinis; opus certé mirabile, præsertim in terra vndique arenosa, vbi nulla neq; aggeris, neque cæsi lapidis sint vestigia, vt non ab hominibus, sed à dijs tanta moles structa videatur. Conantur Aegyptij mira quædam de his fabulari, ex sale et nitro aggeres eos factos, posteaque Nili incremento liquefactos absque hominum labore penitus defecisse: Verum id procul à vero abest. Nam et multitudine hominum

Pyramides Ægypti.

minum agger constructus & multitudine deletus est; Trecenta enim & sexaginta hominum millia, vt aiunt, ad id opus deputata sunt, quod viginti fermè annis absoluerunt. Pecunia omnis ad opus eius impensa, vt olera tantum herbasque (is enim cibus opificum fuit) ad mille et sexcenta talenta excessisse dicitur: Præter hanc sunt et aliæ, ex quibus aliæ alijs sunt minores: At nemo eorum, qui struxerunt eas Pyramides, in ijs sepultus traditur: Quidam, vt ex eodem antè retulimus, maioris asserunt Armeum extitisse conditorem, secundæ Amasim, tertiæ Masum, quam volunt quidam Rhodopis Sepulchrum fuisse: Verùm de harum Pyramidum auctoribus nil certi neque apud incolas, neque apud scriptores constat. Hactenus *Diodorus*: Nos tempore antiquissimo, nempe eo, cum populus Israëliticus in Ægypto lateribus coquendis et stipulis per agros congerendis fatigaretur, extructas esse, colligimus potius ad opum ostentationem, quàm regum Sepulchra: *Barbara* Pyramidum, inquit Martialis, sileat miracula Memphis, etc: Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheâtro; Verum Amphitheatrum illud, non minus prælustre opus, nunc in ruderibus ferè positum est, *Pyramides* veró, quæ tot millibus annorum ante Amphitheatrum steterant, adhuc perdurant integræ: Ab ingenio itaque subtilissimo, ab animo vere magno, et à manu largissima has profluxisse, ab effectu patet: *Plinius* Lib. 26. c. 12. ait, *Pyramides* illas in Ægypto nihil aliud fuisse, quam regũ pecuniæ ociosam et stultam ostentationem; quippe cum faciendi eas causa à plærisque tradatur, ne pecuniam successoribus aut æmulis insidiantibus præberent. Quod veró inter mundi miracula numeratum est non immerito, hoc opus quoque ab arte miraculosa, cum cætera omnia correspondeant, perfectum, mundoque pro testimonio quasi æterno relictum esse, rationi consonum est. Verum de his satis: Vt cætera opera Ægypti magnificentissima prætereamus, inprimis suspiciendum

Nota.

Templum Beli Babilonici.

est Semiramidis *Babylonica*, quæ et Aegypto imperavit, templum Iovi Belo erectum, in cuius summo tres ingentes aureas statuas Iovis, Iunonis, Opisq; erexit, quarum Iovis, vt *Diodorus* inquit, adhuc extat longitudine pedum 40. mille *Babyloniorum* talentorum ponderis: Opis simili pondere in sella aurea residet, ad cuius genua duo adstant leones, iuxtaq; serpentes argentei ingentis magnitudinis, ponderis quilibet est talentorum 30. Iunonis stans signum ponderis est talentorum 800. Huius dextera caput serpentis tenet, sceptrum lapideum sinistra: His omnibus communis erat mensa aurea manu facta, longitudinis pedum 40 duodecim latitudinis, ponderis talentorum 50. Et eiusmodi plura, quæ *Diodorus* et alij scriptores recensent: Quæ etsi quis ad Deorum gentilitiorum cultum vsitatum referat, tamen Chymica omninó esse, quo ad originem et inuentionem, clarissimé constat: Belus enim, vt anté narratum, ex Aegyptijs Sacerdotibus in *Babyloniam* colonias et sacra Aegyptia deduxerat; Vt ita ars Aegyptij arcani conscia eodem translata sit; Adhæc *Iupiter* et Iuno sunt coniuges, nihilominus frater et soror; Sic et Saturnus Opisq; quæ mater est vtriusq; Saturnoq; lapidem pro Ioue obtulit deuorandum; In aurea reuera sedet sella, eiq; adstant leones et serpentes; addam, vnus volatilis, alter non; de quibus Chymicorum libri scatent, ideoq; hic non repetendis: At cur Opis dextrâ caput serpentis tenet, sinistrâ verò Lapideum sceptrum? Quia ita oportuit hieroglyphicè adumbrare, de qua re et in cuius memoriam hæc simulachra posita essent: Sceptrum aliàs ex auro est, sed hoc ex Lapide, qui auri pater est subter et supra terram; Opis autem vtriusq; mater: Communis est mensa omnibus aurea; Quia ex tribus duo, et ex duobus vnum fit: In Aegypto quoq; apud Heliopolitas (eædem enim Heliopolis et Thebæ sunt) priscis temporibus inuenta esse tradunt et iræ et doloris Medicamenta; Ideoq; *Diodorus* inquit, Homerum apud Aegypti-

os commoratum finxisse ab *Helena* in præteritorum oblivionem potionem *Telemacho* datam, NEPENTHES dictam; Hac ratione non immerito omnia hæc opera ejusdem Medicamenti vi et facultate producta esse auguramur; Medicamentũ enim, quod Animi dicitur, inscriptione *Simendij*, superius relata, si iræ et dolori medetur, si (vt Ianus Lacinius annotat) est ægritudinum hominum cum animi tum corporis efficax medicina; quippe quod perturbationes omnes expellit, bonosque viros, id est, alieni non invidos efficit similiter et conservat; si quoque, vt idem testatur, corporeos humores, si qua excesserunt, adæquat et constituit, imbecillemque senectam valentem inducit et confirmat, Cur non hoc quoque, quod in potentia existit, in actum deducat? Venerem Aegyptij ex antiquo nomine auream appellant, agrumque esse constat aureæ Veneris prope *Memphim*: Non sine causa *Saturni* exenterati abjectum pondus, vnde Venus nata dicitur, aureo dignantur nomine et honore; quia reverà mater est omnis œstri Philosophicj; Habet enim Cupidinem, qui Dijs aureis quoque dominatur, inque ijs libidinem incendit: Notandus & mos medicandi pueris apud Aegyptios; qui pro pueris ægris Dijs quibusdam vota faciunt, ac si pueri de morbo euaserint, radunt capillos ac in auro argentove ponentes, dant munus Magis.

Nepenthes medicina dolorifuga ab Aegyptijs facta fuit.

Venus Aurea Aegyptij.


Quæ huc vsque maximâ ex parte ex Aegyptiorum monumentis vt antiquissimis, sic arcanissimis adducta fuerunt, satis superque conuincunt, omnia illa opera ad Chymiam, hoc est, Medicinam auream, de aureo medicamento corporis & animi agentem, proprijssimé referri debere, nullisque alijs rebus, nisi perperàm, accommodari posse: Verùm cum non nemo de Medicinâ, toties inculcatâ, dubitare queat, quasi illa non tanti momenti sit, nihilq; amplius præstiterit, quam aliæ medicinæ nostratis ævi, multo magis, si de Lapide Philosophico aut Aurificio, seu Chrysopæa hæc à nobis intelligantur, præconcepto judicio

cio omnia vana, irrita, nec rationi, nec naturæ consentanea, pronunciabunt nonnulli; idque ideó, quod ipsi modum perficiendi ea secundum artem, quæ naturæ sunt opera, non capiant aut intelligant, nec artifices ejusmodi (præter vulgatos, potiùs fraude & paupertate, quàm vero artificio et divitijs celebres) palám adhuc talia et tanta operantes, videant: His ijsque similibus obiectionibus negativé concludentibus, et ab ignorantia juris et facti (quod aiunt) dependentibus (Cum hisce æquè cœlestia quam terrestria eâdem facilitate et audacia evertere liceat, in contrarium tot experimentis vtròbique extantibus) sic respondemus: Quod Ægyptij, eorumque sequaces Græci antiquissimi Medicinam auream habuerint, quâ illi ad divitias quoque comparandas vsi sint, præterquam ad valetudinem corporis sustentandam, hactenùs dicta satis convincunt, & ab hystoricis antiquis post *Diocletiani* tempora memoriæ proditum est; Verùm hic meæ propositionis scopus non fuit, nisi forté secundarius, qui se ipsum sufficienter comprobet, si saltem de Medicina, quam primariò mihi demonstrandam sumpsi, constaret: Vnius enim Subjecti multæ & variæ possunt esse vires, efficaciæ, virtutes, fines et effectus, licet non omnes ad vnam eandemq; intentionem dirigantur; quod in auro, subjecto nobilissimo, conspicitur; quo medici vtuntur ad sanitatem hominis curandam, fabri ad alia opera inde conficienda, alij ad ornatum & pompam, non pauci ad lucrum & censum; (quid enim non perficit aurum?) Ita & de Medicina illa aurigena sentiendum est, qua non diffitemur multos Ægyptiorum regum ad luxum et diuitias, nec non Idololatriam introducendam, & sub silentio arcanissimorum confirmandam, abusos esse; alios quoque haud paucos ad divinam gloriam, proximi vtilitatem et corporis humani sanitatem conservandam: A potiori autem denominatio cum fieri debeat, ac plus id sit in hac humanæ vitæ fragilitate & brevitate, juxta præceptum

Dej

Dei, proximum diligere, vt se ipsum, eique in necessitatibus ac morbis, qui corpus affligunt, succurrere mandantis, quàm divitijs solam operam impendere, & sibi vni vivere; Idcirco hæc ars meritò à nobis appellata MEDICINA, quæ aureum animi & corporis Medicamentum perfecit, eoque nomine longo tempore investigata est.

Finis Libri primi.



LIBER



LIBER SECVNDVS.

DE HIEROGLYPHICIS GRÆCORVM, AC Primó de Allegorijs auro magis CONSPICVIS.



I RELIGIONVM APVD Omnes Gentes diversissimarum quocunque tempore receptarum initium & originem primam repetamus, á probabilibus causis eas semper extitisse reperiemus: Antiquissimam veteris Testamenti apud Patres ante diluvium, & post ab *Abrahami* ætate ad ad Israelitas propagatam, vt verissimam amplectentes à cæteris omnibus excipimus, vtpote à Deo ipso instituta[m] & miraculis innumeris demonstratam, cuj Christiana NOVI TESTAMENTI successit, omni exceptione major professio: De Ethnicorum præsertim Idololatria, seu falsorum numinum veneratione & cultu dicimus: Huic occasionem absque dubio præbuisse causas ad speciem, non omnino fictas aut falsas creditas, sed rationabiles, verisimiles et multorum consensu stabilitas: Sic ferè vniversus mundus (exceptâ Iudæorum Polytia) Numina tum à Romanis, à quibus imperabatur, hausit; Romani â Græcis, Græci ab Ægyptijs; Ægyptiorum vulgus à Sacerdotibus, sacerdotes à *Vulcano* & *Mercurio*, *Osiride* & *Iside*, fictis & aureis suis numinibus ac saltem nominibus existẽtibus, rem

Dij ab omnibus gentibus recepti, à Vulcano & Mercurio orti.

rem verò longè aliam significantibus, omnem sacrificiorum vsum & ritum mutuati sunt; de quibus hactenus sub Aegyptiorum Hieroglyphicis satis dilucidè disserui-mus.

Præter dictos autem *Osiridem, Isidem,* & *Orum Ægyptij* antiquissimi etiam aliorum Deorum nomina vsurpârunt, præsertim duodecim, nempe *Iovis, Neptuni, Martis, Mercurij, Vulcani, Apollinis, Iunonis, Vestæ, Cereris, Veneris, Dianæ* & *Minervæ*, quorum sex sunt Masculini, & totidem fæminei sexus, ijque Dij magni magnarum gentium crediti sunt, pòst ad Græcos, & ab his ad Romanos translati. Nam vt Natalis testatur, alijs fiebant è ligno simulachra vel fictilia, & non sculpebantur ex auro vel argento vel ebore, nisi magni Dij, cum Plebeij è quavis materia fierent antiquitus. De his *Herodotus* in *Euterpe*, *Duodecim*, inquit, *Deorum nomina primos Ægyptios existimasse, atque Græcos ab illis cepisse, eosque primos aras & imagines & Templa Dijs sibi erexisse*. Quòd verò Græci, & quinam ex illis primi ad Ægyptios transierint, ipsorum sacra in Græciam retulerint, ipsius *Diodori* verbis demonstrabimus; Hic lib. 2. cap. 6. Nunc inquit, qui Græci sapientiâ & doctrinâ præditi in Aegyptum priscis temporibus transierint: vt leges & doctrinam illorum perciperent, recensebimus: Scribunt eorum Sacerdotes, in sacris contineri libris, transisse primum ad Aegyptios *Orpheum, Musæum, Melampodem, Dædalum, Homerum* Poetam, et Spartanum Lycurgum; Deinceps *Solonem* Atheniensem, *Platonem* Philosophum ac *Samium Pythagoram*; *Eudoxum* quoque Mathematicum ac *Democritum* Abderitem, & Inopidem Chium. Omnium veró monstrantur vestigia, quorundam imagines, nonnullorum loca, tum ab eis, tum á doctrina, quã secuti sunt, denominata: In Aegypto certè perceperunt omnia, quæ illos apud Græcos admirabiles fecêre. Nam *Orpheum* hymnos Deorum plurimos, orgia et inferorum fictionem attulisse tradunt; *Osiridis* sane ceremonias et *Dionysii* easdem esse, similesq; esse *Isidis Cererisque* nomi-

Dij Ægyptij 12. magnarum gentium dicti.

Græci ab Aegyptiis doctrinas acceperunt.

Qui Græci primo in Aegyptum transierint.

esse accommodatissima veræ chymiæ Hieroglyphica opera nemo non videt, vt etiam in sequentibus demonstrabitur latius: Eodem spectat, quod *Orpheus* Thebanorum amicus finxerit Dionysium, qui apud Aegyptios Osiris & Latinos Bacchus est, ex *Iove* & *Semele Cadmi* filia, natum, quasi primò post *Thebas* à *Cadmo* conditas *Dionysius* seu *Osiris* ortus dicatur, cum tamen longè ante *Cadmi* tempora apud *Aegyptios* celeberrimus fuerit, non quod reuerà Deus extiterit, sed inter Hieroglyphicos pro primario, vt dictum, creditus & receptus: Ideoque Aegyptij scriptores tradunt, nugari Græcos, quod *Dionysium* apud sese natum ebuccinentur: *Diodorus* quoque nonnulla alia *lib.* 2. *c.* 6. de Aegyptijs recenset his verbis: Multa quoq; alia fabulosè de Aegyptijs feruntur, quæ adhuc nomine & opere perseuerant. Nam in vrbe Achanta trans *Nylum*, Libyam versus procul à *Memphi* stadijs 150. vas est perforatum; ad quod singulis diebus sacerdotes 360. aquam ex *Nilo* deferunt: Asini etiam ficti fabula monstratur in quadam celebritate: Nodos enim, quos vnus in principio longioris funis complicat, alij post sequentes dissoluunt. *Melampodem* insuper ferunt *Dionysii* sacra ab Aegyptijs ad Græcos transtulisse, quæve de *Saturno* feruntur, deque Titanum pugna, hystoria postremò omnem Deorum passionem docuisse. *Dædalum* quoque aiunt imitatum esse labyrinthi errores, qui ad hoc vsque tempus manet. Hunc aliqui ædificasse dicunt Mendetum, alij Maronem multò antequam *Saturnus* regnasset. Numerus priscarum apud Aegyptios statuarum idem est, qui est à *Dædalo* Græcis factus. Templi *Vulcani* vestibuli, quod pulcherimum in Memphi situm est, *Dædalum* architectum fuisse constat, obque eam rem à populo statuâ ligneâ in templo, quæ ab ipso fabricata sit, donatum. Huic propter artis præstantiam, multaque ab eo inuenta, magna gloria adepta deorum honores accolæ impenderunt: In vna enim *Memphis* insularum templum nunc quoq; est *Dædalo* dicatum; Hæc *Diodorus*; Cum Græci arcana Aegyptia potissima resci-

Fabulosa alia de Ægyptijs.

Melampus.

Dædalus.

Templum Vulcani pulcherrimum.

resciuerint, ceremonias quoque et ritus sacros quibus illa tegi simul et propagari possent, receperunt; Hinc fabula de *Danai* filiabus, vas perforatum aqua replentibus, ac reliqua ejusmodi apud Græcos celebrata sunt; Templũ *Vulcani* quoque preciosissimum apud Ægyptios fuisse *Diodorus* narrat, quia vt dictum á *Vulcano* et *Mercurio* ferè omnia sua bona post Deum habuerunt: Tradit quoque idem author in Ægypto *Orpheum*, Musæum, *Melampodem*, *Dædalum*, *Homerum poetam*, *Spartanum Lycurgum*, *Solonem Atheniensem*, *Platonem Philosophum*, *Samium Pythagoram*, *Eudoxum Mathematicum*, *Democritum Abderitem* et *Inopidem Chium* fuisse, suasque scientias, artes & doctrinas didicisse: quod si verum est, vt in eo consentiunt omnes hystorici, constat ab his tanquam ducibus omnium bonarum literarum, legum et institutorum, nec non ceremoniarum, de Dijs Hieróglyphicis opinionum & figmentorum originem et radicem primam emanasse ad Græcos aliosque populos, atque sic per totum ferè terrarum orbem successu temporis propagatam esse: Quid enim Poetæ et Theologi Ethnicorum habent, quod non ex *Orpheo*, *Musæo* & *Homero* hauserint? Quid antiquorum legislatores memoratu dignum habuerunt, quod non á *Lycurgo*, Soloneque transtulerint? Quid denique Philosophi tot sectarum principes in scientijs jactârunt, quód non á *Platone*, *Pythagora*, *Eudoxo*, *Democrito*, alijsque tanquam per manus traditum acceperint? Itaque hj omnes sua dogmata ex Aegypto, artium nutrice & opinionum matre domum deportârunt; quæ licet diversa videantur & nonnulla eorum inter se pugnare, ex Hieroglyphica & Allegorica doctrina tamen ea varietas duntaxat contigit. Quocirca omnes ferè religiones Ethnicæ in orbe tũ temporis noto, literæ & leges ex Ægypto exortæ sunt; *Iamblichus* in libro de mysterijs idem, at pauló aliter, attestatur; Ægyptij, inquit, scriptores, putantes omnia inventa esse à *Mercurio*, suos libros *Mercurio* inscribebant: *Mercurius* præest sapientiæ & eloquio: *Pythagoras*, *Plato*, *Democritus*,

Qui Græci ad Aegyptos doctrinæ gratia iverint.

Ex Aegypto omnes artes.

critus, *Eudoxus*, & multi alij ad Sacerdotes Aegyptios iuerunt: Dogmata hujus libri sunt Assyriorum et Ægyptiorum, & ex columnis *Mercurij*: *Pythagoras* & *Plato* didicerunt Philosophiam ex columnis *Mercurij* in Aegypto: Columnæ *Mercurij* plenæ doctrinis: Hæc ille: An verò hæ columnæ fuerint illæ, quarum meminimus de *Osiride* et *Iside*, aut aliæ Hieroglyphicis prorsus literis (quales sunt illæ quæ hodierno quoque die Romæ visuntur non procul á Porta Populi, ad S. *Iohannem Lateranensem*, ad Diuam *Mariam* Majorem, & alibi) sculptæ, triangulis, quadrangulis, circulis, serpentibus, & innumeris ejusmodi animalibus mirabiles & refertæ, in obscuro manet. *Iosephus* quoque meminit in antiquitatum libris á primis patribus ante diluvium, duas lapideas, vnam marmoream, alteram lateritiam, tabulas seu columnas, septem artium liberalium inscriptione, ne hæ perirent aquis vel igne, sed ad posteros transmitterentur, insignitas, erectas fuisse, quarum fortè & alij antiquiores scriptores mentionem faciunt; Ex recentioribus, *Bernhardus* comes, aliorum monumentis edoctus Hermetem invenisse primum illas tabulas refert, dum inquit; De hoc verò Hermete legitur in Biblijs; ipsum intrasse in vallem Ebron primum & ibidem invenisse lapideas tabulas septem, quibus insculptæ fuerant á sapientibus, priusquam inundatio fieret aquarũ, septem artes liberales, cuique suis solum in principijs, ne transirent in oblivionem. Quod etiamsi nos in textu bibliorum sacrorum non legamus, tamen credibile est haustum ex glossis antiquorum scriptorum: Ratio his adstipulatur in hunc modum; Quod si *Adam* omnium rerum creatarum essentias cognovit intus & extus, vt in sacris traditur, dum nomina à cujusque natura ijs imposuerit, Et si antiquissimorum illorum patrum vita adeo longæva potius in consideratione & speculatione divinorum operum, quám alijs operationibus vilioribus peracta sit, quis neget, scientias omnes reales, non phantasticas et imaginarias (quales quædam pòst introductæ sunt, vt est ratiunculâ producta

Columnæ Mercurij.

productâ nigrum facere album et album nigrum) in mente et vsu illorum patrum extitisse? Quod si in consyderatione et opere, non iniuriâ et de harum propagatione fuerunt solliciti in posteros; Prolem enim suæ mentis vt reseruarent æquè, ac corporis, hoc fortè medio vsi sunt; si veró quis *Iosepho*, alijsque in his contradicat, per nos licebit; satis ex antè dictis nostræ Propositionis demonstrationes sese insinuant: Vitrum, quod lapis artificialis pellucidus dici posset, et propriè ad chymiam spectare, ab antiquissimis quoq; temporibus Aegypto eiq; vicinæ Aethiopiæ innotuit; Ex eo enim Aethiopum sepulturas fieri *Diodorus* testatur; Salientes, hic inquit, corpora inq; vasis vitreis nuda condentes supra columnas ponunt: Ita per vitrum defuncti corpus aspicitur, quemadmodũ scribit Herodotus; quod Cnidius Ctesias improbat: Ait enim saliri corpora, ideoq; corruptam non posse speciem seruare, sed statuas aureas cauas fieri, in quibus mortuos ponant vitro circumposito: Quo fit, vt in locis superioribus sitæ circumstante vitro imago aurea defuncto similis reddatur aspicientibus: Et hæc ditiorum Sepulchra esse affirmant: Tenuiores argenteas imagines ponũt, inopes veró fictiles. Vitrum abundè cum plurimum fiat in Aethiopia, omnes habent. Hæc ideo afferenda putauimus, cum Aethiopes aliquando Aegyptijs, et hi illorum magnæ parti, imperârint, ne quis ex vasorum, nunc ad chymiæ vsum requisitorum, defectu tum existente, vt opinari posset, aliter, quàm res est, concluderet: Quó et spectat, quod admirabile est, & adhuc Cairi, (Memphis olim dicti) obseruatur, oua gallinacea ab Aegyptijs solis per artificium furnorum excludi posse; idq; ab antiquo et longè ante natum Christum tempore: Sic enim *Diodorus* l. 2. c. 3. de hoc plus quam chymico artificio Ægyptiorum scribit: Nam qui, inquit, aues et anseres nutriunt, præter earum, quæ apud alios homines habentur procreandi naturam, adeó illis indulgent, vt in numerũ dictu mirabilem avium euadant. Non enim ovis incubant aues, sed ipsi ingenio & naturali

Vitrum in Ægypto ab antiquis temporibus.

Nota.

minum agger constructus & multitudine deletus est; Trecenta enim & sexaginta hominum millia, vt aiunt, ad id opus deputata sunt, quod viginti fermè annis absoluerunt. Pecunia omnis ad opus eius impensa, vt olera tantum herbasque (is enim cibus opificum fuit) ad mille et sexcenta talenta excessisse dicitur: Præter hanc sunt et aliæ, ex quibus aliæ alijs sunt minores: At nemo eorum, qui struxerunt eas Pyramides, in ijs sepultus traditur: Quidam, vt ex eodem antè retulimus, maioris asserunt Armeum extitisse conditorem, secundæ Amasim, tertiæ Masum, quam volunt quidam Rhodopis Sepulchrum fuisse: Verùm de harum Pyramidum auctoribus nil certi neque apud incolas, neque apud scriptores constat. Hactenus *Diodorus*: Nos tempore antiquissimo, nempe eo, cum populus Israëliticus in Ægypto lateribus coquendis et stipulis per agros congerendis fatigaretur, extructas esse, colligimus potius ad opum ostentationem, quám regum Sepulchra: *Barbara* Pyramidum, inquit Martialis, sileat miracula Memphis, etc: Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheâtro; Verum Amphitheatrum illud, non minus prælustre opus, nunc in ruderibus ferè positum est, *Pyramides* veró, quæ tot millibus annorum ante Amphitheatrum steterant, adhuc perdurant integræ: Ab ingenio itaque subtilissimo, ab animo verè magno, et à manu largissima has profluxisse, ab effectu patet: *Plinius* Lib. 26. c. 12. ait, *Pyramides* illas in Ægypto nihil aliud fuisse, quam regū pecuniæ ociosam et stultam ostentationem; quippe cum faciendi eas causa à plærisque tradatur, ne pecuniam successoribus aut æmulis insidiantibus præberent. Quod veró inter mundi miracula numeratum est non immerito, hoc opus quoque ab arte miraculosa, cum cætera omnia correspondeant, perfectum, mundoque pro testimonio quasi æterno relictum esse, rationi consonum est. Verum de his satis: Vt cætera opera Ægypti magnificentissima prætereamus, inprimis suspiciendum

Nota.

os commoratum finxisse ab *Helena* in præteritorum oblivionem potionem *Telemacho* datam, NEPENTHES dictam; Hac ratione non immerito omnia hæc opera ejusdem Medicamenti vi et facultate producta esse auguramur; Medicamentū enim, quod Animi dicitur, inscriptione *Simandij* superius relata, si iræ et dolori medetur, si (vt Ianus Lacinius annotat) est ægritudinum hominum cum animi tum corporis efficax medicina; quippe quod perturbationes omnes expellit, bonosque viros, id est, alieni non invidos efficit similiter et conservat; si quoque, vt idem testatur, corporeos humores, si qua excesserunt, adæquat et constituit, imbecillemque senectam valentem inducit et confirmat, Cur non hoc quoque, quod in potentia existit, in actum deducat? Venerem Aegyptij ex antiquo nomine auream appellant, agrumque esse constat aureæ Veneris prope *Memphim*: Non sine causa *Saturni* exenterati abjectum pondus, vnde Venus nata dicitur, aureo dignantur nomine et honore; quia reverà mater est omnis œstri Philosophicj; Habet enim Cupidinem, qui Dijs aureis quoque dominatur, inque ijs libidinem incendit: Notandus & mos medicandi pueris apud Aegyptios; qui pro pueris ægris Dijs quibusdam vota faciunt, ac si pueri de morbo euaserint, radunt capillos ac in auro argentove ponentes dant munus Magis.

Nepenthes medicina dolorifuga ab Aegyptijs facta fuit.

Venus Aurea Aegypti.


Quæ huc vsque maximâ ex parte ex Aegyptiorum monumentis vt antiquissimis, sic arcanissimis adducta fuerunt, satis superque conuincunt, omnia illa opera ad Chymiam, hoc est, Medicinam auream, de aureo medicamento corporis & animi agentem, proprijssimé referri debere, nullisque alijs rebus, nisi perperàm, accommodari posse: Verùm cum non nemo de Medicinâ, toties inculcatâ, dubitare queat, quasi illa non tanti momenti sit, nihilq; amplius præstiterit, quam aliæ medicinæ nostratis ævi, multo magis, si de Lapide Philosophico aut Aurificio seu Chrysopæa hæc à nobis intelligantur, præconcepto judi-

cio omnia vana, irrita, nec rationi, nec naturæ consentanea, pronunciabunt nonnulli; idque ideó, quod ipsi modum perficiendi ea secundum artem, quæ naturæ sunt opera, non capiant aut intelligant, nec artifices ejusmodi (præter vulgatos, potiùs fraude & paupertate, quàm vero artificio et divitijs celebres) palám adhuc talia et tanta operantes, videant: His ijsque similibus obiectionibus negativé concludentibus, et ab ignorantia juris et facti (quod aiunt) dependentibus (Cum hisce æquè cœlestia quam terrestria eâdem facilitate et audacia evertere liceat, in contrarium tot experimentis vtròbique extantibus) sic respondemus: Quod Æegyptij, eorumque sequaces Græci antiquissimi Medicinam auream habuerint, quâ illi ad divitias quoque comparandas vsi sint, præterquam ad valetudinem corporis sustentandam, hactenùs dicta satis convincunt, & ab hystoricis antiquis post *Diocletiani* tempora memoriæ proditum est; Verúm hic meæ propositionis scopus non fuit, nisi forté secundarius, qui se ipsum sufficienter comprobet, si saltem de Medicina, quam primariò mihi demonstrandam sumpsi, constaret: Vnius enim Subjecti multæ & variæ possunt esse vires, efficaciæ, virtutes, fines et effectus, licet non omnes ad vnam eandemq; intentionem dirigantur; quod in auro, subjecto nobilissimo, conspicitur; quo medici vtuntur ad sanitatem hominis curandam, fabri ad alia opera inde conficienda, alij ad ornatum & pompam, non pauci ad lucrum & censum; (quid enim non perficit aurum?) Ita & de Medicina illa aurigena sentiendum est, qua non diffitemur multos Ægyptiorum regum ad luxum et diuitias, nec non Idololatriam introducendam, & sub silentio arcanissimorum confirmandam, abusos esse; alios quoque haud paucos ad divinam gloriam, proximi vtilitatem et corporis humani sanitatem conservandam: A potiori autem denominatio cum fieri debeat, ac plus id sit in hac humanæ vitæ fragilitate & brevitate, juxta præceptum

Dej

Dei, proximum diligere, vt se ipsum, eique in necessitatibus ac morbis, qui corpus affligunt, succurrere mandantis, quàm divitijs solam operam impendere, & sibi vni vivere; Idcirco hæc ars meritò à nobis appellata MEDICINA, quæ aureum animi & corporis Medicamentum perfecit, eoque nomine longo tempore investigata est.

Finis Libri primi.



LIBER



LIBER SECVNDVS.

DE HIEROGLY-PHICIS GRÆCORVM, AC Primó de Allegorijs auro magis *CONSPICVIS.*



I RELIGIONVM APVD Omnes Gentes diversissimarum quocunque tempore receptarum initium & originem primam repetamus, á probabilibus causis eas semper extitisse reperiemus: Antiquissimam veteris Testamenti apud Patres ante diluvium, & post ab *Abrahami* ætate ad ad Israelitas propagatam, vt verissimam amplectentes à cæteris omnibus excipimus, vtpote à Deo ipso in stitutam & miraculis innumeris demonstratam, cuj Christiana NOVI TESTAMENTI successit, omni exceptione major professio: De Ethnicorum præsertim Idololatria, seu falsorum numinum veneratione & cultu dicimus: Huic occasionem absque dubio præbuisse causas ad speciem, non omnino fictas aut falsas creditas, sed rationabiles, verisimiles et multorum consensu stabilitas: Sic ferè vniversus mundus (exceptâ Iudæorum Polytia) Numina tum à Romanis, à quibus imperabatur, hausit; Romani à Græcis, Græci ab Ægyptijs; Ægyptiorum vulgus à Sacerdotibus, sacerdotes à *Vulcano* & *Mercurio, Osiride* & *Iside*, fictis & aureis suis numinibus ac saltem nominibus existẽtibus, rem

Dij ab omnibus gentibus recepti, à Vulcano & Mercurio orti.

rem verò longè aliam significantibus, omnem sacrificiorum vsum & ritum mutuati sunt; de quibus hactenus sub Aegyptiorum Hieroglyphicis satis dilucidè disseruimus.

Præter dictos autem *Osiridem, Isidem,* & *Orum Ægypty* antiquissimi etiam aliorum Deorum nomina vsurpârunt, præsertim duodecim, nempe *Iovis, Neptuni, Martis, Mercurij, Vulcani, Apollinis, Iunonis, Vesta, Cereris, Veneris, Diana* & *Minerva,* quorum sex sunt Masculini, & totidem fæminei sexus, ijque Dij magni magnarum gentium crediti sunt, pòst ad Græcos, & ab his ad Romanos translati. Nam vt Natalis testatur, alijs fiebant è ligno simulachra vel fictilia, & non sculpebantur ex auro vel argento vel ebore, nisi magni Dij, cum Plebeij è quavis materia fierent antiquitus. De his *Herodotus* in *Euterpe; Duodecim,* inquit, *Deorum nomina primos Ægyptios existimasse, atque Græcos ab illis cepisse, eosque primos aras & imagines & Templa Dijs sibi erexisse:* Quòd verò Græci, & quinam ex illis primi ad Ægyptios transierint, ipsorum sacra in Græciam retulerint, ipsius *Diodori* verbis demonstrabimus; Hic lib. 2. cap. 6. Nunc inquit, qui Græci sapientiâ & doctrinâ præditi in Aegyptum priscis temporibus transierint: vt leges & doctrinam illorum perciperent, recensebimus: Scribunt eorum Sacerdotes, in sacris contineri libris, transisse primum ad Aegyptios *Orpheum, Musæum, Melampodem, Dedalum, Homerum* Poetam, et Spartanum Lycurgum; Deinceps *Solonem* Atheniensem, *Platonem* Philosophum ac *Samium Pythagoram; Eudoxum* quoque Mathematicum ac *Democritum* Abderitem, & Inopidem Chium. Omnium veró monstrantur vestigia, quorundam imagines, nonnullorum loca, tum ab eis, tum á doctrina, quã secuti sunt, denominata: In Aegypto certè perceperunt omnia, quæ illos apud Græcos admirabiles fecêre. Nam *Orpheum* hymnos Deorum plurimos, orgia et inferorum fictionem attulisse tradunt; *Osiridis* sane ceremonias et *Dionysii* easdem esse, similesq; esse *Isidis Cererisque* nominibus

Dij Ægyptij 12. magnarum gentium dicti.

Græci ab Aegyptiis doctrinas acceperunt.

Qui Græci primo in Aegyptum transierint.

nibus tantum differre: Impiorum verò pœnas et campos Elysios et statuarum vsum ab Aegyptiorum sepulchris sumpta introduxit: *Mercurium* quoque secundum antiquos destinantem finxit mortuorum animas. Erat mos Aegyptijs Apis corpus reducentem aliquid propè astanti Cerbero abscissum porrigere. His ab *Orpheo* ad Græcos traductis, *Homerus Orpheum* imitatus; idem in suo Poemate scribens, ait *Mercurium Cyllenium* animas Heroum evocare, habentem virgam in manibus: Hæc et multa alia *Diodorus* de his recenset. Eadem aut his similia apud diversos leguntur authores; Ex quibus de translatione Aegyptiorũ sacrorum ad Græcos certiores fieri possumus: Quando autem hoc contigerit et qua primaria intentione, facilè discernere licet: nempe tum temporis, cum absque periculo capitis Græcis Aegyptum petere et ingredi concessum fuerit, quod vt antè quoque meminimus, *Psammitichi* regis, vnius ex duodecim ducibus, exteros primò ad sese admittentis, ætate contigit; nempe circiter annum Mundi 3278. quo anno *Psammitichus* regnare cepit, vel paulò post (quia 54. annos regno præfuit) ante *Olympiadum* initium, quod in annum Mundi 3187. ponitur: Hoc tempore *Orpheus* ex Aegypto dicta sacra in Græciam transtulit, nec solũ ceremonias circa festivitatem *Dionysij* celebrandas, sed etiam scientiam ipsam propter quã sacra instituta et ritus introducti essent: vt in sequentibus passim apparebit: *Orpheum* insecutus est *Musæus*, *Linus*, *Melampus* et *Homerus* omnium Philosophorum antiquorum, qui metro vsi sunt, suauissimus et ingeniosissimus, quibus et *Hesiodus* annumeratur: Hi sex, vt horum sequaces prætereamus, sunt omnis Religionis Ethnicæ apud Græcos Authores et instauratores, tot Poematum et fabulosorum de Dijs eorumque factis partim Heroicis, partim pecoribus dignis involucrorum, quibus totus ferè Mundus intricatus semel, vix se vnquam extricare potuit suis viribus; nisi Deo placuisset hæc opinionum de Dijs monstra per Filium suum, victorē

Ægyptia sacra quando ad Græcos translata.

Sex Authores primi apud Græcos religionis fabulosæ.

ctorem triumphantem, trucidare; De intentione autem *Orphei*, aliorumque *Poetarum* priscorum si subtilius inquirere velimus, re ipsa inveniemus, ipsos non primariò ad cultus illos divinos seu ceremonias respexisse, sed ad alia arcanissima sub istis occultata, ne vulgo hæc innotescerent, alijs sapientioribus tamen causam indagationis præberent; quod etsi nullibi à quodam Scriptore indicatum sit (quia & res occulta mansit & ne nomine quidem expressa est) tamen ex diversis hinc inde collectis indicijs & argumentis haud obscuris à nobis ostendi clarissimè poterit; vt in sequentibus apparebit; quibus etiam non consideratis, vel hæc vnica ratio intelligentibus sufficeret, nempe, si Ægyptij aliud quid intellexerint suis sacris & ceremonijs *Osiridi, Isidi, Mercurio, Vulcano, Apidi* et animalibus quibusdam adhibitis, quàm objecta ipsa oculis obvia, ac sub illis tanquam corticibus nucleum veritatis abscondérint; sic & Græci non de tegumentis fuerint solliciti, nisi & corpus tegendum sub illis agnovissent; Quod quale fuerit, jam ante sub Ægyptiorum Hieroglyphicis satis indagavimus & exposuimus: Inde non est verisimile, antiquos illos Poetas ex innata malitia, aut irrisionis gratiâ tot adulteria, homicidia, incæstus & scelera suis Dijs attribuisse, vt vel Deos, vel homines luderent, aut vitia ejusmodi enormia Deorum exemplis propagarent, (tum enim omnium bipedum nequissimi fuissent) sed potius vt demonstrarent Deos illos non esse nisi ficticios, imaginarios et artis occultæ vulgo, sed sibi notæ, symbola et Emblemata aliud ad oculum, aliud ad mentem referentia: Ne autem inania nomina rebus cassa in medium producere viderentur, singulis illis Dijs fictitijs singula officia quasi divina & vires *Naturæ* genitricis diversas ascripserunt, ac nihilominus Vnum Deum in omnibus istis professi sunt: Quod in antiquissimis potiùs apparet, quàm alijs: Sic enim *Orpheus* ad captum communem Deos singulos interpretatur; ac deinde addit quod omnia sint

Intentio primaria Poetarum antiquissimorum.

vnum re, quamvis nomine multa: Cum in Cratere canit in hunc modum:

Deorum gentilium officia.

Nuncius interpres Cyllenius omnibus ipse est,
Nymphæ aqua sunt, frumenta Ceres, Vulcanus at ignis,
Est mare Neptunus canentia littora pulsans,
Mars bellum, Pax alma Venus, mortalibus ipse
Taurigena & superis animi curæque levamen
Corniger est Bacchus convivia læta frequentans:
Aurea iustitiamque Themis, rectumque tuetur:
Sol est mox idem contorquens spicula Apollo
Eminus & peragens, & Divinator & Augur,
Morborum expulsor Deus est Epidaurius: ista
Omnia sunt unum, sint plurima nomina quamvis.

Omnia sunt vnum.

De iisdem Hermesianax.

Pluto, Persephone, Ceres & Venus alma, & Amores,
Tritones, Nereus, Tethys, Neptunus & ipse
Mercurius, Iuno, Vulcanus, Iupiter & Pan,
Diana & Phœbus iaculator, sunt Deus unus.

Deus vnus.

Nota.

Quod si igitur isti Dij acciperentur propriè, vt hactenus apud Ethnicos consuetum est, aqua & ignis, Nymphæ et Vulcanus, bellum et pax, Mars et Venus, nullo modo sunt vnum, sed diversissima numina credita, & diversissimas res respicientia seu indicantia; Si quis hæc ad Deum Vnum vniversi referat, fortè adeo adversantia in eo excusari possent, si de potentia ejus per omnes Creaturas diffusâ accipiantur, at vereor ne nimis impropriè ac impiè id fiat, Creantem cum creatis, Æternum cum mutabilibus, Spiritum cum corporibus confundendo: Quocirca, vt Dij illi tam varij & diversi, adeóque differentes ab invicem, de alio subjecto, cui æquè conveniant omnes, intelligantur et explicentur, prorsus necessarium videtur; idque idem est, in quo Dij Aegyptij (Græcorum progenitores) *Osiris, Isis, Typhon, Mercurius*, alijque latêre declarati sunt; Quod vt magis quoq; conspicuũ fiat circa Græcorum Allegorias,

as, quas Poeticas vocant, has secundo hoc libro et sequentibus nobis illustrandas sumemus, ita vt Dij gentiles ficticij suæ origini, vt et vera Chymia suo honori vnâ eâdemque opera, restituatur; ne quid interim de Poesi nostro tempore recepta, quæ illius antiquæ scenæ vestibus adhuc delectatur, aut Philologis, Aristarchis Criticis, in oratione quám ratione magis occupatis, Hystoricis, alijs ve hujusmodi (qui genealogias et res gestas deorum et dearũ nec non Heroum, pro indubitatis, veris et irrefutabilibus recipiunt, amplectuntur et exosculantur, imò vt Cerebrum Iouis in delitijs habent et admirantur, immemores interim se Christianos et veritatem vnam et simplicem esse) dicamus; Hæ enim scientiæ et personæ à nobis non obscurationem sui nominis, at potius illustrationẽ accepturæ sunt; quibus si non ad gustũ dixerimus, non nobis calũnias intentatas, sed sibi tenebras mentis ereptas velint; nos vt hoc ipsis præstemus, illæ ne istud nobis, operã dabimus: Nec puto cæcũ quid veri judicij de coloribus reddere posse, ideoque vbi de his disputatio incidit, consultius ipsi foret, silentio quám ridiculo sermoni indulgere: Hinc si quis in hæc arcana animadvertere velit, vt ea cognita habeat, antequam Censoriam vibret, requiritur; Nos quousque in hæc penetraverimus et mente et manu, non nostrûm est gloriari, sed Deo hinc sacrificium laudis, (cujus hoc sit specimen) ponere, quod et hominum bonæ voluntatis commodo cedat, tenemur.

Cum veró hæc tanta involucra ac tam varia pro dignitate et amplitudine materiæ evolvere, totq; seculis et scriptis pertexta retexere, et ad vnguẽ resecare opera futura esset magni voluminis, ideoq; suâ mole laboratura; idcirco saltem præcipua et magis insignia ex omnibus Allegoricis Poetarum figmentis et fabulosis de Dijs et heroibus narrationibus nobis tractanda selegimus, non stylo, vt alij solent, acuto aut copioso, sed vulgari, ad rem potius, quám vocabula, accommodato, succincto; atque sic hoc libro secundo de Græcorum Expeditione, duce Iasone

Summa quinq; sequentium librorum allegorias Græcorum continentium. L. 2. Lib. 3. Lib. 4. Lib. 5. Lib. 6.

ad aureum Vellus occupandum, aureis pomis Hesperidum, alijsq; huiusmodi aureolis monumentis agemus: Tertio, de aurea deorum, dearumq; genealogia, nec non Heroum ab illis progenitorum quorundam ramis ab arbore aurea ascendentibus. Quarto, de Græciæ festis ac sacris, vt etiam de certaminibus et ludis ab ijsdem authoribus ad eandem intentionem occulti artificij institutis; Quinto, de *Herculis* laboribus, ac sexto, seu vltimo de Occupatione et Excidio Troiæ personisq; et requisitis eòdem spectantibus, breuitate qua licet, perspicuitate, qua possumus, trademus; Ex quibus perceptis, simile iudicium de alijs hic non expositis, ad allegorias tamen hasce pertinentibus, à quocunq; ipso statui poterit. Orpheus vt religionis apud Græcos author, ita et allegoriæ de vellere aureo ex Colchide petēdo inventor et ebuccinator primus extitit; quam ille singulari subtilitate excogitavit, et artificio perfecit, eâdem prorsus intentione & fine, quo de simili subiecto recentioris ævi scripta quamplurima edita sunt, nempe vt duplex inesset sensus, superficialis & reconditus; superficialis, qui literam sequitur et est hystoricus, vel si literam non omnino sequatur, tamen communia & Vulgaria seu de moribus seu rerum naturis exponit; Reconditus verò ad essentiam internam respicit, & à vulgi cognitione remota arcana sapientibus insinuat, minus ingenio valentibus abscondit: Scripsit hic author Carmine alia quoq; opera, quæ ipse in Argonauticis recenset, ingenij eius summum acumen et doctrinam arguentia; inter quæ, libro de lapillis, Mercurij antrum, ex quo omnis generis bona referenda sint, graphicè depingit, adeò vt emunctæ naris quicunq; fuerint, et non à pituita præoccupati, facilè olfaciant, de quo Mercurij antro ibi, de quo subiecto in Argonauticis intelligi velit; At nos seriem narrationis eius prius percurremus, deinde notas ab altera parte nostras et naturæ auctorumq; cum illis Concordantias addemus:

1. Allegoria de Aureo Vellere Iasonis. Orpheus, primus Græcorum Vates, theologus & legislator.

Iasonis genus & educatio. Iason patre natus Aesone, auo Cretheo, proauo Aeolo, abauo Ioue, matre Polymedâ Autolyci filiâ, cum Pelias

Neptuni

Neptuni filius ex Tyrrho Salmonei filiâ à Cretheo fratre Salmonei educatâ, natus, Iolcum obtinuisset post Cretheum, qui Iolcum condiderat, Æsone expulso, Chironi educandus traditur; Chiron autem, qui Saturni & Philyræ Nymphæ filius erat, ipsũ in arte medendi & ad vitæ humanitatem spectantibus rebus instituit; Cumque deinde iuvenis doctrinâ et moribus politissimus Iason evasisset, in aulam Peliæ concessit; Verum quò magis omni virtute excelleret, eó minus amorem Peliæ mereri potuit, quippe à quo cum suspicione nunquam non obseruaretur; Vt igitur Pelias honesto prætextu Iasonem præsentibus periculis ipsiq; morti obijceret, in mandatis dedit, Vellus aureum apud Colchos celebre singulari animi fortitudine, quæ tantum iuvenem deceret, ad sese deferre superatis periculis; Quod licet durum imperatu & arduum factu videretur, animum tamen addidit Iasoni, quod non ex procacitate propriâ, sed alterius iussu, cui non parêre nefas foret, id peragendum sibi incumberet: Necessarijs igitur ad iter comparatis cum 50. comitibus, omnibus ferè à Dijs ortum ducentibus, navim conscendit, Argô, Palladis consilio fabricatam, malum loquacem è Dodonêa quercu habentem, vt in Colchidem navigaret: Orâ solutâ in Lemnum primò devenit, vt Vulcanum sibi propitium redderet, mox in Marsiam, Cium, Iberiam, Bebryciam et Syrtem Libyæ applicuit, vbi cum ob syrtium naturam navigare non posset, navim Argô supra humeros spacio duodecim dierum per Libyæ deserta comportârunt, donec die duodecimo rursus mare invenientes illam deiecerint: Incidentes postea in Neptuni filium Eurypylum, a quo, quod pro Xenio obtulit, acceperunt, nempe glebam è terra, ex qua pó t dissolutâ in aquâ Medea multa vaticinata est; Deinde ad Phineum vatem cæcum ab Harpyijs infestatum devenerunt, qui a Boreæ filijs inde liberatus est: Hic licet cæcus oculis corporis tamen mentis acumine pollens cursus omnem rationem Argonautis demonstrauit; quod primùm petræ Cyaneæ essent adeundæ, quas Symplega-

Lemnus, Vulcani officina primò petita.

Gleba è terra soluta aquâ.

des

Petra Cyaneæ adeunda.

des siue concurrentia saxa quidam vocârunt, vnde ignis plurimus scatebat, quarum periculum emissâ columbâ explorârunt: Abhinc Bithyniam ad latus procul relinquentes Thyniadem insulam, Mariandynos, Acherusiam, vrbem Enetorum, Carambim, Halym, Irim, Themiscyrum, Cappadociam, Chalybes & innumera alia loca prænauigauerunt, & ad Phasim fluuium, qui per terram Circæam defluit, tandemq; ad Aureum Vellus accesserunt: Cumq; ad Æetam, Solis filium, Colchorũ regem Iason deductus esset cum socijs, liberaliter ab eo acceptus est, et ad postulata Iasonis responsum, se illud Vellus aureum ipsi concessurum, vtpote in medio omnium, pro palma, positum, si Marte & arte id obtinuisset; Cumq; pericula insuperabilia subeũda viderentur, Ipsius *Æetæ* filia Medea bono animo Iasonem esse iussit, eiq; Pharmaca quædam probatissima noctu suggessit, quorum administratione conueniente, omnia quotquot essent pericula, evasurus esset: Nec opinio ipsum fefellit: Erat autem in Martis luco suspensum Vellus aureum horto muris validissimis cincto, in cuius vestibulo Tauri ferocissimi æripedes & Draco dentibus prælongis pervigiles custodes erant; Lex erat huiusmodi posita: Draconem primó interimendum, illi dentes ex capite excutiendos, Tauros deinde sub iugum mittendos, aratro terram scindendam, dentes illi inspergendos, ac segetem repentinam armatorum inde prodeuntem extirpandam; quibus peractis Vellus aureum Victori concedendum; sin minus, mortem victo oppetendam esse: Dederat autem Medea Iasoni Pharmaca quaterna, primó vnguentum, quo corpus sibi perungeret, & sic à veneno & igne draconis, taurorumq; illæsus euaderet: Secundó massam quandam soporiferam, quam si draconi in fauces inijceret, ille statim in somnum incideret: Tertió aquam quandam lympidam ignem taurorum facilimè extinguentem: Quartó imaginem Lunæ et Solis peculiari modo fabricatam, quam si collo gestaret, quicquid in hoc opere tentaret, optimè successurum. Quibus probè ad aptatis

Lex aureum vellus occupatur proposita.

Pharmaca quaterna a Medea data Iasoni.

tis ad vsum, sequenti die pugnam aggressus est: Magnâ equidem solertiâ opus erat in dracone extinguendo: Absq; intermissione enim Venenum cum igne mistum eiaculabatur, quo quemlibet sese adorientem interfecit: Verùm cum Iason se inunxisset dicto vnguento & imagine illâ ad collum appensâ munivisset, massam illam narcoticam in os apertum iniecit; Vnde ille sui oblitus in somnum letheum incidit toto corpore intumescens, Cui cum caput gladio abscidisset, dentes eius inde extraxit: Deinde ad boues domandos successit; At illi mox cornibus petentes et igneo perfundentes imbre Iasonem insecuti sunt; qui post arborem nonnihil decedens aquam clarissimam ijs in fauces inspersit; vnde illi tanquam attoniti et domiti extemplo steterunt; Iugo itaq; eorum collo aptato cepit aratro terram vertere et dentes draconis pro semine iactare: Verùm vt sub terra semen hoc tectum fuerat, en enati mox apparēt viri armati pro dentium numero, qui cum in Iasonem irruerent, is, vt ex Medea didicerat, parum se ex prospectu eorum proripiens, vnum Lapide eminus concutit, qui dum à sibi proximo se vapulare existimat, illum stricto mucrone perfodit, cuius necem dum alius atq; alius vlciscitur, mutua pugna illos ad vnum omnes oppressit; quibus interfectis cum nihil amplius, quod velleris aurei raptum impedire posset, restaret, hoc deniq; potitus in patriam vnà cum Medea sospes redijt. Atq; hæc est rei ab Iasone gestæ succincta narratio, cuius post Orpheum meminerunt et Apollonius ex Græcis et Valerius Flaccus ex Romanis præter alios innumeros, quos non citamus: Alij plures circumstantias in exitu et reditu addunt, quas omnes annectere non est huius loci, neq; operæ precium: Quomodo deinde Medea fratrem suum Absyrtum in frusta decerpserit iuxta Absyrtides insulas, et Aesonem Iasonis patrem senem iuventuti restituerit, aliaq; mira peregerit ac tandem Iason obierit, sub Argo naue dormiens suppressus, apud diuersos annotatum reperitur: Item quomodo Phryxus, (à quo Phrygia a quibusdam dicta autumatur)

Iasonis pugna.

Terrigenarum vnus lapide petitus.

tur) ariete Hellespontum vectus in Colchos peruenerit, arietemq; Mercurio sacrificârit et pellem in Martis luco suspenderit, quam Mercurius deaurârit à multis frustrà petitam: Verùm nunc ad ea, quæ notabilia circa hactenus narrata existunt, accedamus: Vbi primum consyderemus, quomodo hæc ab alijs exposita fuerint: Multi autem, ijq; simpliciores, hæc ita contigisse reverà existimant, Iasonem missum, iuisse, cum monstris pugnasse, ijsq; victis redisse domum; At per vellus aureum intelligunt vel oues viuas aurei coloris, vel deauratas; Vel non oues, at mineras auro fertiles in ovium pellibus purgari solitas; Vel librum ex pelle ovium concinnatum, (quam membranam vocant,) in quo artificium Chymicum de auro conficiendo per artem scriptum esset: Alij hæc pro fabulosis quidem admittunt, sed nescio ad quam morum doctrinam detorquent, quasi hæc talia et tanta inuolucra ad mores formandos essent efficta, aut prodessent: Sunt et alij qui hæc omnia pro hieroglyphicis et allegoricis accipiunt, sed non ad mores, nec vulgatam physicam, sed ad occultissima naturæ Arcana, Lapidem philosophicum, eiusq; elaborandi modum et artem continentia et inuoluentia, vt nux corticibus nucleum tegit, exponunt; vt præter centenos Chymiæ fauentes idem attestantes, acerrimus quoq; huius artis osor, Natalis Comes, aliorum tamen iudicio, adfirmat: Sic enim lib.6.c.8. Mythologiæ; *Fuerunt*, inquit, *qui res in Iasonis navigatione gestas corporum Chemicorum mutationes & aureum Vellus deniq; post tot labores captum, Lapidem vocatum philosophorum esse arbitrentur, qui sit deniq; post tot corporum eorum mutationes.* Nos aliorum præiudicio non abducti hoc vel illud credere, aut illud vel hoc abnegare præsumemus, sed singulorum horum opiniones bilance rationis et experientiæ ponderabimus, vt tandem ad æquilibrium veritatis perveniamus: Ad primæ sortis hystoriam supponentes, quod attinet, qui Iasonem iisse ac redisse tentur, Hoc responsi capiant; Loca sunt quidem in rerum natura, quæ petijsse tales Heroes dicantur;

Mercurius deaurauit pellem.

Expositio aliorum.

Cur à Natali non refutata est hæc opinio, vt pleraq; alia, fortè quia nimis clara?

Responsum: Hystoriam non esse sub Aureo vellere.

dicantur; quia cum hæc sint perpetua et non ita mutabilia vt mundi cætera, semper allegorijs, ne fabulæ viderentur, affecta sunt, vt patet feré in omnibus figmentis de *Phrygia, Colchis, Delo, Cypro, Rhodo* et alijs locis olim productis: Nam si fabula aliqua absq; certo loco proferretur, gratiam amitteret, et statim vt fabula se proderet; Verùm tempus, personæ & res gestæ earum cum cæteris circumstantijs Iasonis expeditionis minimè veritati conueniunt: Tempus si spectetur, infinitum est, nec reverà ab aliquo scriptore, qui tum vixerit circumscriptum, vt in hystorijs agnosci possit; Non autem me fugit, quod hoc tempus præcisè ponatur in chronologijs et hystoriarum collectionibus, sed eo fundamento, quod trecentis annis ante Romam conditam *Troia* dicatur deleta, et Iasonis expeditio 100. feré annis *Troiæ* excidium præcessisse; quia Argonautarum filij interfuerint *Troianæ* expeditioni: Sed vtraq; supponuntur potius, quàm probantur, vt inferiùs sub *Troia* latiùs patebit; Quodsi a personis concludere liceat, quia res absq; personis acta non sit, sublatis personis, tollitur ipsa res: Cum itaq; omnes argonautæ sint personæ fictæ, quemadmodum sunt personæ Comædiarùm aut Tragædiarum, aut veluti habentur in Poësi Amadijs dicta, (quæ nec caput nec pedem agnoscit et continua serie res ex rebus, personas ex personis, ficta ex fictis producit et confirmat) siquidem ferè omnes ex dijs, qui nunquam fuerunt nec homines, nec dij, originem ducant, quomodo res ab illis actæ creditæ veræ esse possunt? Si quis hos quomodocunq; excuset, quomodo Hercules, qui *Osiridis* tempore in Ægypto vixisse dicitur, et ab eo peregrinaturo Ægypto præfectus, quod ante 20. millia annorum contigisse fabulantur, et huic Argonauticæ expeditioni interfuit? Aut si per distinctiones liceat multos *Hercules* facere, (vt et Saturnos, Soles, Apollines, Mercurios et his similes) quomodo inquam *Pollux* interfuit Argonautis, et *Helena* cum eo ex vno ouo edita

Locus verus non supponit veritatem rei, quæ in eo gesta fingitur.

Personæ fictæ res fictas & non hystoriam supponunt.

Omnes Argonautæ personæ fictæ & à dijs oriundæ.

Absurda ad literam vel hystoriam.

Troianæ expeditionis; Si deos probaueris, nihil contradicere potero, si homines, nimis longævi videntur; *Helena* enim erit ad minimum 120. annorum anus edentula, cum bellum Troianum eius non restitutæ gratiâ à tota Græcia gereretur: Cohærent vt arenæ à vento agitatæ: Res verò si consyderetur, vt hystoria gesta, pueris, non viris, persuaderi debet, esse tauros, qui ignem vomant, e terra repentino ortu, celerius quam fungi aut cucurbitæ crescant, segetes & phalanges virorum armatas prodire, qui vnico Lapide percussi se ipsos ad vnum conficiant omnes; Quid de dracone pervigili, qui filius Typhonis & Echidnæ perhibetur, eiusq; dentibus seminatis? Quid de Medeæ pharmacis & consilijs & innumeris alijs dicemus? An ex illis hystoriam faciemus? Fabula itaq; est & quidem insulsa, oues illas lanas aureas vel citrinas habuisse vel deauratas fuisse, & tantum laboris susceptum ab Iasone, vt ijs potiretur: Qui de mineris auri eas intellexerint, inter quos Strabo in Geographia, recensetur, ad rem propius accesserunt; Magis adhuc qui de Libro seu membrana Chrysopæam continente, interpretati sunt, vt Svidas: Sed propter has res nemo tanta pericula subiret & tam varia, nec opus haberet Medeæ pharmacis; nec Iason, qui medicum sonat, à Chirone, manuali experientia institutus, ad id requisitus esset, sed alius quicunq;, nec Æson à Medea iuventuti restitutus esset; Restat itaq; vt ad allegoricam interpretationem rem totam ab initio ad finem accommodemus: Non quidem ad mores, propriè et primariò, nisi insanire velimus, aut illos insaniæ accusare, qui hæc talia et tanta propter mores finxerint; Secundariò non diffitemur eò, vt et cætera omnia, inflecti posse: Nec ad physicæ opera rusticis nota, sed philosophis propria & arcanissima, Nempe Medicinam auream de aureo animi & corporis medicamento agentem: Nobiscum sentiunt et qui nos antecesserunt, (Vt Aloysius Marlianus

Res incredibiles & naturæ adversæ.

Aliorum explicatio.

Allegorica Interpretatio verissima.

lianus integro volumine ſub Aurei velleris titulo edito, et qui congeſſerunt tot de arte Chymica tractatus, diverſisq; tomis diſpoſitos Germanicé eâdem operis inſcriptione vſi in publicam lucem ediderunt, alijq; innumeri, quos brevitatis gratiâ hic omittimus) et concomitantur, quorum ſcripta cum omnium terantur manibus, hic non citabimus: Pertinere autem dictam Iaſonis peregrinationem cum periculis, rebus geſtis, perſonis & circumſtantijs omnibus ad Medicinam Philoſophicam, & nihil aliud, quam artificium ſummum Chymicum et Arcanum Arcaniſſimum ab Ægyptijs ad Græcos tranſlatum, ſubq; hac allegoria venuſtiſſima deſcriptum, in ſpecie nunc demonſtrabimus.

Iaſon qualis ſit, nomen, educatio, genus & effecta probant: Nomen enim medicum exprimit, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι ſeu à medendo dictum; Ἴασις enim ars eſt medendi; Non ſatis eſt, quod Chirurgus non fuerit, nec medicinam dederit Iaſon, aſſerere, vt quidam faciunt, qui idcirco eum ad mores transferunt: Licet enim non fuerit medicus aut chirurgus, (quia nec ipſe Iaſon vnquam in rerum natura extitit) eſſe vel fuiſſe fingitur & præſupponitur: Cum nomine enim omina conveniunt omnia: Educatur à Chirone, qui in medicina ipſum inſtituit, qui *Herculem* et *Achillem* quoq; erudiuit, vnius indolis et familiæ adoleſcentes, hunc ad bellum Troianum invictum Heroa, illum ad monſtra domanda aptiſſimum: A Chirone itaq; manualem experientiam Iaſon hauſit, vt à Medea conſilium et Theoriam perfectam ad operis completionem neceſſariam; Ex quibus notatione dignum occurrit, tractationem qualemcunq; manualem, à Chirone perceptam, in hoc opere inveſtigando præcedere debere Theoriam perfectam à Medea inſtillatam; Theoria enim perfecta perfectam praxin præcedit, et hæc non illam; ſed theoriam perfectam errores multi præcedunt; Hi enim ſunt quaſi magiſtri et caſtigatores in arte,

Iaſon quis.

Chiron & Medea Iaſoni erudiendo profuerunt.

 errores

errores verò non agnoſcuntur, niſi ex praxi ſæpé tentata & repetita; atque ſic apparet, quod *Chironis* inſtitutio præcedat Medeæ conſilia perfectiſſima; hæc quoq; labores artificis ordinent & diſponant: Genus eſt ex genealogia Deorum; *Abavus* enim paternus eſt *Iupiter*; *Polymeda* ej mater, quaſi multi conſilij aſſignatur, *Autolyci* filia, ex *Siſypho*, *Æolo* & *Iove* quoque deſcendens; Sic ſublato *Æolo*, vel *Iove* genus *Iaſonis* à nullo incipit; *Chiron* quoque ſi nunquam fuit, præceptorem non habuit; qui ſané nec in rerum natura extitit, ſi *Saturnus* non cum *Phylyre* Nympha in brutum, Equum, verſus coivit, aut nunquam vixit: *Medea* ſimiliter, conjunx *Iaſonis*, Solis & Oceani neptis eſt; Patrem habuit Æetam, á fulgore dictum, cujus ſorores *Paſiphae*, *Minois* vxor, quæ Minotaurum edidit, & *Circe*, veneficio tranſmutans homines in belvas; matrem *Idyiam*, à cognoſcendo nominatam; cognitio enim conſilij mater: Tales itaque parentes, magiſter & vxor, *Iaſoni* futuro medico & rerum naturalium indagatori acerrimo conveniebant. Nunc ad effecta ejus ponderanda veniemus; Quinquaginta illi itineris Comites eliguntur, ferè omnes à Dijs orti: At cur illud? Forſitan quia illa ætas Deos protulit? Non opinor: ſed quia ita Poetæ Orpheo libuit tantos parentes ſuis Argonautis aſſignare, ne viderentur ex humili loco orti, ſed aureolæ eſſe familiæ; Cum enim omnis vel Aeolus, vel *Iupiter*, vel *Mercurius*, vel alij Dij aut Deæ *Nymphæ*ve progenitores ſint, quis illos, vt veros, non agnoſceret? Apud Ethnicos nefas fuiſſet ipſos negaſſe Deos, apud nos licet, & addimus, quod nec Dij nec homines fuerint Argonautarum proavi, *Vt Iaſonis*, *Herculis*, *Hyla*, *Aethalidis*, *Amphionis*, *Augia*, *Calais*, *Caſtoris*, *Cephei*, *Iphicli*, *Aeſonis*, *Lyncei*, *Meleagri*, *Mopſi*, *Pelei*, *Pollucis*, *Telamonis*, *Zetis* & reliquorum; Argo nauis fabricatur, quæ prima dicitur, ex Dodonæa quercu, ex quâ oracula reddebantur, inde malum loquacem et Fatidicam habuit; idque primum eſt conſideratu dignum; quia *Orphei* calamo Poetico et fatidico extructa erat; ſecundũ quod

Avus Medeæ Sol.

Iaſon medicus Medicinæ aureæ artifex Deorum filii Argonautæ.

Argo navis que.

quod *Palladis* consilio fabricata dicitur, hoc est sapientiæ; tertiũ quod tanta moles à 50. viris portari potuerit per deserta Libyæ per 12. integros dies: quartum, quod *Cytharâ* & cantu tantũ *Orphei* gubernata sit; quintũ, quod tandem præ vetustate corruens *Iasonem* sub ea dormientem oppresserit; et sextum, quod inter sydera relata sit, vbi adhuc videtur: Hæc singula navigium, quale fuerit, satis evidenter describunt; nempe ab *Orpheo* fabricatum, rectum, & in æternam rei memoriam syderibus inscriptum: Circa cursum multa occurrunt; At cur *Iason* Medicus Lemnum primó petijt? Nempe, quod additur, vt *Vulcano* litaret; Videtur itaque tota res ad *Vulcanum* potiùs, quam aliò spectare: *Syrtes* et *Syrenes*, *Scylla*, *Charybdis*, item *Petræ errantes Cyaneæ*, sunt pericula maris, quæ loca omnia prætervecti dicuntur, *Orpheo* pulsante Cytharam: *Triton* docuit illos, quo pacto seruari possent; *Phineus* Vates cæcus viam ipsis descripsit; *Mopsus*, *Idmon*, et *Amphiaraus*, et ipsi Vates ex comitibus erant. Cur gleba oblata ab *Eurypylo*, *Neptuni* filio? quia terra Philosophica pro Xenio data, licet vilis sit, non repudianda; Datur à *Neptuni* filio, quia sic decet; Ex aqua enim fit terra: At quid Medea vaticinata est ex hac gleba in aqua dissoluta? Qualis reditus, an prosper, an secus, in patriam futurus, et quis exitus operis: Nisi enim ex aqua terra fiat et ex terra iterum aqua, frustrà laboratur; Ex dissolutione igitur terræ in aquam multa prædicenda erant Medeæ seu rationi consilio præstanti: Addunt non solum *Neptuni* filium *Eurypylum* dedisse hoc donum Argonautis, sed et ab alio *Neptuni* filio, *Euphemo* susceptum & servatum esse: Natura enim naturam ducit, et lætatur sua simili natura: Sic non absque ratione est, quod *Phineus* ab Harpyijs infestabatur, à quibus non nisi à *Boreæ* filijs liberari potuit, quod et factum; à *Calai & Zete* enim Boreæ filijs *Harpyiæ* fugatæ sunt: *Nam geminus ventus venire debet*, vt Basilius Valent: testatur 6. clave, *Vulturnus dictus, ac deinde simplex Notus appellatus, qui ab Oriente et Meridie impetuosè spirabunt, quorum motione*

tione cessante ita vt ex aere facta sit aqua, audacter confides, quod ex spirituali corporale fiet: atque tum *Harpyiæ* erunt fugatæ, hoc est, partes volatiles volare cessabunt: Memorabile quoque est, quod *Petræ Cyaneæ*, quæ Symplegades, seu saxa concurrentia vocantur, duæ existentes, at vna existimatæ, forent adeundæ; Sine his saxis enim visis ad scopum præfixum perveniri non potest, quæ sunt vnum essentiâ, duo ratione; Illorum periculum emissâ columbâ explorandum erat; quia flammis & igne scatebant: Ita & convenit in opere Philosophico; Nam columba alba emittitur, quæ devitare docet omne periculum: Albedo enim spiritus fugere non permittit & fœlicem operis exitum prænunciat: Quis verò tandem petendus scopus fuit? Phasis, aurifer fluvius, ab Hebraico Paz, quod aurum sonat, denominatus; atque *Scythia Ægyptiorum* colonia, in qua Æeta Colchorum rex regnabat: Dicuntur benignè á Phryxi filijs accepti & ad Æetam deducti: Qui ex Sole natus Oceani filiam in vxorem duxerat, ex eâque Medeam progenuerat; Solis itaque filius hunc Thesaurum possedit; Nil mirum; quia Soli proxima loca nostris minerjs resplendent ad Medicinam aptis: Promittitur quidem vellus aureum, sed superatis periculis; Illis autem, quia magna erant, quamplurimi succubuerant: Draco magnitudine navis, quæ quinquaginta remis agitatur, pervigil occidendus erat: Hoc opus, hic labor: Quis tantam bestiam aggrederetur, nisi divinâ *Palladis* arte ac *Medeæ* consilio fretus? Non opus fore arbitror, loca adducere authorum, vbi nostrum magnum draconem inculcant, quæ sunt innumera; Pro exemplo tamen videatur Lull: qui Theor: test: C. 6. *De his tribus*, inquit, *rebus fili magnum draconem extrahes, qui est initium radicale, & principale firmæ alterationis*: Id: C. 10. *Et hac ratione Allegoricè oportet dicere, quod magnus Draco est de quatuor Elementis &c.* Et cap. 9. *In isto liquore rectificatur magnus Draco*: Item cap. 52. *Et in omnibus habitat Draco, scilicet Ignis, in quo est Lapis noster aereus, hæc proprietas est in omnibus Mundi compositis*:

positus; Et C. 54. *In Menstruali fœtenti ignis contra naturam est, qui totum lapidem nostrum in quendam Draconem transmutat, fortem, gutturosum, qui ingrossat & impregnat matrem suam*: Sic alij Draconis, qui non moritur, nisi cum fratre et sorore sua interficiatur, sæpissimè meminerunt: Hic igitur est Draco pervigil massa quadam narcoticâ in fauces ejus immissâ sopiendus et extinguendus; Venenosus est, ideoque afflatu lethalis; ignem jaculatur, hinc tactu metuendus; dentibus præacutis minatur, quibus exarmari debet: Verum *Iason*, Medicus Philosophus à Medea, seu ratione, auxilia præsentissima accepit; Lunæ & Solis imagines collo gestandas, vnguentum Apyrum, quo se inungeret & libam soporiferam cum aqua clarissima, seu lacte virginis omne incendium arcente et extinguente: His munitus remedijs trucidat Draconem, eique dentes extrahit; Tale quid revera in hac medicina contingit: Seminium enim nostræ futuræ segetis vt habeatur, necessum est, quod seminandum in suam propriam terram postmodum fructus dabit: Hoc autem seminium arte ex Dracone, velut dentes, extrahi debet: Quo habito, ad Tauros domandos accessit *Iason*; Quid verò per Tauros intelligatur, jam ante sub Apidis Hieroglyphico, admonuimus: Hoc enim est verum subjectum Medicinæ aureæ sine quo nihil fit, paratis quoque Draconis dentibus: Domandi itaque furiosi & igniuomi Tauri & sub jugum mittendi: Quid multis? Seminium antè paratum hisce Tauris suæ terræ traditur, & terra circumvertitur, quoad sufficiat; tum habilis est et disposita ad fructus ferendos: Iisdem autem auxilijs *Iason* vsus est in subjugandis bobus, quêis in superando Dracone: Potissimum verò remedium fuit illud Pentaculi genus cum Solis & Lunæ imagine, occultâ quadam vi et proprietate conferens contra virus tantorum monstrorum; quod si quis acquirere possit, de victoria ne dubitet; quomodo autem potiatur, docent Philosophi suis libris, cum loquuntur de Sole et Luna, eorumque conjunctione, naturali dissolutione, in rebus

Remedia Iasoni à Medea data quid significent?

radicalibus suæ naturæ, seu in primam materiam reductione; quæ cum vbique obvia sint, non sunt à nobis adducenda. Semine jam terræ tradito, En armati enascuntur viri: Quid hoc ostenti? Antequam enim perfecta mixtio fiat, cum sint duo contrarijs viribus prædita, tumultuantur & rixantur inter sese, hoc est, arma capiunt; Ex lite siquidem & amicitia *Empedocles* omne generationis & interitus initium deduxit; Lapide verò tanguntur, non ligno, neque ferro; peculiaris enim vis lapidis est, quia eminus ferit: Et sic arma terrigenarum convertit in ipsosmet, donec proprio ac mutuo cadant prælio, hoc est, donec ascensus & descensus vaporum nostrorum cessârit, & in fundo vasis vna substantia invariabilis & fixa permanserit: Qua habita, nihil obstat, quó minus Vellere aureo quæsito frui possit: At quid est Vellus aureum? Lapis Philosophicus, summa medicina corporum humanorum: Ad Metalla enim medicus non respicit curanda: *Mercurius* hanc pellem inaurârat arieti, qui Phrixum in Colchidem portarat, detractam; quam alij fuisse candidam, alij purpuream existimant: At verisimile est prius fuisse candidam, pòst purpuream factam, cum á *Mercurio* deaurata esset: In his enim duobus coloribus tota est artis intentio: *Virgilius* quoque *Georg.* 2. meminit hujus certaminis *Iasonij*, vbi sic canit.

Vellus aureum quid denotarit.

Hæc ioca non Tauri spirantes naribus ignem,
Invertère, satis immanis dentibus hydri,
Nec galeis, densisque virûm seges horrnit hastis.

In Martis luco vellus illud suspensum dicitur, quia Marti sacrum Martis robur et constantiam in igne obtineat. Circa reditum multa accidisse memorant, Fratrem *Absyrtum* à *Medea* discerptum in partes, easque scopulis impositas: Sic *Typhon* fratrem *Osiridem*, vt ante diximus, quoq; divisit in membra, quæ *Isis* recollegit, vxor et soror *Osiridis*; Hic

pater

pater filij artus recolligere cogitur: Eadē ratio eſt vtrobiq;: Omnia enim ſunt vnū. Antiquiſſimi ſcriptores, qui omnia hæc *Iaſonis* facinora, tanquā facta, accipiunt, vtpote ad religionem eorū ſpectantia, et ſine labefactatione religionis non refutanda, miré hic ſe torquent, vt omnem falſitatē præcludant, cum de reditu Argonautarum diverſimodé ſcribunt: Nam *Herodotus* in Argonauticis per idem mare illos redijſſe tradit, per quod profecti ſunt in Colchos. *Hecataus Mileſius* voluit é *Phaſide* ingreſſos eſſe in Oceanum, inde in *Nilum*, inde in Mare *Tyrrhenum*, per quod delati ſunt in patriam: *Arthemidorus Epheſius* hos mendacium dicere inquit; quoniam *Phaſis* Oceanum minimé ingrediatur: Alij veró longé aliter de reditu eorum ſentiunt. Ex quibus patet, quod fabula, inſtar Polypi in magna fame, ſe ipſam corrodat, et vt mancam riſuj intelligentiū exponat. Taceant itaque Scriptores, hyſtorici, Poetæ Ethnici, quotquot ſunt prædicare ſuos Deos et Heroas, quos nos Chriſtiani non ſolum ex fide noſtra firmiſſima, ſed etiam ex naturæ operibus et artis circumſtantijs, non pro Dijs neque hominibus agnoſcimus: Taceant quoque inconſyderatiſſimi quiq; ex recentioribus, qui cum Chriſtiani eſſe velint, ejuſmodi tamen facta ſtupenda et incredibilia perſonis à Dijs ortis & deductis, tacito cum Ethnicis conſenſu, attribuunt, eaque propugnare, tanquam ſacræ fidei articulos, audent: Sunt qui dicant, quod Argonautæ peractis omnibus ſuperatiſque periculis in Colchorum regione prius in Iſtrū, deinde per illum in *Adriam* navigârint, & eò præſertim, vbi *Saturnum* vocabant antiqui, vbi laceratus fuit *Abſyrtus*: Ab *Alcinoo* deinde hoſpitio ſuſcepti; *Mopſo Cāthoq;* defunctis vatibus ambigui de navigatione ac ſalute docti fuerunt à *Tritone*, quo pacto ſeruari poſſent: Pòſt in *Cretam* navigarunt, quo in loco cum illi iter á *Talo* (æreo viro tanta celeritate pedum prædito vt ter quotidie totam Inſulam circumierit ac *Iovis* leges deportarit) præcluderetur, per Medeæ Veneficia illo de medio ſublato pervenerunt in

Varietas Scriptorum de reditu Argonautarū

Aeginam ac inde in *Thessaliam*, atque ita dicuntur in patriam rediisse, quam navigationem duodecim mensibus absolvisse ferunt. Quod dicitur, ipsos ingressos Istrum in Adriam navigasse æquè fabulosum est, quàm quod creditur eos ex Phaside ingressos Oceanum; ac deinde in Nilũ, ac post in *Tyrrhenum* mare, aut quod tanto spatio navim portârint donec mare navigabile attigerint; Ister enim non ex Adria procedit, sed sylva nigra, ex qua in Adriam per summa Europæ montium cacumina tenditur, ita vt nimis dificile fuerit Argonautis, côusque Argô navem portasse; Quod deinde Medea Peliam senem Regem filiabus suis jugulandum persuaserit, cum se illum juvenem reddituram promiserit, ac jugulatum reliquerit; *Æsonem* verò *Iasonis* patrem juventuti restituerit coctum, aut ipsum *Iasonem* senescentem, ab alijs atque alijs traditur: sic enim scribit, qui Reditus composuit:

Senex inventuti restitutus à Medea.

Ipsa senectutem studio detergere novit,
Pharmaca vbi coxit permulta lebetibus aureis.

Eodẽ modo *Æschylus* in *Bacchi* nutricibus, nutrices ipsas *Bacchi* vnà cum viris illis coctas fuisse, inquit, et ita ab eâdem juventuti restitutas: Quemadmodum etiam de *Dionyso* et *Osiride*, qui idem est, alibi relatum est: Senem rejuvenescere in opere hujus Medicinæ multis in locis testantur authores, inprimis Balgus in turba; qui, *Accipe*, inquit, *illam arborem albam, ædifica ei domum rotundam, tenebrosam & rore circumdatam, & impone ei magnæ ætatis hominem centum annorum, & claude domum, ne ventus aut pulvis ad eos perveniat; deinde dimitte eos in sua domo 80. diebus; Dico vobis in veritate, quod Senex ille non cessat comedere de fructu Arboris illius, donec iuvenis fiat: O quam miranda Natura, quæ illius Senis animam in corpus iuvenile transformavit, & pater filius factus est: Benedictus sit DEVS Creator optimus.* Tempus navigationis tam celebris mirum est non

Tempus navigationis Argonautica.

excessisse

excessisse 12. menses, cum Salomonis tempore tertio quoque anno navigationes In Indiam vsq; institutæ et absolutæ fuerint; Verùm ita conuenit cum opere philosophico vt plurimum, si cætera bene se habeant: Iasoni quoq; templa in multis locis erecta esse ex credulitate Ethnicâ, legimus, præcipuè apud Abderam Democriti patriam; Quæ supersunt de Iasonis coniugio cum Glauca Creontis regis Corinthi filia, Medeæ in pellicem vindicta & Iasonis fato, nec non alijs ad hanc allegoriam pertinentibus, ex iam dictis & illustratis lucem abundè accipient; Cum verò Orphei, huius allegoriæ authoris, respectus fuerit ad poma Hesperidum aurea, (quia et oues et mala apud Græcos μῆλα ἐκ τοῦ χρύσου vocentur,) eius tempore celeberrima & magnam aureæ medicinæ partem declarantia, de ijs nunc pro nostro instituto pauca trademus.

Allegoria de aureis malis Hesperidum.

2. Allegoria de Aureis malis Hesperidum.

Inter *Herculis* labores, ab Eurystheo ipsi fatali necessitate impositos, recensetur et Aureorum pomorum Hesperidum hortis ablatio, quæ res cum valde difficilis factu esset & ab omnibus, qui id tentârant hactenus, frustrà cum vitæ periculo desperata et relicta, soli Herculi monstrorum domitori conuenire videbatur; Nec verò licitum erat, vt pòst sub Herculis laboribus latiùs dicetur, impositum onus, quantumuis difficile et impossibile ferè humanis viribus æstimaretur, Herculi recusare: Narrant, quibus Ægyptiarum allegoriarum cura fuit, Iunonem, cum nupsisset Iovi, pro dote arbores quasdam aurea ferentes mala dedisse, quas cum Iupiter in precio maximè haberet, velletque vt in loco tutissimo ad æternam memoriam seruarentur, apud Hesperidas Nymphas à dracone peruigili custodiri mandauit: Fuerunt autem Hesperides, Hesperi, fratris Atlantis, filiæ, Aegle, Arethusa et Hespertusa à quibusdam nominatæ; Draco, qui excubias noctu, diu, pro pomis agebat, ex Typhone & Echidna natus, centum capita habebat, varijsq; v-

 tebatur

tebatur vocibus: Alij addunt hortos eos, qui non procul á Lixo oppido Mauritaniæ erant in extrema parte Æthiopiæ, Atlantem montibus vndiq; cinxisse; Quia Themis illi responderat, futurum esse vt filius Iouis eò aliquando accederet et aurea mala carperet: Horum meminit quoq; Virgilius lib.4. Æneid.

Oceani finem iuxta, solemq; cadentem
Vltimus Æthiopum locus est; vbi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum,
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos
Hesperidum templi custos, epulasq; draconi
Quæ dabat & sacros seruabat in arbore fructus.

Ab Hercule consulendi quatuor. Nymphæ. Ad hæc itaq; aurea mala missus est *Hercules* auferenda, qui diu cunctatus, nesciens vbi locorum essent, ad Nymphas Iouis et Themidis iuxta Eridanum in quadam spelunca habitantes contendit, ab ijsq; sciscitatur: Illæ docent *Nereus.* Nereum hac de re esse consulendum; Qui póst interrogatus ab *Hercule*, refert adeundum esse Prometheum, à quo quid esset agendum, admonitus est; Nempe vt Atlantem ad ea pro se mitteret, ac ipse tam diu cælum, dum *Prometheus.* rediret Atlas, sustineret: Verum alijs placet, Herculem ipsum post colloquium cum Prometheo eó profectum, & *Atlas.* Dracone interempto aurea decerpsisse mala, secumq; deportasse ad Eurystheum: Quæ sanè allegoria vt auditu periucunda est, ita non pro auribus otiosis excogitata, sed ab antiquissimis temporibus vsq; ad nostram ætatem deriuata, mentes ingeniosorum potiús, quám sensus voluptate affecit: Quid enim auro gratius? Quid pomis venustius? Quid hortis pulchrius? Si quis igitur audiret aurea poma in arboribus nasci, appetitu quodam innato illis frui desyderaret: Hinc rei nouitas non parum in admirationem auditores traxit, atq; sic occasionem præbuit quam plurimis rimandi et inquirendi, quis nucleus sub tam specioso cortice tegeretur; Multi enim ex Ethnicis, rem, vt narratur,

narratur, non ad literam, sed longè aliter interpretati sunt: Aretas in rebus Libycis oues fuisse sensit, quæ aureæ nominarentur, cumq; inhumanum et agrestem pastorem haberent, dictæ sunt à dracone custodiri: Verùm hic vocabulo, quod et poma et oves significat seductus videtur: Pherecydes ad poma aurei coloris retulit, cui et Lucianus astipulatur: quó spectat quoq; Virgilij versus in egl: Aurea mala decem misi, cras altera mittam: Ex recentioribus quidam his rebus hystoriam subesse subodorati sunt, nempe quod oues fuerint flauo et aureo colore spectantes ad duos fratres Hesperum et Atlantem: Alij ad astronomica applicant, aurea mala ad aureas stellas, & draconem ad solem transferentes: Nonnulli ad Ethica et morum doctrinam accommodant, quasi auari suas seruantes divitias sint velut serpentes aurea mala obseruantes. His nos primúm responsum, deinde et nostram interpretationem dabimus: Cum subiecta secundum prædicata propria intelligenda sint, mirum est Aretam ex malis facere oues; Licet enim hæc et illa vocentur Græcis μῆλα tamen longè differunt rebus et attributis; Hæ lanam gestant fortè auream, illa aurea gestantur ab arboribus: Neq; aliquid causæ est, cur authores omnes poma pro ovibus posuissent, aut oues pro pomis intelligere voluissent? An fortè vnicus est author, qui simpliciter æquivoco isto vocabulo vsus est adeò, vt de sensu non constet, an Poma an oues intellexerit, et non plures huius allegoriæ meminerunt? Existimo permultos: Lusus itaq; est nominis et detorsio violenta ab arboreo fructu ad pecudem, quamuis et hæc auream lanam præbuisse, vt antè narratum est, inueniatur: At friuolum omnino est, quod addit, pastorem eas habuisse inhumanum, ideoq; draconem dictum: O miseras oves, quæ auream habentes lanam tam agrestem senserunt pastorem; Sanè dignæ fuerunt, quæ pastore cæso raperentur ab *Hercule*: Vtrumq; puerile est, credere pastorem talem draconem dictum, et oues reuera aureas lanas portasse; Qui poma esse fatentur, sed aurei coloris, fortè ad

Expositio aliorum.

Responsum ad expositiones aliorum.

tur) ariete Hellespontum vectus in Colchos peruenerit, arietem q; Mercurio sacrificârit et pellem in Martis luco suspenderit, quam Mercurius deaurârit à multis frustrà petitam: Verùm nunc ad ea, quæ notabilia circa hactenus narrata existunt, accedamus: Vbi primum consyderemus, quomodo hæc ab alijs exposita fuerint: Multi autem, i; q; simpliciores, hæc ita contigisse reverà existimant, Iasonem missum, iuisse, cum monstris pugnasse, ijsq; victis redisse domum; At per vellus aureum intelligunt vel oues viuas aurei coloris, vel deauratas; Vel non oues, at mineras auro fertiles in ovium pellibus purgari solitas; Vel librum ex pelle ovium concinnatum, (quam membranam vocant,) in quo artificium Chymicum de auro conficiendo per artem scriptum esset: Alij hæc pro fabulosis quidem admittunt, sed nescio ad quam morum doctrinam detorquent, quasi hæc talia et tanta inuolucra ad mores formandos essent efficta, aut prodessent: Sunt et alij qui hæc omnia pro hieroglyphicis et allegoricis accipiunt, sed non ad mores, nec vulgatam physicam, sed ad occultissima naturæ Arcana, Lapidem philosophicum eiusq; elaborandi modum et artem continentia et inuoluentia, vt nux corticibus nucleum tegit, exponunt; vt præter centenos Chymiæ fauentes idem attestantes, acerrimus quoq; huius artis osor, Natalis Comes, aliorum tamen iudicio, adfirmat: Sic enim lib. 6. c. 8. Mythologiæ; *Fuerunt;* inquit, *qui res in Iasonis navigatione gestas corporum Chemicorum mutationes & aureum Vellus deniq; post tot labores captum, Lapidem vocatum philosophorum esse arbitrentur, qui fit deniq; post tot corporum eorum mutationes.* Nos aliorum præiudicio non abducti hoc vel illud credere, aut illud vel hoc abnegare præsumemus, sed singulorum horum opiniones bilance rationis et experientiæ ponderabimus, vt tandem ad æquilibrium veritatis perveniamus: Ad primæ sortis hystoriam supponentes, quod attinet, qui Iasonem iisse ac redisse tentur, Hoc responsi capiant; Loca sunt quidem in rerum natura, quæ petijsse tales Heroes dicantur;

Mercurius deaurauit pellem.

Expositio aliorum.

Cur à Natali non refutata est hæc opinio, vt pleraq; alia, fortè quia nimis clara?

Responsum: Hystoriam non esse sub Aureo vellere.

dicantur; quia cum hæc sint perpetua et non ita mutabilia vt mundi cætera, semper allegorijs, ne fabulæ viderentur, affiCta sunt, vt patet ferè in omnibus figmentis de *Phrygia, Colchis, Delo, Cypro, Rhodo* et alijs locis olim productis: Nam si fabula aliqua absq; certo loco proferretur, gratiam amitteret, et statim vt fabula se proderet; Verùm tempus, personæ & res gestæ earum cum cæteris circumstantijs Iasonis expeditionis minimè veritati conueniunt: Tempus si spectetur, infinitum est, nec reverà ab aliquo scriptore, qui tum vixerit circumscriptum, vt in hystorijs agnosci possit; Non autem me fugit, quod hoc tempus præcisè ponatur in chronologijs et hystoriarum collectionibus, sed eo fundamento, quod trecentis annis ante Romam conditam *Troia* dicatur deleta, et Iasonis expeditio 100. ferè annis *Troiæ* excidium præcessisse; quia Argonautarum filij interfuerint *Troianæ* expeditioni: Sed vtraq; supponuntur potius, quàm probantur, vt inferiùs sub *Troia* latiùs patebit; Quodsi a personis concludere liceat, quia res absq; personis acta non sit, sublatis personis, tollitur ipsa res: Cum itaq; omnes argonautæ sint personæ fictæ, quemadmodum sunt personæ Comædiarum aut Tragædiarum, aut veluti habentur in Poësi Amadijs dicta, (quæ nec caput nec pedem agnoscit et continua serie res ex rebus, personas ex personis, ficta ex fictis producit et confirmat) siquidem ferè omnes ex dijs, qui nunquam fuerunt nec homines, nec dij, originem ducant, quomodo res ab illis actæ creditæ veræ esse possunt? Si quis hos quomodocunq; excuset, quomodo Hercules, qui *Osiridis* tempore in Ægypto vixisse dicitur, et ab eo peregrinaturo Ægypto præfectus, quod ante 20. millia annorum contigisse fabulantur, et huic Argonauticæ expeditioni interfuit? Aut si per distinctiones liceat multos *Hercules* facere, (vt et Saturnos, Soles, Apollines, Mercurios et his similes) quomodo inquam *Pollux* interfuit Argonautis, et *Helena* cum eo ex vno ouo edita

Locus verus non supponit veritatem rei, quæ in eo gesta fingitur.

Persona ficta res fictas & non hystoriam supponunt.

Omnes Argonautæ personæ fictæ & à dijs oriundæ.

Absurda ad literam vel hyſtoriam. *Troiana* expeditionis; Si deos probaueris, nihil contradicere potero, ſi homines, nimis longævi videntur; *Helena* enim erit ad minimum 120. annorum anus edentula, cum bellum Troianum eius non reſtitutæ gratiâ à tota Græcia gereretur: Cohærent vt arenæ à vento agitatæ: Res verò ſi conſyderetur, vt hyſtoria geſta, *Res incredibiles & natura aduerſa.* pueris, non viris, perſuaderi debet, eſſe tauros, qui ignem vomant, e terra repentino ortu, celerius quam fungi aut cucurbitæ creſcant, ſegetes & phalanges virorum armatas prodire, qui vnico Lapide percuſſi ſe ipſos ad vnum conficiant omnes; Quid de dracone pervigili, qui filius Typhonis & Echidnæ perhibetur, eiuſq; dentibus ſeminatis? Quid de Medeæ pharmacis & conſilijs & innumeris alijs dicemus? An ex illis hyſtoriam faciemus? *Aliorum explicatio.* Fabula itaq; eſt & quidem inſulſa, oues illas lanas aureas vel citrinas habuiſſe vel deauratas fuiſſe, & tantum laboris ſuſceptum ab Iaſone, vt ijs potiretur: Qui de mineris auri eas intellexerint, inter quos Strabo in Geographia, recenſetur, ad rem propius acceſſerunt; Magis adhuc qui de Libro ſeu membrana Chryſopæam continente, interpretati ſunt, vt Svidas: Sed propter has res nemo tanta pericula ſubiret & tam varia, nec opus haberet Medeæ pharmacis; nec Iaſon, qui medicum ſonat, à Chirone, manuali experientia inſtitutus, ad id requiſitus eſſet, ſed alius quicunq;, nec Æſon à Medea iuventuti reſtitutus eſſet; Reſtat itaq; vt ad allegoricam interpretationem rem totam ab initio ad finem accommodemus: *Allegorica Interpretatio veriſſima.* Non quidem ad mores, propriè et primariò, niſi inſanire velimus, aut illos inſaniæ accuſare, qui hæc talia et tanta propter mores finxerint; Secundariò non diffitemur eò, vt et cætera omnia, inflecti poſſe: Nec ad phyſicæ opera ruſticis nota, ſed philoſophis propria & arcaniſſima, Nempe Medicinam auream de aureo animi & corporis medicamento agentem: Nobiſcum ſentiunt et qui nos anteceſſerunt, (Vt Aloyſius Marlianus

lianus integro volumine sub Aurei velleris titulo edito, et qui congesserunt tot de arte Chymica tractatus, diversisq; tomis dispositos Germanicé eâdem operis inscriptione vsi in publicam lucem ediderunt, alijq; innumeri, quos brevitatis gratiâ hic omittimus) et concomitantur, quorum scripta cum omnium terantur manibus, hic non citabimus: Pertinere autem dictam Iasonis peregrinationem cum periculis, rebus gestis, personis & circumstantijs omnibus ad Medicinam Philosophicam, & nihil aliud, quam artificium summum Chymicum et Arcanum Arcanissimum ab Ægyptijs ad Græcos translatum, subq; hac allegoria venustissima descriptum, in specie nunc demonstrabimus.

Iason qualis sit, nomen, educatio, genus & effecta *Iason quis.* probant: Nomen enim medicum exprimit, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι seu à medendo dictum; Ἴασις enim ars est medendi; Non satis est, quod Chirurgus non fuerit, nec medicinam dederit Iason, asserere, vt quidam faciunt, qui idcirco eum ad mores transferunt: Licet enim non fuerit medicus aut chirurgus, (quia nec ipse Iason vnquam in rerum natura extitit) esse vel fuisse fingitur & præsupponitur: Cum nomine enim omina conveniunt omnia: Educatur à Chirone, qui in medicina ipsum instituit, qui *Herculem* et *Achillem* quoq; erudiuit, vnius indolis et familiæ adolescentes, hunc ad bellum Troianum invictum Heroa, illum ad monstra domanda aptissimum: A Chirone itaq; manualem experientiam Iason hausit, vt *Chiron & Medea Iasoni erudiendo profuerunt.* à Medea consilium et Theoriam perfectam ad operis completionem necessariam; Ex quibus notatione dignum occurrit, tractationem qualemcunq; manualem, à Chirone perceptam, in hoc opere investigando præcedere debere Theoriam perfectam à Medea instillatam; Theoria enim perfecta perfectam praxin præcedit, et hæc non illam; sed theoriam perfectam errores multi præcedunt; Hi enim sunt quasi magistri et castigatores in arte;

errores verò non agnoſcuntur, niſi ex praxi ſæpé tentata & repetita; atque ſic apparet, quod *Chironis* inſtitutio præcedat Medeæ conſilia perfectiſſima; hæc quoq; labores artificis ordinent & diſponant: Genus eſt ex genealogia Deorum; *Abavus* enim paternus eſt *Iupiter*; *Polymeda* ej mater, quaſi multi conſilij aſſignatur, *Autolyci* filia, ex *Siſypho*, *Æolo* & *Iove* quoque deſcendens; Sic ſublato *Æolo*, vel *Iove* genus *Iaſonis* à nullo incipit; *Chiron* quoque ſi nunquam fuit, præceptorem non habuit; qui ſané nec in rerum natura extitit, ſi *Saturnus* non cum *Phylyre* Nympha in brutum, Equum, verſus coivit, aut nunquam vixit: *Medea* ſimiliter, conjunx *Iaſonis*, Solis & Oceani neptis eſt; Patrem habuit Æetam, á fulgore dictum, cujus ſorores *Paſiphae*, *Minois* vxor, quæ Minotaurum edidit, & *Circe*, veneficio tranſmutans homines in belvas; matrem *Idyiam*, à cognoſcendo nominatam; cognitio enim conſilij mater: Tales itaque parentes, magiſter & vxor, *Iaſoni* futuro medico & rerum naturalium indagatori acerrimo conveniebant. Nunc ad effecta ejus ponderanda veniemus; Quinquaginta illi itineris Comites eliguntur, ferè omnes à Dijs orti: At cur illud? Forſitan quia illa ætas Deos protulit? Non opinor: ſed quia ita Poetæ Orpheo libuit tantos parentes ſuis Argonautis aſſignare, ne viderentur ex humili loco orti, ſed aureolæ eſſe familiæ; Cum enim omniſi vel Aeolus, vel *Iupiter*, vel *Mercurius*, vel alij Dij aut Deæ *Nymph*æve progenitores ſint, quis illos, vt veros, non agnoſceret? Apud Ethnicos nefas fuiſſet ipſos negaſſe Deos, apud nos licet, & addimus, quod nec Dij nec homines fuerint Argonautarum proavi, *Vt Iaſonis, Herculis, Hylæ, Aethalidis, Amphionis, Augiæ, Calais, Caſtoris, Cephei, Iphicli, Aeſonis, Lyncei, Meleagri, Mopſi, Pelei, Pollucis, Telamonis, Zetis* & reliquorum; Argo nauis fabricatur, quæ prima dicitur, ex Dodonêa quercu, ex quâ oracula reddebantur, inde malum loquacem et Fatidicam habuit; idque primum eſt conſideratu dignum; quia *Orphei* calamo Poetico et fatidico extructa erat; ſecundũ

Avus Medeæ Sol.

Iaſon medicus Medicinæ aureæ artifex Deorum filii Argonautæ.

Argo navis quæ.

quod

quod *Palladis* consilio fabricata dicitur, hoc est sapientiæ; tertiũ quod tanta moles à 50. viris portari potuerit per deserta Libyæ per 12. integros dies: quartum, quod *Cytharâ* & cantu tantũ *Orphei* gubernata sit; quintũ, quod tandem præ vetustate corruens *Iasonem* sub ea dormientem oppresserit; et sextum, quod inter sydera relata sit, vbi adhuc videtur: Hæc singula navigium, quale fuerit, satis evidenter describunt; nempe ab *Orpheo* fabricatum, rectum, & in æternam rei memoriam syderibus inscriptum: Circa cursum multa occurrunt; At cur *Iason* Medicus Lemnum primó petijt? Nempe, quod additur, vt *Vulcano* litaret; Videtur itaque tota res ad *Vulcanum* potiùs, quam aliò spectare: *Syrtes* et *Syrenes*, *Scylla*, *Charybdis*, item *Petræ errantes Cyaneæ*, sunt pericula maris, quæ loca omnia prætervecti dicuntur, *Orpheo* pulsante Cytharam: *Triton* docuit illos, quo pacto seruari possent; *Phineus* Vates cæcus viam ipsis descripsit; *Mopsus*, *Idmon*, et *Amphiaraus*, et ipsi Vates ex comitibus erant. Cur gleba oblata ab *Eurypylo*, *Neptuni* filio? quia terra Philosophica pro Xenio data, licet vilis sit, non repudianda; Datur à *Neptuni* filio, quia sic decet; Ex aqua enim fit terra: At quid Medea vaticinata est ex hac gleba in aqua dissoluta? Qualis reditus, an prosper, an secus, in patriam futurus, et quis exitus operis: Nisi enim ex aqua terra fiat et ex terra iterum aqua, frustrà laboratur; Ex dissolutione igitur terræ in aquam multa prædicenda erant Medeæ seu rationi consilio præstanti: Addunt non solum *Neptuni* filium *Eurypylum* dedisse hoc donum Argonautis, sed et ab alio *Neptuni* filio, *Euphemo* susceptum & servatum esse: Natura enim naturam ducit, et lætatur sua simili natura: Sic non absque ratione est, quod *Phineus* ab Harpyijs infestabatur, à quibus non nisi à *Boreæ* filijs liberari potuit, quod et factum; à *Calai & Zete* enim Boreæ filijs *Harpyiæ* fugatæ sunt: *Nam geminus ventus venire debet*, vt Basilius Valent: testatur 6. clave, *Vulturnus dictus, ac deinde simplex* Notus *appellatus, qui ab Oriente et Meridie impetuose spirabunt, quorum motione*

positus; Et C. 54. *In Menstruali fœtenti ignis contra naturam est; qui totum lapidem nostrum in quendam Draconem transmutat, fortem, gutturosum, qui ingrossat & impregnat matrem suam*: Sic alij Draconis, qui non moritur, nisi cum fratre et sorore sua interficiatur, sæpissimè meminerunt: Hic igitur est Draco pervigil massa quadam narcoticâ in fauces ejus immissâ sopiendus et extinguendus; Venenosus est, ideoque afflatu lethalis; ignem jaculatur, hinc tactu metuendus; dentibus præacutis minatur, quibus exarmari debet: Verum *Iason*, Medicus Philosophus à Medea, seu ratione, auxilia præsentissima accepit; Lunæ & Solis imagines collo gestandas, vnguentum Apyrum, quo se inungeret & libam soporiferam cum aqua clarissima, seu lacte virginis omne incendium arcente et extinguente: His munitus remedijs trucidat Draconem, eique dentes extrahit; Tale quid revera in hac medicina contingit: Seminium enim nostræ futuræ segetis vt habeatur, necessum est, quod seminandum in suam propriam terram postmodum fructus dabit: Hoc autem seminium arte ex Dracone, velut dentes, extrahi debet: Quo habito, ad Tauros domandos accessit *Iason*; Quid verò per Tauros intelligatur, jam ante sub Apidis Hieroglyphico, admonuimus: Hoc enim est verum subjectum Medicinæ aureæ sine quo nihil fit, paratis quoque Draconis dentibus: Domandi itaque furiosi & igniuomi Tauri & sub jugum mittendi: Quid multis? Seminium antè paratum hisce Tauris suæ terræ traditur, & terra circumvertitur, quoad sufficiat; tum habilis est et disposita ad fructus ferendos: Iisdem autem auxilijs *Iason* vsus est in subjugandis bobus, quêis in superando Dracone: Potissimum verò remedium fuit illud Pentaculi genus cum Solis & Lunæ imagine, occultâ quadam vi et proprietate conferens contra virus tantorum monstrorum; quod si quis acquirere possit, de victoria ne dubitet; quomodo autem potiatur, docent Philosophi suis libris, cum loquuntur de Sole et Luna, eorumque conjunctione, naturali dissolutione, in rebus

Remedia Iasoni à Medea data quid significent?

radicalibus suæ naturæ, seu in primam materiam reductione; quæ cum vbique obvia sint, non sunt à nobis adducenda. Semine jam terræ tradito, En armati enascuntur viri: Quid hoc ostenti? Antequam enim perfecta mixtio fiat, cum sint duo contrarijs viribus prædita, tumultuantur & rixantur inter sese, hoc est, arma capiunt; Ex lite siquidem & amicitia *Empedocles* omne generationis & interitus initium deduxit; Lapide verò tanguntur, non ligno, neque ferro; peculiaris enim vis lapidis est, quia eminus ferit: Et sic arma terrigenarum convertit in ipsosmet, donec proprio ac mutuo cadant prælio, hoc est, donec ascensus & descensus vaporum nostrorum cessarit, & in fundo vasis vna substantia invariabilis & fixa permanserit: Qua habita, nihil obstat, quó minus Vellere aureo quæsito frui possit: At quid est Vellus aureum? Lapis Philosophicus, summa medicina corporum humanorum: Ad Metalla enim medicus non respicit curanda: *Mercurius* hanc pellem inaurârat arieti, qui Phrixum in Colchidem portarat, detractam; quam alij fuisse candidam, alij purpuream existimant: At verisimile est prius fuisse candidam, pòst purpuream factam, cum á *Mercurio* deaurata esset: In his enim duobus coloribus tota est artis intentio: *Virgilius* quoque *Georg.* 2. meminit hujus certaminis *Iasonij*, vbi sic canit.

Vellus aureum quid denotarit.

Hæc loca non Tauri spirantes naribus ignem,
Invertère, satis immanis dentibus hydri,
Nec galeis, densisque virûm seges horruit hastis.

In Martis luco vellus illud suspensum dicitur, quia Marti sacrum Martis robur et constantiam in igne obtineat. Circa reditum multa accidisse memorant, Fratrem *Absyrtum* à *Medea* discerptum in partes, easque scopuli s impositas: Sic *Typhon* fratrem *Osiridem*, vt ante diximus, quoq; divisit in membr a, quæ *Isis* recollegit, vxor et soror *Osiridis*; Hic

pater

pater filij artus recolligere cogitur: Eadē ratio est vtrobiq;: Omnia enim sunt vnū. Antiquissimi scriptores, qui omnia hæc *Iasonis* facinora, tanquā facta, accipiunt, vtpote ad religionem eorū spectantia, et sine labefactatione religionis non refutanda, miré hic se torquent, vt omnem falsitatē præcludant, cum de reditu Argonautarum diversimodé scribunt: Nam *Herodotus* in Argonauticis per idem mare illos redijsse tradit, per quod profecti sunt in Colchos. *Hecatæus Milesius* voluit é *Phaside* ingressos esse in Oceanum, inde in *Nilum*, inde in Mare *Tyrrhenum*, per quod delati sunt in patriam: *Arthemidorus Ephesius* hos mendacium dicere inquit; quoniam *Phasis* Oceanum minimé ingreditur: Alij veró longé aliter de reditu eorum sentiunt. Ex quibus patet, quod fabula, instar Polypi in magna fame, se ipsam corrodat, et vt mancam risuj intelligentiū exponat. Taceant itaque Scriptores, hystorici, Poetæ Ethnici, quotquot sunt prædicare suos Deos et Heroas, quos nos Christiani non solum ex fide nostra firmissima, sed etiam ex naturæ operibus et artis circumstantijs, non pro Dijs neque hominibus agnoscimus: Taceant quoque inconsyderatissimi quiq; ex recentioribus, qui cum Christiani esse velint, ejusmodi tamen facta stupenda et incredibilia personis à Dijs ortis & deductis, tacito cum Ethnicis consensu, attribuunt, eaque propugnare, tanquam sacræ fidei articulos, audent: Sunt qui dicant, quod Argonautæ peractis omnibus superatisque periculis in Colchorum regione prius in Istrū, deinde per illum in *Adriam* navigârint, & eò præsertim, vbi *Saturnum* vocabant antiqui, vbi laceratus fuit *Absyrtus*: Ab *Alcinoo* deinde hospitio suscepti, *Mopso Cāthoq;* defunctis vatibus ambigui de navigatione ac salute docti fuerunt à *Tritone*, quo pacto seruari possent: Pòst in *Cretam* navigarunt, quo in loco cum illi iter á *Talo* (æreo viro tanta celeritate pedum prædito vt ter quotidie totam Insulam circumierit ac *Iovis* leges deportarit) præcluderetur, per Medeæ Veneficia illo de medio sublato pervenerunt in

Varietas Scriptorum de reditu Argonautarū

excessisse 12. menses, cum Salomonis tempore tertio quoque anno navigationes In Indiam vsq; institutæ et absolutæ fuerint; Verùm ita conuenit cum opere philosophico vt plurimum, si cætera bene se habeant: Iasoni quoq; templa in multis locis erecta esse ex credulitate Ethnicâ, legimus, præcipuè apud Abderam Democriti patriam; Quæ supersunt de Iasonis coniugio cum Glauca Creontis regis Corinthi filia, Medeæ in pellicem vindicta & Iasonis fato, nec non alijs ad hanc allegoriam pertinentibus, ex iam dictis & illustratis lucem abundé accipient; Cum verò Orphei, huius allegoriæ authoris, respectus fuerit ad poma Hesperidum aurea, (quia et oues et mala apud Græcos μῆλα ἐν τῷ χρύσεῳ vocentur,) eius tempore celeberrima & magnam aureæ medicinæ partem declarantia, de ijs nunc pro nostro instituto pauca trademus. *Allegoria de aureis malis Hesperidum.*

Inter *Herculis* labores, ab Eurystheo ipsi fatali necessitate impositos, recensetur et Aureorum pomorum Hesperidum hortis ablatio, quæ res cum valde difficilis factu esset & ab omnibus, qui id tentârant hactenus, frustrà cum vitæ periculo desperata et relicta, soli Herculi monstrorum domitori conuenire videbatur; Nec verò licitum erat, vt pòst sub Herculis laboribus latiùs dicetur, impositum onus, quantumuis difficile et impossibile ferè humanis viribus æstimaretur, Herculi recusare: Narrant, quibus Ægyptiarum allegoriarum cura fuit, Iunonem, cum nupsisset Iovi, pro dote arbores quasdam aurea ferentes mala dedisse, quas cum Iupiter in precio maximé haberet, velletque vt in loco tutissimo ad æternam memoriam seruarentur, apud Hesperidas Nymphas à dracone peruigili custodiri mandauit: Fuerunt autem Hesperides, Hesperi, fratris Atlantis, filiæ, Aegle, Arethusa et Hespertusa à quibusdam nominatæ; Draco, qui excubias noctu, diu, pro pomis agebat, ex Typhone & Echidna natus, centum capita habebat, varijsq; v- *2. Allegoria de Aureis malis Hesperidum.*

tebatur vocibus: Alij addunt hortos eos, qui non procul á Lixo oppido Mauritaniæ erant in extrema parte Æthiopiæ, Atlantem montibus vndiq; cinxisse; Quia Themis illi responderat, futurum esse vt filius Iouis eò aliquando accederet et aurea mala carperet: Horum meminit quoq; Virgilius lib.4.Æneid.

Oceani finem iuxta, solemq; cadentem
Vltimus Æthiopum locus est; vbi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum,
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos
Hesperidum templi custos, epulasq; draconi
Quæ dabat & sacros seruabat in arbore fructus.

Ad hæc itaq; aurea mala missus est *Hercules* auferenda, qui diu cunctatus, nesciens vbi locorum essent, ad Nymphas Iouis et Themidis iuxta Eridanum in quadam spelunca habitantes contendit, ab ijsq; sciscitatur: Illæ docent Nereum hac de re esse consulendum; Qui pòst interrogatus ab *Hercule*, refert adeundum esse Prometheum, à quo quid esset agendum, admonitus est; Nempe vt Atlantem ad ea pro se mitteret, ac ipse tam diu cælum, dum rediret Atlas, sustineret: Verum alijs placet, Herculem ipsum post colloquium cum Prometheo eò profectum, & Dracone interempto aurea decerpsisse mala, secumq; deportasse ad Eurystheum: Quæ sanè allegoria vt auditu periucunda est, ita non pro auribus otiosis excogitata, sed ab antiquissimis temporibus vsq; ad nostram ætatem deriuata, mentes ingeniosorum potiús, quám sensus voluptate affecit: Quid enim auro gratius? Quid pomis venustius? Quid hortis pulchrius? Si quis igitur audiret aurea poma in arboribus nasci, appetitu quodam innato illis frui desyderaret: Hinc rei novitas non parum in admirationem auditores traxit, atq; sic occasionem præbuit quam plurimis rimandi et inquirendi, quis nucleus sub tam specioso cortice tegeretur; Multi enim ex Ethnicis, rem, vt narratur,

Ab Hercule consulendi quatuor. Nymphæ.

Nereus.

Prometheus.

Atlas.

narratur, non ad literam, sed longè aliter interpretati sunt: Aretas in rebus Libycis oues fuisse censit, quæ aureæ nominarentur, cumq; inhumanum et agrestem pastorem haberent, dictæ sunt à dracone custodiri: Verùm hic vocabulo, quod et poma et oves significat seductus videtur: Pherecydes ad poma aurei coloris retulit, cui et Lucianus astipulatur: quó spectat quoq; Virgilij versus in egl: Aurea mala decem misi, cras altera mittam: Ex recentioribus quidam his rebus hystoriam subesse subodorati sunt, nempe quod oues fuerint flauo et aureo colore spectantes ad duos fratres Hesperum et Atlantem: Alij ad astronomica applicant, aurea mala ad aureas stellas, & draconem ad solem transferentes: Nonnulli ad Ethica et morum doctrinam accommodant, quasi auari suas seruantes divitias sint velut serpentes aurea mala obseruantes. His nos primúm responsum, deinde et nostram interpretationem dabimus: Cum subiecta secundum prædicata propria intelligenda sint, mirum est Aretam ex malis facere oues; Licet enim hæ et illa vocentur Græcis μῆλα tamen longè differunt rebus et attributis; Hæ lanam gestant fortè auream, illa aurea gestantur ab arboribus: Neq; aliquid causæ est, cur authores omnes poma pro ovibus posuissent, aut oues pro pomis intelligere voluissent? An fortè vnicus est author, qui simpliciter æquivoco isto vocabulo vsus est adeò, vt de sensu non constet, an Poma an oues intellexerit, et non plures huius allegoriæ meminerunt? Existimo permultos: Lusus itaq; est nominis et detorsio violenta ab arboreo fructu ad pecudem, quamuis et hæc auream lanam præbuisse, vt antè narratum est, inueniatur: At friuolum omnino est, quod addit, pastorem eas habuisse inhumanum, ideoq; draconem dictum: O miseras oves, quæ auream habentes lanam tam agrestem senserunt pastorem; Sanè dignæ fuerunt, quæ pastore cæso raperentur ab *Hercule*: Vtrumq; puerile est, credere pastorem talem draconem dictum, et oues reuera aureas lanas portasse; Qui poma esse fatentur, sed aurei coloris, fortè ad

Expositio aliorum.

Responsum ad expositiones aliorum.

Absurda ad literam vel hystoriam.

Troianæ expeditionis; Si deos probaueris, nihil contradicere potero, si homines, nimis longævi videntur; *Helena* enim erit ad minimum 120. annorum anus edentula, cum bellum Troianum eius non restitutæ gratiâ à tota Græcia gereretur: Cohærent vt arenæ à vento agitatæ: Res verò si consyderetur, vt hystoria gesta, pueris, non viris, persuaderi debet, esse tauros, qui ignem vomant, e terra repentino ortu, celerius quam fungi aut cucurbitæ crescant, segetes & phalanges virorum armatas prodire, qui vnico Lapide percussi se ipsos ad vnum conficiant omnes; Quid de dracone pervigili, qui filius Typhonis & Echidnæ perhibetur, eiusq; dentibus seminatis? Quid de Medeæ pharmacis & consilijs & innumeris alijs dicemus? An ex illis hystoriam faciemus? Fabula itaq; est & quidem insulsa, oues illas lanas aureas vel citrinas habuisse vel deauratas fuisse, & tantum laboris susceptum ab Iasone, vt ijs potiretur: Qui de mineris auri eas intellexerint, inter quos Strabo in Geographia, recensetur, ad rem propius accesserunt; Magis adhuc qui de Libro seu membrana Chrysopæam continente, interpretati sunt, vt Svidas: Sed propter has res nemo tanta pericula subiret & tam varia, nec opus haberet Medeæ pharmacis; nec Iason, qui medicum sonat, à Chirone, manuali experientia institutus, ad id requisitus esset, sed alius quicunq;, nec Æson à Medea iuventuti restitutus esset; Restat itaq; vt ad allegoricam interpretationem rem totam ab initio ad finem accommodemus: Non quidem ad mores, propriè et primariò, nisi insanire velimus, aut illos insaniæ accusare, qui hæc talia et tanta propter mores finxerint; Secundariò non diffitemur eò, vt et cætera omnia, inflecti posse: Nec ad physicæ opera rusticis nota, sed philosophis propria & arcanissima, Nempe Medicinam auream de aureo animi & corporis medicamento agentem: Nobiscum sentiunt et qui nos antecesserunt, (Vt Aloysius Marlianus

Res incredibiles & natura adversa.

Aliorum explicatio.

Allegorica Interpretatio verissima.

lianus integro volumine ſub Aurei velleris titulo edito, et qui congeſſerunt tot de arte Chymica tractatus, diverſiſq; tomis diſpoſitos Germanicé eâdem operis inſcriptione vſi in publicam lucem ediderunt, alijq; innumeri, quos brevitatis gratiâ hic omittimus) et concomitantur, quorum ſcripta cum omnium terantur manibus, hic non citabimus: Pertinere autem dictam Iaſonis peregrinationem cum periculis, rebus geſtis, perſonis & circumſtantijs omnibus ad Medicinam Philoſophicam, & nihil aliud, quam artificium ſummum Chymicum et Arcanum Arcaniſſimum ab Ægyptijs ad Græcos tranſlatum, ſubq; hac allegoria venuſtiſſima deſcriptum, in ſpecie nunc demonſtrabimus.

Iaſon qualis ſit, nomen, educatio, genus & effecta probant: Nomen enim medicum exprimit, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι ſeu à medendo dictum; Ἴασις enim ars eſt medendi; Non ſatis eſt, quod Chirurgus non fuerit, nec medicinam dederit Iaſon, aſſerere, vt quidam faciunt, qui idcirco eum ad mores transferunt: Licet enim non fuerit medicus aut chirurgus, (quia nec ipſe Iaſon vnquam in rerum natura extitit) eſſe vel fuiſſe fingitur & præſupponitur: Cum nomine enim omina conveniunt omnia: Educatur à Chirone, qui in medicina ipſum inſtituit, qui *Herculem* et *Achillem* quoq; erudiuit, vnius indolis et familiæ adoleſcentes, hunc ad bellum Troianum invictum Heroa, illum ad monſtra domanda aptiſſimum: A Chirone itaq; manualem experientiam Iaſon hauſit, vt à Medea conſilium et Theoriam perfectam ad operis completionem neceſſariam; Ex quibus notatione dignum occurrit, tractationem qualemcunq; manualem, à Chirone perceptam, in hoc opere inveſtigando præcedere debere Theoriam perfectam à Medea inſtillatam; Theoria enim perfecta perfectam praxin præcedit, et hæc non illam; ſed theoriam perfectam errores multi præcedunt; Hi enim ſunt quaſi magiſtri et caſtigatores in arte,

Iaſon quis.

Chiron & Medea Iaſoni erudiendo profuerunt.

errores verò non agnoſcuntur, niſi ex praxi ſæpé tentata & repetita; atque ſic apparet, quod *Chironis* inſtitutio præcedat Medeæ conſilia perfectiſſima; hæc quoq; labores artificis ordinent & diſponant: Genus eſt ex genealogia Deorum; *Abavus* enim paternus eſt *Iupiter*; *Polymeda* ej mater, quaſi multi conſilij aſſignatur, *Autolyci* filia, ex *Siſypho*, *Æolo* & *Iove* quoque deſcendens; Sic ſublato *Æolo*, vel *Iove* genus *Iaſonis* à nullo incipit; *Chiron* quoque ſi nunquam fuit, præceptorem non habuit; qui ſané nec in rerum natura extitit, ſi *Saturnus* non cum *Phylyre* Nympha in brutum, Equum, verſus coivit, aut nunquam vixit: *Medea* ſimiliter, conjunx *Iaſonis*, Solis & Oceani neptis eſt; Patrem habuit Æetam, á fulgore dictum, cujus ſorores *Paſiphae*, *Minois* vxor, quæ Minotaurum edidit, & *Circe*, veneficio tranſmutans homines in belvas; matrem *Idyiam*, à cognoſcendo nominatam; cognitio enim conſilij mater: Tales itaque parentes, magiſter & vxor, *Iaſoni* futuro medico & rerum naturalium indagatori acerrimo conveniebant. Nunc ad effecta ejus ponderanda veniemus; Quinquaginta illi itineris Comites eliguntur, ferè omnes à Dijs orti: At cur illud? Forſitan quia illa ætas Deos protulit? Non opinor: ſed quia ita Poetæ Orpheo libuit tantos parentes ſuis Argonautis aſſignare, ne viderentur ex humili loco orti, ſed aureolæ eſſe familiæ; Cum enim omnis vel Aeolus, vel *Iupiter*, vel *Mercurius*, vel alij Dij aut Deæ *Nymphæ*ve progenitores ſint, quis illos, vt veros, non agnoſceret? Apud Ethnicos nefas fuiſſet ipſos negaſſe Deos, apud nos licet, & addimus, quod nec Dij nec homines fuerint Argonautarum proavi, *Vt Iaſonis, Herculis, Hyla, Aethalidis, Amphionis, Augia, Calais, Caſtoris, Cephei, Iphicli, Aeſonis, Lyncei, Meleagri, Mopſi, Pelei, Pollucis, Telamonis, Zetis* & reliquorum; Argo nauis fabricatur, quæ prima dicitur, ex Dodonêâ quercu, ex quâ oracula reddebantur, inde malum loquacem et Fatidicam habuit; idque primum eſt conſideratu dignum; quia *Orphei* calamo Poetico et fatidico extructa erat; ſecundũ

Avus Medeæ Sol.

Iaſon medicus Medicinæ aureæ artifex Deorum filii Argonautæ.

Argo navis quæ.

quod

quod *Palladis* consilio fabricata dicitur, hoc est sapientiæ; tertiũ quod tanta moles à 50. viris portari potuerit per deserta Libyæ per 12. integros dies: quartum, quod *Cytharâ* & cantu tantũ *Orphei* gubernata sit; quintũ, quod tandem præ vetustate corruens *Iasonem* sub ea dormientem oppresserit; et sextum, quod inter sydera relata sit, vbi adhuc videtur: Hæc singula navigium, quale fuerit, satis evidenter describunt; nempe ab *Orpheo* fabricatum, rectum, & in æternam rei memoriam syderibus inscriptum: Circa cursum multa occurrunt; At cur *Iason* Medicus Lemnum primò petijt? Nempe, quod additur, vt *Vulcano* litaret; Videtur itaque tota res ad *Vulcanum* potiùs, quam aliò spectare: *Syrtes* et *Syrenes*, *Scylla*, *Charybdis*, item *Petræ errantes Cyaneæ*, sunt pericula maris, quæ loca omnia prætervecti dicuntur, *Orpheo* pulsante Cytharam: *Triton* docuit illos, quo pacto seruari possent; *Phineus* Vates cæcus viam ipsis descripsit; *Mopsus*, *Idmon*, et *Amphiaraus*, et ipsi Vates ex comitibus erant. Cur gleba oblata ab *Eurypylo*, *Neptuni* filio? quia terra Philosophica pro Xenio data, licet vilis sit, non repudianda; Datur à *Neptuni* filio, quia sic decet; Ex aqua enim fit terra: At quid Medea vaticinata est ex hac gleba in aqua dissoluta? Qualis reditus, an prosper, an secus, in patriam futurus, et quis exitus operis: Nisi enim ex aqua terra fiat et ex terra iterum aqua, frustrà laboratur; Ex dissolutione igitur terræ in aquam multa prædicenda erant Medeæ seu rationi consilio præstanti: Addunt non solum *Neptuni* filium *Eurypylum* dedisse hoc donum Argonautis, sed et ab alio *Neptuni* filio, *Euphemo* susceptum & servatum esse: Natura enim naturam ducit, et lætatur sua simili natura: Sic non absque ratione est, quod *Phineus* ab Harpyijs infestabatur, à quibus non nisi à *Boreæ* filijs liberari potuit, quod et factum; à *Calai & Zete* enim Boreæ filijs *Harpyiæ* fugatæ sunt: *Nam geminus ventus venire debet*, vt Basilius Valent: testatur 6. clave, *Vulturnus dictus, ac deinde simplex* Notus *appellatus, qui ab Oriente et Meridie impetuosè spirabunt, quorum motione*

positus; Et C. 54. *In Menstruali fœtenti ignis contra naturam est, qui totum lapidem nostrum in quendam Draconem transmutat, fortem, gutturosum, qui ingrossat & impregnat matrem suam*: Sic alij Draconis, qui non moritur, nisi cum fratre et sorore sua interficiatur, sæpissimè meminerunt: Hic igitur est Draco pervigil massa quadam narcoticâ in fauces ejus immissâ sopiendus et extinguendus; Venenosus est, ideoque afflatu lethalis; ignem jaculatur, hinc tactu metuendus; dentibus præacutis minatur, quibus exarmari debet: Verum *Iason*, Medicus Philosophus à Medea, seu ratione, auxilia præsentissima accepit; Lunæ & Solis imagines collo gestandas, vnguentum Apyrum, quo se inungeret & libam soporiferam cum aqua clarissima, seu lacte virginis omne incendium arcente et extinguente: His munitus remedijs trucidat Draconem, eique dentes extrahit; Tale quid revera in hac medicina contingit: Seminium enim nostræ futuræ segetis vt habeatur, necessum est, quod seminandum in suam propriam terram postmodum fructus dabit: Hoc autem seminium arte ex Dracone, velut dentes, extrahi debet: Quo habito, ad Tauros domandos accessit *Iason*; Quid verò per Tauros intelligatur, jam ante sub Apidis Hieroglyphico, admonuimus: Hoc enim est verum subjectum Medicinæ aureæ sine quo nihil fit, paratis quoque Draconis dentibus: Domandi itaque furiosi & igniuomi Tauri & sub jugum mittendi: Quid multis? Seminium antè paratum hisce Tauris suæ terræ traditur, & terra circumvertitur, quoad sufficiat; tum habilis est et disposita ad fructus ferendos: Iisdem autem auxilijs *Iason* vsus est in subjugandis bobus, queîs in superando Dracone: Potissimum verò remedium fuit illud Pentaculi genus cum Solis & Lunæ imagine, occultâ quadam vi et proprietate conferens contra virus tantorum monstrorum; quod si quis acquirere possit, de victoria ne dubitet; quomodo autem potiatur, docent Philosophi suis libris, cum loquuntur de *Sole* et Luna, eorumque conjunctione, naturali dissolutione, in rebus

Remedia Iasoni à Medea data quid significent?

pater filij artus recolligere cogitur: Eadẽ ratio est vtrobiq;: Omnia enim sunt vnũ. Antiquissimi scriptores, qui omnia hæc *Iasonis* facinora, tanquã facta, accipiunt, vtpote ad religionem eorũ spectantia, et sine labefactatione religionis non refutanda, miré hic se torquent, vt omnem falsitatẽ præcludant, cum de reditu Argonautarum diversimodé scribunt: Nam *Herodotus* in Argonauticis per idem mare illos redijsse tradit, per quod profecti sunt in Colchos. *Hecateus Milesius* voluit é *Phaside* ingressos esse in Oceanum, inde in *Nilum*, inde in Mare *Tyrrhenum*, per quod delati sunt in patriam: *Arthemidorus Ephesius* hos mendacium dicere inquit; quoniam *Phasis* Oceanum minimé ingrediatur: Alij veró longé aliter de reditu eorum sentiunt. Ex quibus patet, quod fabula, instar Polypi in magna fame, se ipsam corrodat, et vt mancam risuj intelligentiũ exponat. Taceant itaque Scriptores, hystorici, Poetæ Ethnici, quotquot sunt prædicare suos Deos et Heroas, quos nos Christiani non solum ex fide nostra firmissima, sed etiam ex naturæ operibus et artis circumstantijs, non pro Dijs neque hominibus agnoscimus: Taceant quoque inconsyderatissimi quiq; ex recentioribus, qui cum Christiani esse velint, ejusmodi tamen facta stupenda et incredibilia personis à Dijs ortis & deductis, tacito cum Ethnicis consensu, attribuunt, eaque propugnare, tanquam sacræ fidei articulos, audent: Sunt qui dicant, quod Argonautæ peractis omnibus superatisque periculis in Colchorum regione prius in Istrũ, deinde per illum in *Adriam* navigârint, & eò præsertim, vbi *Saturnum* vocabant antiqui, vbi laceratus fuit *Absyrtus*: Ab *Alcinoo* deinde hospitio suscepti, *Mopso Cãthoq;* defunctis vatibus ambigui de navigatione ac salute docti fuerunt à *Tritone*, quo pacto seruari possent: Pòst in *Cretam* navigarunt, quo in loco cum illi iter á *Talo* (æreo viro tanta celeritate pedum prædito vt ter quotidie totam Insulam circumierit ac *Iovis* leges deportarit) præcluderetur, per Medeæ Veneficia illo de medio sublato pervenerunt in

Varietas Scriptorum de reditu Argonautarũ

excessisse 12. menses, cum Salomonis tempore tertio quo- *Allegoria de*
que anno nauigationes In Indiam vsq; institutæ et abso- *aureis malis*
lutæ fuerint; Verùm ita conuenit cum opere philosophico *Hesperidum.*
vt plurimum, si cætera bene se habeant: Iasoni quoq;
templa in multis locis erecta esse ex credulitate Ethnicâ,
legimus, præcipuè apud Abderam Democriti patriam;
Quæ supersunt de Iasonis coniugio cum Glauca Creontis regis Corinthi filia, Medeæ in pellicem vindicta & Iasonis fato, nec non alijs ad hanc allegoriam pertinentibus, ex iam dictis & illustratis lucem abundé accipient; Cum verò Orphei, huius allegoriæ authoris, respectus fuerit ad poma Hesperidum aurea, (quia et oues et mala apud Græcos μῆλα ἐκ τοῦ χρύσου vocentur,) eius tempore celeberrima & magnam aureæ medicinæ partem declarantia, de ijs nunc pro nostro instituto pauca trademus.

Inter *Herculis* labores, ab Eurystheo ipsi fatali ne- *2. Allegoria*
cessitate impositos, recensetur et Aureorum pomorum *de Aureis*
Hesperidum hortis ablatio, quæ res cum valde difficilis *malis Hespe-*
factu esset & ab omnibus, qui id tentârant hactenus, *ridum.*
frustrà cum vitæ periculo desperata et relicta, soli Herculi monstrorum domitori conuenire videbatur; Nec verò licitum erat, vt pòst sub Herculis laboribus latiùs dicetur, impositum onus, quantumuis difficile et impossibile ferè humanis viribus æstimaretur, Herculi recusare: Narrant, quibus Ægyptiarum allegoriarum cura fuit, Iunonem, cum nupsisset Iovi, pro dote arbores quasdam aurea ferentes mala dedisse, quas cum Iupiter in precio maximé haberet, velletque vt in loco tutissimo ad æternam memoriam seruarentur, apud Hesperidas Nymphas à dracone peruigili custodiri mandauit: Fuerunt autem Hesperides, Hesperi, fratris Atlantis, filiæ, Aegle, Arethusa et Hespertusa à quibusdam nominatæ; Draco, qui excubias noctu, diu, pro pomis agebat, ex Typhone & Echidna natus, centum capita habebat, varijsq; vtebatur

tebatur vocibus: Alij addunt hortos eos, qui non procul á Lixo oppido Mauritaniæ erant in extrema parte Æthiopiæ, Atlantem montibus vndiq; cinxisse; Quia Themis illi responderat, futurum esse vt filius Iouis eó aliquando accederet et aurea mala carperet: Horum meminit quoq; Virgilius lib.4.Æneid.

Oceani finem iuxta, solemq; cadentem
Vltimus Æthiopum locus est; vbi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum,
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos
Hesperidum templi custos, epulasq; draconi
Quæ dabat & sacros seruabat in arbore fructus.

Ad hæc itaq; aurea mala missus est *Hercules* auferenda, qui diu cunctatus, nesciens vbi locorum essent, ad Nymphas Iouis et Themidis iuxta Eridanum in quadam spelunca habitantes contendit, ab ijsq; sciscitatur: Illæ docent Nereum hac de re esse consulendum; Qui póst interrogatus ab *Hercule*, refert adeundum esse Prometheum, à quo quid esset agendum, admonitus est; Nempe vt Atlantem ad ea pro se mitteret, ac ipse tam diu cælum, dum rediret Atlas, sustineret: Verum alijs placet, Herculem ipsum post colloquium cum Prometheo eó profectum, & Dracone interempto aurea decerpsisse mala, secumq; deportasse ad Eurystheum: Quæ sané allegoria vt auditu periucunda est, ita non pro auribus otiosis excogitata, sed ab antiquissimis temporibus vsq; ad nostram ætatem deriuata, mentes ingeniosorum potiús, quám sensus voluptate affecit: Quid enim auro gratius? Quid pomis venustius? Quid hortis pulchrius? Si quis igitur audiret aurea poma in arboribus nasci, appetitu quodam innato illis frui desyderaret: Hinc rei nouitas non parum in admirationem auditores traxit, atq; sic occasionem præbuit quam plurimis rimandi et inquirendi, quis nucleus sub tam specioso cortice tegeretur; Multi enim ex Ethnicis, rem, vt narratur,

Ab Hercule consulendi quatuor. Nymphæ.

Nereus.

Prometheus.

Atlas.

narratur, non ad literam, sed longè aliter interpretati sunt: *Expositio aliorum.* Aretas in rebus Libycis oues fuisse censit, quæ aureæ nominarentur, cumq; inhumanum et agrestem pastorem haberent, dictæ sunt à dracone custodiri: Verùm hic vocabulo, quod et poma et oves significat seductus videtur: Pherecydes ad poma aurei coloris retulit, cui et Lucianus astipulatur: quò spectat quoq; Virgilij versus in egl: Aurea mala decem misi, cras altera mittam: Ex recentioribus quidam his rebus hystoriam subesse subodorati sunt, nempe quod oues fuerint flauo et aureo colore spectantes ad duos fratres Hesperum et Atlantem! Alij ad astronomica applicant, aurea mala ad aureas stellas, & draconem ad solem transferentes: Nonnulli ad Ethica et morum doctrinam accommodant, quasi auari suas seruantes divitias sint velut serpentes aurea mala obseruantes. His nos primùm responsum, deinde et nostram interpretationem *Responsum ad expositiones aliorum.* dabimus: Cum subiecta secundum prædicata propria intelligenda sint, mirum est Aretam ex malis facere oues; Licet enim hæc et illa vocentur Græcis μῆλα tamen longè differunt rebus et attributis; Hæ lanam gestant fortè auream, illa aurea gestantur ab arboribus: Neq; aliquid causæ est, cur authores omnes poma pro ovibus posuissent, aut oues pro pomis intelligere voluissent? An fortè vnicus est author, qui simpliciter æquivoco isto vocabulo vsus est adeò, vt de sensu non constet, an Poma an oues intellexerit, et non plures huius allegoriæ meminerunt? Existimo permultos: Lusus itaq; est nominis et detorsio violenta ab arboreo fructu ad pecudem, quamuis et hæc auream lanam præbuisse, vt ante narratum est, inueniatur: At friuolum omnino est, quod addit, pastorem eas habuisse inhumanum, ideoq; draconem dictum: O miseras oves, quæ auream habentes lanam tam agrestem senserunt pastorem; Sanè dignæ fuerunt, quæ pastore cæso raperentur ab *Hercule:* Vtrumq; puerile est, credere pastorem talem draconem dictum, et oues reuera aureas lanas portasse; Qui poma esse fatentur, sed aurei coloris, fortè ad

ad mala arantia aut citria respiciunt; Verùm cum hic fructus per se bonus, non adeò admirabilis aut rarus fuerit, sed semper, vt et nunc, suis locis natalibus suam speciem propagârit, non videtur operæ pretium his arboribus tantum custodiæ per nymphas et draconem abhibitum fuisse: Deinde de aureis malis refertur, et non de imitantibus colorem auri: Qui ex hisce astronomica faciunt, cælo iniuriam inferunt, quod ex stellis poma, et ex sole draconem fingant; Ita enim ex cælo ijdem arborem, quam draco Ladon dictus (vt Apollonius lib. 4. asserit) amplectitur, figurant: At *Herculem* dicunt solem, cuius 12. labores sint totidem signa cælestia; Sole autem adueniente disparent stellæ; Optimè quidem conueniunt; Sed qui ita opinantur mihi de rebus non intellectis, quasi intellectis, garrire et nugari videntur, de quibus alias: Simili modo qui hæc propter mores efficta credunt primariâ intentione, in physicis arcanis se nihil videre fatentur: In quibus etsi nos Lynceum non imitemur, qui acumine visus ad interiora terræ penetrasse narratur, divitias subterraneis clavstris reconditas, tanquam coràm, speculatus, tamen nisi Saturni filia nos fallat, huius allegoriæ evidentiorem et magis genuinam, quàm illi ante dicti, explicationem dabimus: Per *Herculem* tot laborum tolerantissimum Victorem, intelligi inprimis Artificem Medicinæ aureæ sub eius laboribus evoluendis inferiùs demonstrabitur; Eo igitur præsupposito, licet ad mores et virtutes inculcandas *Herculis* exemplo non ineptè quoq; vtendum esse non negemus, Atlantem, montem Mauritaniæ celeberrimum eo tempore, vt adhuc, omnis generis mineratum, quarum ad Medicinam Philosophicam vsus est, feracem, hortum *Hesperidum* Nympharum cinxisse verè asserimus: *Atlas* enim *Hesperi* frater, quia ad Hesperi occasum Ægypti et Græciæ respectu situs sit; Hinc et *Mercurius* Atlantiades dicitur, quia à quibusdam in Atlante genitus æstimatur: Quod de Atlante astronomo, qui sphæram invenerit & illas gentes Mauritaniæ docuerit, quidam

Explicatio verissima.

Hercules Artifex laboriosus.

ATLAS quis.

quidam fabulantur, veritati non conuenit; multò minus, quod alij dicant, Regem fuisse Mauritaniæ à Perseo in montem tantæ magnitudinis, capite Medusæ ostenso, mutatum; Hæc enim sunt poëtarum figmenta et emblemata, quibus alia arcaniora, sub illis latentia, adumbrârunt et depinxerunt: Astronomum Atlantem dicunt, quia astra in eius cacumine clarissimé obseruari possint, præsertim cum vt Africa et Ægyptus claro cælo, nec pluvijs nebuloso, fruatur; Deinde quia eius altitudinis sit, vt vertex inter nubes et astra, vt videtur, reconditus sit: Ac tertiò quod quasi humeris cælum sustinere putetur; Dicitur enim statuæ viri, cacumine tanquam capite ascendendo, figuram repræsentare: Hic Atlas, cuius Pleiades narrantur filiæ, (ex quarum vna Maia dicta Iovi natus est Mercurius, vt pòst tradetur sub genealogia deorum,) Hesperum fratrem et ex illo neptes habuit tres Hesperidas, *Æglen, Arethusam & Hespertusam*: Per Hesperum eiusq; filias, eadem montana loca Atlantis intelligimus: Nam licet Atlas accipiatur quasi de vno monte, tamen eodem nomine & continuitate complectitur omnes sibi adiacentes montes reliquos; Atlas enim totam feré Africam maritimam peruadit, atq; sic non vnum montem, sed multa millia compræhendit; Quemadmodum de Tauro Asiæ, Alpibus, Apenninis & Pyrenæis Europæ montanis similiter constat, sub singulis innumeros montes & colles contineri: Sic de Pleiadibus & Hesperidibus intelligimus, quod sint partes & quasi filiæ propagatæ à magnis illis & præruptæ altitudinis montibus Atlante & Hespero: E Maia itaq; Mercurius non immeritó nascitur, vt Atlantiades dicatur, & ab Aegle, Arethusa & Hespertusa arbores aurea gestantes mala seruantur; quæ inde Hesperidum appellantur: Draco, qui custodiæ eorum præfectus est, ex Echidna & Typhone genitus, centum capitum traditur: Numerosa autem eorundem parentũ soboles extare legitur, Eaq; venenosa & monstrosa semper; Vt draco ad fontẽ Cadmi socijs lethalis, alius ad Vellus aureum, tertius hic ad mala

Atlas cur astronomus fingatur.

Nota.

Draco quis.

M Hespe-

Hesperidum, quartus ad Geryonis boves; Item *Cerberus, Sphynx, Chimara*, & ejusmodi alia horrenda & multiformia monstra, de quibus suis locis: *Typhon* sulphureum et ardentem spiritum, Echidna aquosam & frigidam volubilem substantiam denotat; Ex his enim duobus minerarum diversæ species pullulant, quæ semper monstrorum nominibus propter naturæ varietatem appellatæ & descriptæ ab antiquis fuerunt: De Dracone, vtpote de genere, quemadmodum & de loco natali malorum aureorum, ex his satis constat; nunc de specie tantarum arborum ejusq; fructuum videbimus: Arborem esse inversum animal quibusdam ex Physicis placet, eâ ratione; quia radices versus terræ centrum habeat, vel ad inferiora, quæ os animalis referunt ad superiora dispositum; si verò ventriculum, ejusq; venas meseraicas aut Epar in Animali consideremus pro principio distributionis alimenti per venas corporis, alia res est: Ad eundem modũ mineræ, ex quibus metalla depromuntur, & medicinæ fiunt ad corporũ humanorum curationem vtiles, arborem quandam generis vegetabilis repræsentant; Nam radices earum, quæ sunt duplex fumus sulphuris et argenti vivi, sunt centro propinquiores, atq; inde versus superiora vergentes venas suas per saxa et terræ tractus extendunt mirabiliter, vt revera magnæ alicuius arboris longè lateq; ramos suos propagantis schema repræsentent, si oculis perspici possint, vt ab experientia venas illas investigantium patet: Quod si hæc ita se habeant, constat quid per arbores illas aurea ferentes mala intellectum sit; Nam sanè hæ sunt arbores, non in aere crescentes, sed sub terra, quæ aurea mala gerunt; dummodo discernantur à sylvestribus eæ, quæ sunt melioris indolis: In hoc enim tota difficultas versatur, nempe eligere quæ sunt arti idoneæ; Ideo Morienus circa finem sui tractatus hæc notabilia verba adijcit: *Similiter scias quod maior radix huius operis est in inquisitione specierum, quæ sunt meliores ad hoc magisterium: Nam vnaquaque minera multorum est generum.* De his arboribus mineralibus sub terra cresc-

Minera monstrorum nominibus tecta.

Arbor mineralis.

crescentibus omnes feré authores meminerunt sub alijs atque alijs verbis; idem innuentes, fructus nempe aureos cum sua arbore sumendos esse, & transplantandos; Sic Fla. *Granum fixum*, inquit, *est velut pomum, & Mercurius arbor; Non est igitur separandus ab arbore fructus, quia non potest aliunde nutrimentum accipere: Et mox: quo denuo plantetur citra fructus ablationem, in fertiliorem terram atque nobiliorem, quæ plus nutrimenti dabit vno die, quam prior ager in centum annis exhibuisset, ob ventorum assiduam agitationem: Altera terra, quod* Solis proxima *sit, crescere, vegetareque facit arborem continuo rore, & assiduo Sole in horto Philosophico, mane, vespere, dies & noctes, ac in singulas horas absque intermissione, lucente, arborque rore dulcissimo conspergitur ac nutritur vno anno magis, quam in priore terra decem millibus.* *Greverus* quoque arborem hanc mineralem demonstrat, cujus radices inquit esse *Mercurium*, ramos vero quadruplices imperfectorum metallorum; inque ijs argentum et aurum referre flores et fructus: Quibus nihil evidentius dici potuit ad subjectum artis declarandum et aurea mala Hesperidum, quid sint, quovè modo crescant, exponendum: Nec id adeò mirum videri debet, quasi naturæ adversum sit, cum quotidie cernamus per insitionem surculorum diversi generis arborum in truncos sylvestres seu ignobiles, fructuum nobilitationem fieri, ita vt quãtum ars possit in vegetabilibus, quæ heterogenearum & non similarium sunt partium, manifestum fiat; Vnde in minerali genere eo præsertim, quod puré homogeneum est multò citius & facilius id fieri posse, rationabile est et ab experientia notissimum: Idem in animalium ac ipsius hominis corpore contingere jampridem innotuit, quomodo nimirum nasus, aures & similes partes refici et restaurari possint ex carne humanâ vivâ, cujus rei oculati testes adfuimus cum Bononiæ excellentissimum *Gasp. Tagliacotium* ejusmodi perficientem familiariter noverimus: Possent hic innumera exempla ex naturæ et artis operibus idem attestantia produci, sed supervacanea

Aurea mala quid sint.

fore existimavimus, cum sensus artificum non à ratione auxilium aut probationem petant, sed contrà: Vnicum hoc loco nobis sufficiat: In quibusdam locis, vbi hyberno tempore omnia frigore & glacie rigent, si surculus circa initium Decembris ex pomo arbore decidatur & aliquot diebus locis calidis seu Hypocaustis in aqua disponatur, folia & flores producit sua venustate & novitate conspicuos, quod vulgaribus quoque notum est; At Philosophi inde materiam primam in surculis arboreis latentem agnoscunt, & similiter de aureis malis in suis ramis & radicibus contentis judicant: Intelligenti satis: Aut si placet, rarius exemplũ naturæ vegetabilis addemus, quod hanc rem non parum illustrare possit: Sunt, qui circiter 25. diem Novembris folia brassicæ in fossam sesquipede altam sub terra recondant, ibique per hyemis nives & frigus vsque ad 25. Martij sub dio relinquant, ac tum non brassicæ folia, sed semen purissimum inde eximant; vt jurati mihi testes affirmârunt se id quotannis factitasse: In qua transmutatione videmus per solam putrefactionem vegetabile illud (vt et de alijs plantis asserunt) ad materiam suam primam, ex qua est, vel potius ad vltimam, in quam tendit, reduci: Quod quoque in artificio Chymico, sed suo modo, fieri debet: Arbor itaque nostra aurea gerens poma rationalibus satis innotuit, vt et hujus Allegoriæ explicatio: Vt autem *Hercules* hanc arborem exploraret, ad Nymphas *Iovis et Themidis* concessit, quæ juxta *Eridanum*, auriferum Italiæ fluvium, habitabant in speluncis seu fodinis subterraneis; ab ijsque consilium expetijt; At cur illud? quia naturæ opera inprimis consulenda sunt, hoc est, consyderandum, quomodo natura procedit in suis operationibus; Ideo Philosophi in multis locis ad explorandum veram materiam investigatorem ad opera naturalia ablegant eaque penitùs consyderanda invitant, vt passim apud Gebrum et alios videre est: Nymphæ illæ in speluncis seu auri fodinis habitantes remittunt *Herculem* ad *Nereum*; qui Ponti & Terræ filius veridicus Vates

1 Exemplum vegetabilium

2 Exemplum rarius.

Nymphæ quæ.

Vates creditus eſt; Hic Trojanas calamitates Paridi prædixit; antiquiſſimus Deorum ab Orpheo dictus: Ad eum Hercules veniens varijs formis eludere conantem tam diu detinuit, donec in priſtinam figuram rediret, remque indicaret: Pater fuit 50. Nereidum, ab vndis educatus & nutritus, cujus filiæ circa currum Tritonis præcipuè curſitent. Hic eſt primum Ens à Philoſophis ſæpe inquirendum iuſſum, ſine quo ad aurea mala non patet via vel tranſitus: *Nereus quis.* Prometheus verò, ἀπὸ τῆς προμηθείας, id eſt, a providentia dictus, ad quem conſulendum à Nereo ablegatur, ignem detulit hominibus et habetur pro Titane ignifero, Oceano amicus, *Prometheus quis.* rerum divinarum contemplator, cuj cum Vulcano & Pallade ara communis fuit; Cujus conſilio Saturnus à Iove in Tartarum dejectus eſt, Vnde Saturnus elapſus in Italiam ad Ianum tum ibi regnantem venit, à quo hoſpitio comiter exceptus, eundem vivendi rationem & cultum agrorum docuit: Ianus pro accepta diſciplina fertur ej dimidium ſui Regnj remuneraſſe, et in pecunijs, quæ ex illius ingenio primum ſunt impreſſæ, navem fuiſſe ex altera parte, ex altera bifrontem effigiem; quia regnum ſcilicet communi conſilio Iani & Saturni gubernaretur, vt Ouid. Lib. 1. Faſtorum tradidit. Verùm nos non dubitamus per Prometheum præviam mentis ſpeculationem circa hoc opus exprimi, vnde aram cum Pallade et Vulcano communem habuit; nec immeritò dicitur Iovi conſilium dediſſe de patre incarcerando et ad inferos detrudendo; Ex ſpeculatione enim mentis prævidetur hoc omne, nempe poſt nigredinem fuſcam albedinem ſequuturam: De Regno Iani et Saturni Hyſtoriæ antiquæ meminerunt quidem, ſed ex Poetarum fabulis: Ita enim perſuaſum habebant gentiles, Saturnum Deum Cœli & Terræ filium, à Iove Deo Regno expulſum eſſe, et multa alia paſſum. Sed hæc Hieroglyphica ſunt omnia, & ab Ægyptijs

vel Græcis efficta ad eas res, quas vellent, ijs velut inuolucris inuoluendas: Per Ianum Bifrontem, materiam vel rem vnam intelligimus, Rebis dictam, et duas res continentem, aut si mauis, duplicem mercurialem substantiam; Quod Saturnus regni consors ipsi adiungitur, longé aliam rationem habet, quam quilibet diuinare poterit, qui causam non ignorauerit, cur Romæ antiquitus Triton supra Saturni ædem conspiceretur: Sunt enim illa ænigmatica et nonnihil obscura: At cur pecunia prima Saturni auspicijs cusa sit, evidens est ratio, quia ille primus est planetarum, qui ad thesauros claues gerit, si colorem et ordinem respicias: Pecunia dicta est à pecude, non, vt hactenus vulgatum, quod ovis eâ emi potuerit, sed quia ovem habuit impressam vnà cum nave, hoc est Argo; Nam eius navigationis insigne fuisse non est dubium, continens et navem et pecudem, cuius aureum vellus fuit; Præter alios quamplures, horum malorum aureorum meminit Greverus inter recentiores, qui ipsi legi poterunt: Ex eodem horto Hesperidum Eridos quoq; Pomum aureum Troiani belli primaria causa, petitum fuit, de quo in sequentibus lib. 6. dicemus: Inprimis illa, quæ à Venere Hippomeni tradita finguntur aurea mala tria, Atalantæ obijcienda: Cum enim hæc regia virgo esset non solum formæ dono præstantissima, sed etiam venatu et iaculandi arte celebratissima multos ad se procos allicuit; Verùm pater Schæneus nulli in matrimonium eam elocare voluit, nisi à quo ipsa pedibus aliás pernicissima victa esset; cui victori virgo, victo mors addiceretur: Multis itaq; id frustra tentantibus et mortem oppetentibus Hippomenes ex Veneris consilio et dono tria aurea mala currenti virgini, vnum post aliud, proiecit, vnde illa, detenta desyderio tollendi, victa et Hippomeni coniunx data est: Qui cum ob amorem moræ impatiens in templo matris deûm cum sponsa coiret, deæ illius iram in se concitavit, vnde vterq; leonina pelle et feritate conspicui syluas petierunt: Dicitur autem Atalanta cum viris certasse venatu et victoriæ præmio

Arcana.

Pecunia primitus vnde dicta.

3. *Pomum aureum Eridos.*

4. *Mala aurea Atalantæ obiecta.*

præmio propter aprum insignis magnitudinis occisum à Meleagro donata; Cumq; inter venandum apud Stethæum Æsculapij fanum siti laboraret, traditur saxum cuspide percussisse atq; frigidissimæ è saxo prorumpentem fontem elicuisse: Hæc Chymica esse nemo non videt, nisi forte talpâ cæcior sit: Quidam nihilominus ad mores et auaritiam denotandam, seu nuptias auro conciliandas applicant, quod illis non inuidemus, dummodo illi nec nobis succenseant, quod nos occultiori physicæ tanquam proprio suo iuri postliminio restituamus: Virginem esse regiam nostram materiam multorum testimonijs innotuit, at fugax est et alas habet in pedibus, nempe Mercurij talaria; Ideo quemlibet cursu prævenit, nisi astu et stratagemate tractetur: Quomodò autem hoc fieri debeat, hæc allegoria sapientum innuit: Accipiantur igitur mala aurea et successiuè proijciantur illi, et victor evades: Nil apertius, nil accommodatius: Post in fano matris deûm amoris nexu concumbunt; Hoc est in vase noto seu in domo vitrea et vertuntur in leones; Quia fuluere incipiunt et in alia animalia dominari: Fugacia enim quæcunq; facilè in prædam capiunt sibiq; in nutrimentum conuertunt: At cur mortem oppetunt, qui vincuntur à virgine? Quia vt Bacasser in Turba inquit; *Nihil magis dolorem cordi generat, quam error in hac arte: Dum enim quis putat se fecisse, mundum habere, nihil in manibus suis inueniet.* Aprum occidit, quia altera Diana est; Fontem ex saxo elicit propè fanum Aesculapij; Quia petræ philosophicæ durissimæ dant aquam: Sic Riplæus in fig: Produxit aquam ex terra et oleum ex durissima rupe: Aureis quoq; allegorijs annumeremus Ceruam illam aureis cornibus insignem, æripedem ab Hercule captam: At quid artificij est, inquies, capere ceruam, et puerile prorsus existimabis illud tanto Heroi, quantus Hercules fuisse creditur, imperatum aut perpetratum esse: Fateor, res levior foret, quam quod literis tradi debuisset, nisi magna arcana sub venatione huius ceruæ occultata essent: Cerua autem tum

Nota.

5. *De cerua aureis cornibus ab Hercule capta.*

aurea

aurea cornua et pedes æreos habebat, tum Dianæ sacra erat et inviolabilis; Non ergo sagittis aut jaculis, nec canibus, sed cursu præhendenda erat: Sanguinem enim inde ex vulneribus profluere non decebat; sic enim vel viribus imminuta vel prorsus extincta esset: viva autem et integræ sanitatis capienda erat; solo itaque cursu defatiganda. In Mænalo monte versabatur; vbi et aper et leo, aliæque belvæ ejusmodi degêrunt: Ad hanc *Hercules* ab *Eurystheo* missus, vt ad se deferret, annum integrum currendo insumpsisse dicitur, antequam eam defatigare potuerit: sed illa denique fessa in montem Artemisium confugit, et ad Ladonem amnem jam jam tranatura capta est, et Mycenas super humeris deportata; Tum dicunt Eurystheum adeó fuisse virtute *Herculis* perculsum, vt dolium æneum sibi ad latibulum comparaverit, neque in vrbem Herculem admiserit. Est autem cerva ex fugacibus animalibus nigri sanguinis et melancholicæ carnis; ideoque innati pauoris; Cursu salutem quærit, si vrgeatur, eoque valet pernicissimo: At cum æreos habeat pedes et aureola cornua præter communem cervarum naturam, ab his nonnihil in fuga detinetur et retardatur, ita vt defatigari possit: Nisi enim in materia Philosophica fugaci et volatili esset illud ipsum solare lumen, seu aureum jubar, ferè nunquam sisti aut figi animadverteretur: Hoc patet ex Philosophorum innumeris testimonijs: Sic enim *Rosarius*: *Argentum vivum*, inquit, *per se nil valet; cum verò mortificatur cum corpore suo occulto, tunc valet & vivit vita incorruptibili, et hoc corpus est de natura Solis.* Et Arnoldus: *In nostro lapide sunt Sol & Luna in virtute & potentia, ac etiam in natura: si hoc non esset, non fieret inde Sol neque Luna; quia Sol & Luna in nostro lapide sunt meliores, quam vulgares in ipsorum natura, eò quod Sol & Luna in nostro lapide sunt vivi & vulgares sunt mortui respectu* Solis et *Lunæ in nostro lapide; Ideo Philosophi nominaverunt ipsum lapidem Solem & Lunam invicem; quia in ipso sunt potentialiter, & non visibiliter, sed in virtute & essentia.* Hinc quidam ex recenti-

recentioribus quoq; huius ceruæ meminerunt, sed ei Monocerotem adiungunt, cum inquiunt: *Philosophi dicunt strenuè, duo animalia esse in hac sylua, vnum laudabile, formosum & alacre: magnũ & robustũ ceruum, Aliud vnicornu, monstrat Philosophus.* Et Basilius Valentinus tradit asinum sub terra putrefactum in ceruum mutatum aureis cornibus: Æreos quoq; pedes habet resplendentes et albos: Quia res, cuius caput est rubeum, oculi nigri et pedes albi, est nostrum magisterium: Et notum est, quoties æs philosophicum repetatur; Hoc enim fundamentum & basis est operis, vt non immeritó in animali pedes referat: Dianæ sacra est, quia de more mactabatur illi cerua, vt patet in allegoria de Iphigenia; Diana autem est natura lunaris: Sol enim & luna est tota compositio: Cursu defatigatur, hoc est, cóvsq; in suo vase ascendendo & descendendo præcluditur, ne fugere possit, donec quasi fessa materia in fundo maneat, nec amplius ascendat, idq; igne leviori: Si vero vis ignis adesset, violentia animali fugaci fieret: In montem Artemisium fessa confugit, & ad amnem Ladonem capta est; Quia ita oportuit virginem manere inviolatam; Vt pote Dianæ sacram, quæ Artemis dicta est, quasi ἀερτέμις id est, aerem secans, vt quidam volunt, vel vt alij, quod integros faciat, vt author est Strabo, l. 14. Est autem Ladon Arcadiæ fluuius, ex cuius filia Metope & Asopo, Thebano flumine, Thebe nympha nata fingitur, quæ vrbi nomen dedit; Est quoq; Ladon serpentis aurea poma custodientis nomen, vt dictum; Quocunq; referatur, sensus rei conuenit: In Mænalo Arcadiæ monte mineris abundante, vnde Mænalci versus, versabatur; Quia ille locus poëtis erat celebratissimus: Humeris Herculeis deportatur Mycenas, ne lædatur: At cur tantus timor Euristheum inuasit ob captam ceruam ab Hercule, cum alias immaniores feras sæpiús prostrauerit, nempe leonem, aprum, hydram & his similes? Sic videtur quid maius arte, quam Marte vincere, cunctatione, quam festinatione, lenitate, quam violentiâ: Hinc annum totum

absumpsit continuè currendo et insequendo feram; Ita enim operis ratio postulat: *Annum enim sumimus*, inquit *Riplaus*, post: *antequam nostram calcem preparemus: Nam minori temporis spacio calx nostra confici non potest, fusionis capax cũ colore, qui non evanescit.* Mythologi vt has fabulas ad suum captum explicent, ex Hercule solem cæli faciunt, qui per annum integrum currat, et nescio quam ceruam aureis cornibus insectetur; Sed hæc quia à genuina sua natura ad alienam detorta facilè agnoscantur, non constant, nec quid vtilitatis legentium vel audientium animis præstant, præter nebulas et tenebras, quas nos aliquatenus discussimus: Midas præterea auri symbolum tenet, vt et votum; Quod cum à Baccho, quòd Silenum humaniter excepisset, impetrasset, vt nempe quicquid tangeret, in aurum converteret, miser fame ferè enectus esset, nisi voti pœnitentiâ ductus cessationem aurificationis iterum obtinuisset, hoc remedio, vt sese in Pactolo fluvio lavaret, qui auriginem hanc ad sese transtulit, vt inde aureas arenas iactitârit: Perbella fabella est auribus non ingrata, nec oculis, cum nil nisi aurum, quod ardetur et sititur ab omnibus, ostentet, ad auarorum appetitum insatiabilem declarandum et refrenandum aptissima: Midas enim permultos voto esse constat, sed paucissimos effectu: Quia appetere immensitatem opum, est in cuiusq; voluntate, at impetrare in Dei dono: At quis deus est, qui donum adeò noxium petenti concessit? Fictitius & Hieroglyphicus, non ille, qui verè Deus est & dicitur, nobisq; dat bona magis vtilia, quàm placentia, vt pater filiolis: *Bacchus* enim, qui et *Dionysius*, et *Osiris*, aureorum deorum primarius est, ideoq; tanti doni largitor: Sed Silenum eius magistrum aut comitem benignè excipere conuenit; Qui pando insidens asello, licet à pueris senex derideatur, plus tamen habet in recessu, quàm fronte promittit: Hinc illud de Silenis Alcibiadis increbuit, dicterium in Socratem deformissimum exterius, interius pulcherimũ iacta-

6. De Mida aurei voti participe.

Sileni Alcibiadis.

iactatum; Generosus enim dominus aliquando in vili domuncula moratur, et mens polita literis, in corpore pannis annisq; obsito: Per Silenum autem, vt et Pana, et Satyros, comites itineris Bacchi seu *Osiridis*, nihil aliud intelligitur, quàm vilitas et syluestritas seu ruditas materiæ philosophicæ, quæ si humaniter et suauiter tractetur, qui mox inde sequitur auripotens deus, *Bacchus* multiplicem gratiam pro gratia rependit: Hoc denotat votum Midæ; Propriè autem aurifica vis suo subiecto impressa per hoc intelligitur, quæ immensa est et semper multiplicabilis, nisi refrenetur ac in propria sua aqua virtus illa ignea restinguatur; De hac philosophi multis in locis agunt, inprimis Lullius pract: testam: Cap. 23. vbi inter cætera, *Et quando*, inquit, *dimittit eam in speciali forma sulfuris, id est pulueris subtilis, tunc ostendit quod magnæ ignitionis est, nec propter hoc eum minus appreciari debes, sed fortius honorare, cum fieri possit ad simplicis ignitionis terminum per discretionem operatoris sapientis in doctrina, quam superius ars confert in substantia multiplicatiua.* His addemus et alia aurea antiquitatis symbola et hieroglyphica, quæ revera in rerum natura non fuerunt, sed vt alia per hæc declararent, inuenta ab artificibus et poetis; Vt sunt Aurea ætas, aurea pluvia, aurea messis et his similia: De Aurea ætate receptum est, quod aliquando acta sit sub Saturno rege, vt argentea sub Ioue, et póst ærea & ferrea sub alijs; At si Saturnus nec deus nec homo aut rex fuerit, nulla revera ætas aurea extitit: Quod si demus, fuisse regem, An igitur tempus aureum sub eo magis, quam sub Iove? Fortè, quia Iupiter impius in patrem, quem eviravit, et adulter et homicida? An talis non Saturnus quoque fingitur, qui Cælum patrem castrauit, sororem Rheam pro coniuge, Philyrem pro pellice præter cæteras habuit, et proprios deuorauit liberos? pro Iove tamen saxum seu lapidem deglutivit, quem cum concoquere non potuerit, evomuit; atque is Lapis, vt Hesiodus

7. De aureis admirandis.

Aurea ætas

LAPIS in Helicone positus.

memorat, pro monumento mortalibus in Helicone positus est: Vt hunc lapidem viderent & tangerent, tot antiquissimi Poetæ finxerunt de Helicone superando, in cujus vertice sapientia ex Musarum fonte haurienda sit: Saturnum cum Iano nunquam regnasse, vt Ethnici crediderunt & finxerunt, quó se à Dijs originem ducere alijs probarent, ex ante dictis constat, sed ejus operâ pecuniam primam impressam esse verisimile est, vt suprà narratum: Auream verò ætatem dici novimus sub Saturno actam, quia omnium aureorum Deorum initium à Saturno, tanquam progenitore eorum dependeat. Sæpenumero quoque Poetæ alijq; Scriptores aureæ pluviæ mentionem faciunt, eamque non Metaphoricè, vt Auream ætatem, accipiunt, sed propriè, quasi reverâ contigerit; Narrant enim Sole cum Venere concumbente in Rhodo Insula pluviam auream decidisse, ac pòst ex illo congressu Rhodum natum: Id Poetis quidem condonandum ob licentiam fuisset, nisi & Hystorici idem affirmarent: Sic enim *Strabo* lib. 14. scriptum reliquit, *In Insula Rhodiorum aurum pluisse, cum Minerva capite Iovis nata est:* Pluisse lapides, frumenta, ranas, sanguinem, bestiolas, insecta, in hystorijs passim annotatum legimus; & alia monstrosa multa præter naturæ ordinem, eorumque singulorum physicas causas reddere nituntur, quasi in aerem vi ventorum, vel radiorum solarium rapta, ibique concreta & generata, vel ex seminio proprio vel materiæ habilitate postmódum dimittantur; Verùm de auro, ejusque generatione in aere etiamsi legeremus, fidem non adhiberemus: At pluvias aliquando miraculosas ex Dei nutu, vt Mosis tempore in Ægypto, aut magica vi, vt ibidem, contigisse et adhuc contingere posse, non est dubium, cum experientia id testetur omnibus ætatibus et locis; aureas verò in Rhodo cecidisse pro certo haberi posset, si fato diuino & miraculo missæ

Aurea pluvia

ſæ demonſtrarentur; verùm cum addatur, tum accidiſſe, cum Sol Veneri accubuiſſet, ac Pallas è Cerebro Iovis nata proſiluiſſet, Allegoriam ſeu fabulam probè agnoſcimus: Ethnici tam monſtroſa & incredibilia, vtpote ſuis Dijs poſſibilia, non in dubium aut quæſtionem verterunt, quia Solem eſſe Deum et Venerem Deam arbitrati ex eo nil niſi Divinum procreatum iri cenſuerunt: Eadem ratio circa Palladis ortum data eſt: Nos novimus Allegoriam, vt Dijs illis omnibus, ſic etiam hujc pluviæ aureæ, in eorum concubitu aut ortu prolapſæ, ſubeſſe; Si enim Sol Philoſophicus cum Venere, pulcherrimâ fœminâ, congrediatur, Rhodus naſcitur ille, qui quæritur à mille millibus & à pauciſſimis invenitur; ac interim aurea pluvia ſuboritur; quia aurum cum auro, terra foliata cum ſua aqua, Sol cum Venere, miſcetur: Roſeus ſanè fœtus eſt ſive Rhodus, qui ex tanto complexu in lucem editur: Sic Pallas ſapientiæ Dea ex Iovis Cerebro, ſed Vulcani ſecuri obſtetrice, non ſine cauſa exorta traditur cadente auro per pluviam in Rhodo; Abſque Vulcano enim, vt inſtrumento primario operis, ſapientia magiſterij non perficitur; hoc eſt, perfecta cognitio rei occultæ abſque prævia manuali tractatione haberi nequit: Theorica enim ſcientia perfecta Virgo eſt, & ſolum ex Iouis Cerebro, tanquam Seminario ſuo, naſcitur, nec Vulcanijs aut fabrilibus artibus permiſcetur; Vnde eadem Pallas Vulcanum, ſibi vim inferre conantem, maſculè repulit, de quorum rixâ Erichthonius originem duxit: Ejuſdem generis, nempè aurei, pluvia fuiſſe fingitur, quæ Danaæ in gremium deſcendit, tantâ efficaciâ vt inde Perſeus Heros fortiſſimus natus ſit, vim lapidificam Meduſæ, cum adoleviſſet, tollens eamque capite plectens, ex cujus ſanguine guttatim ſparſo Chryſaor, Geryonis tricorporis pater, natus eſt, de quibus aliàs ſuo loco latius traditur: Vt interim alia huc

Aurea pluvia in Danaes ſinum illabens.

Chryſaor.

Messis aurea. *Aurea carmina.* *Corona aurea Pythagoræ.*

spectantia, quamplurima præteremus, inter quæ Messis aurea, quæ fuisse dicitur, cum *Pythagoras* Crotone arcana suæ Philosophiæ mysteria docuerit, & ejusdem *Pythagoræ* aurea Carmina, quæ adhuc supersunt, nec non Corona aurea ab eodem in capite omnium primò, (fortè ante multarum gentium reges) gestata, numerantur; verùm de his alias copiosiùs: Nunc ad auream Deorum Genealogiam sequenti Libro tradendam, progrediemur.

* * *

Finis Libri Secundi.



LIBER



LIBER TERTIVS.

DE AVREA DEorum, Dearumque Genealogia, ex qua tanquam arbore Philosophica, innumeri rami Heroum Hieroglyphicorum propagantur.



Efutationem Deorum, Dearumque gentilium, à tot seculis antiquissimis apud Poetas & Hystoricos, nec non majorem mundi partem receptorum hac nostrâ quasi vltima ætate, quâ Christiana religio ex Dej gratia clarissimé refulget, instituere velle, esset telam multis annorum millibus contextam retexere, ac forté operam ludere; tum quia Christianis in sua fide satis confirmatis supervacaneum, tum quia Ethnicis scriptoribus, qui feré omnia superstitiosis Deorum et Heroum ab ijs ortorum factis repleverunt, impossibile idipsum videri possit: Propterea ne quis æstimet, nos hunc tractatum ideo congessisse, quasi inde nunc prius veritas doctrinæ conspici, aut falsitas Ethnicorum numinum depræhendi debeat; Id enim ex sacra hystoria, omni exceptione majori, jampridem innotuit; Attamen cum quæ non prosint singula, multa iuvent, & licitum sit vel Sole medium tenente Cœli in privatis ædibus accendere lucernam, vt loca quæ obscuriora sunt

ra sunt, penitus introspici queant; non immeritò quoq; existimavimus nos operæ pretium facturos, si Deorum et Dearum genealogias per se satis involutas, & per nullum hactenus ad suam veram originem, ex qua promanârunt, reductas, nostrâ qualicunque illustratione, lucidiores redderemus: Non enim videtur tantum luminis ingenio humano accedere, si solum sciat res seu personas pro Dijs habitas longissimisque temporibus creditas non esse Deos, quàm si ad hæc indaget ex veritatis fontibus, quid per eas res seu personas à sapientioribus intellectum sit & intelligi debeat, cum dij non sint; Non enim frustrà aut casu introductas esse vel quilibet imaginari potest: Hoc vt præstemus, pro talento à summo largitore nobis concesso, primo libro res Ægyptias præcipuas, Hieroglyphicas dictas, evolvimus, secundo Græcorum magis conspicuas, & auro insignitas Allegorias percurrimus; Nunc auream Deorum, Dearumque familiam, ex qua tanquam Cathena numerosa Deorum & Heroum progenies, quâ Mundus, hucusque laborat, dependet, recensebimus: Homerus lib. Iliad. 8. tradit, Deos omnes pendentes ex aurea Cathena, Iovem de Cœlo detrahere conantes, quorum tamen conatus fuit irritus: Sublato enim Iove, maxima eorum pars tollitur, quorum ille Progenitor existit; Præponderat itaque cæteris omnibus authoritate et dominio, quia Cœli jmperium, vt fabulantur, ad ipsum pervenit: Hunc omnes Ethnici pro maximo Deorum coluerunt; Cum verò ex se ipso ortus non dicatur, sed ex parentibus tempore prioribus ipso, ab illis incipiemus; qui cum nec ipsi, vtpote Saturnus & Rhea, absque vlla origine esse agnoscantur, sed ab alijs quoque prognati, ad hos nempe Cœlum & Terram, progrediemur: Ethnici absque vlla sacrarum literarum traditione aut cognitione præsupposita ex densis humanæ mentis tenebris varias de Deo undique partibus opiniones conceperunt: Nonnulli causam primam æternam contemplati sunt, sed mundum velut effectum ejdem coævum adjunxerunt, vt Peripathetici cum

Ex negativis propositionibus nulla scientia provenit.

Deorum genealogia aurea.

Cathena aurea Homeri.

cum suo Aristotile; Alij causam efficientem Deum æternum, non ab æterno condidisse Mundum, sed voluntariè in tempore, vt Platonici, vnà cum divino *Platone*; quorum sententia Christianis magis affinis est, quam reliquorum Philosophorum: Nonnulli casu confluxisse mundum ex atomis imaginati sunt: Quidam partes quasdam minores, alias post alias factas, seu coagulatas esse, vt butyrum ex lacte finxerunt; Sic Arcades jactabant se ante Lunam extitisse; ac alij quæstionem illam solvere conantes, an ovum prius gallinâ, an gallina prior ovo in rerum natura fuerit, mirabiles ortus hominum & animalium tradunt, quemadmodum de muribus Ægypti in initio primi libri narravimus: Atque hi cum Creatorem cœli & terræ, qui omnia ex nihilo fecit, non agnoscerent, animalia quidem omnia, vt & vegetabilia ex terra & aqua inter se mistis diversa proportione, accedente aere & igne, sua sponte prosilijsse putârunt, ac cœlum et terram, absque origine semper fuisse: Idcirco, si pro operibus factis seu creatis haberent, ne cogerentur et efficientem causam eorum fateri, et sic in infinitum progredi, ipsos pro primis dijs non genitis receperunt; Cœlo aerẽ et Terrâ aquam seu Oceanum et maria complexi: Præter hæc, flumina, fontes, montes ac ventos terræ et cœlo coætaneos statuerunt, vel adfines vel cognatos; aut quod magis credibile, ex primo concubitu natos: Ex cœlo et terra, itaq; omnium Deorum ortus deducitur, vt et aliarum rerum omnium: Verùm etsi tam frivolis et absurdissimis placitis non opus sit responsum opponere, tamen paucissimis verbis multa complectemur, quibus eorum intentio prorsus destruitur: Si homo ex homine duplicis sexus, nec non animalia reliqua ex proprio semine, Item et vegetabilia, ex suis similibus semper oriuntur, idque in tempore, secundum singula individua; tum nihil eorum fortuito productum, nec æternum quid est secundum individua, imó nec speciem; Quodque de partibus verum est, nulla est causa, cur non etjam de toto verissi-

Censorinus de his videatur.

Ratiocinatio contra Ethnicorum opiniones de individuis ab æterno propagatis.

mum sit; Sed primum ab ipsa experientia ratum habetur; Et ratio connexionis nota est; quia quicquid ex semine suæ speciej oritur, id naturaliter & non fortuito oritur; & quod in omnibus jndividuis in tempore ortum est, id æternum retró dici nequit: Ergo sequitur & secundum verum; Homo jtaque & cætera animalia, vegetabilia, & omnes terræ et aquæ partes, species & contenta, aer et totum Cœlum cum suis contentis, non fuerunt ab æterno, sed esse in tempore ceperunt; Non ex seipso; Ergo ex alio; Quis ille alius? Deus Deorũ, Creator creaturarum: Cætera argumenta, cum sint notoria hic prætereamus, et Deos primos et magnos creditos, Cœlum et Terram consyderemus cum sua propagine: Non negamus quosdam sapientiores Ethnicorum, cum viderint tantam Deorum turbam dari, quæ ad vnitatem primæ causæ tandem reduci debeat, omnes feré Deos ad Elementa mundi majoris reduxisse, atque ita pluralitati numinum tacité renunciasse; inter quos *Varro* est maximè occupatus ne fabulosi prorsus Dij appareant; verùm cum hæc opinio multa absurda foveat, et non sit de intentione authorum, qui primi ex Ægyptó hanc Deorum cognationem in Græciam produxerunt, nos illam omninò repudiamus: Ex Cœlo et Terra itaque Saturnus et Rhea progeniti sunt; Deinde Titanus, Iapetus, Thetis, Ceres, Themis, et alij, quos Hesiodus enumerat: Ex Saturno et Rhea, Iupiter, Iuno, Neptunus, Glauca et Pluto: Ex Saturno et Philyre, Chiron; ex Saturni genitalibus Venus: Ex Iunone solâ Hebe: ex Iove solo cum Metim vxorem devorasset, Pallas ex capite: Ex Iove et Iunone conjuge *Vulcanus & Mars*; *Iovi* ex pellice Latona, *Apollo & Diana*: ex *Maia, Mercurius*: ex *Semele Dionysius*: ex *Danae Perseus*; ex *Alcmena Hercules*; ex *Leda*, *Pollux* et *Helena*, *Castor* et *Clytemnaestra*, ex binis ovis: Ex *Europa Minos* et *Rhadamanthus*: Ex *Antiope Amphion et Zethus*; ex *Thalia Palici* fratres: ex *Cerere Proserpina*: Atq; hi sunt ex multis Iovis filijs præcipui, de quibus solum, cæteris omissis, agemus

Cathena aurea Deorum, Dearum & Heroum, seu Genealogia.

deinde;

deinde paucos eosque insigniores ex *Nepotibus* ejus ac pronepotibus tangemus, *Neptuni* plærisque de octoginta, quot numerantur, filijs ex diversis *Nymphis* prognatis, nec non alijs brevitatis gratia neglectis: Cœlum et Terrā concubuisse, si naturaliter, prout cœlum est agens et terra patiens, illud forma, hæc materia accipiatur, non repugnamus, creatis creandis et quibuslibet ex semine suo provenientibus; si veró supernaturaliter, aut provt verba sonant, pro actu generationis seu coitione, elleboro extirpandum phantasma judicamus, non ratione aut argumento; Mirum est Sapientes Ethnicos hoc somnium somniasse vt Cœlo, patri Saturni, testiculos attribuerint, eosq; à Saturno, ne plures generarentur ipsi liberi, amputatos esse: Nemo vnquam in ergastulis magis delyravit, quam hi sapientes dicti; nullus de *D*eo veram opinionem minùs amplexus est, quàm hi Theologi, si dijs placet, appellati: Verùm respondebunt, rationabiliter id factum, hoc est, Cœlum castratum esse, ne scilicet aliud cœlum generaret, aliamve terram: At si omne simile generat suum simile, tū *Saturnus* et Rhea, alijque *Saturnini* filij erunt novi cœli, nouæq; terræ, quod tamen ab illis non receptū est, sed plærunq; ex *Saturno* Tempus, ex *Titano* et *Iapeto*, nescio quos progenitores, ex Thetide deam marinam, ex Cerere deam frugum, ex Themide deam justitiæ faciunt: Videamus primò *Saturnum* et ex filio patrem, aut ex hoc patre sequentes filios consyderemus: Pingebatur ab antiquis senex pallidus curvus, alterâ manu falcem gestans et draconem caudam sibi mordentem, altera filium parvum ori apponebat ac vorabat: Caput galeâ tegebatur, et super illa erat amictus: Habebat iuxta se quatuor filios, é quibus *Iupiter* virilia amputabat, é quibus *Venus* oriebatur: Narrant *Saturnum*, licet junior esset *Titano*, tamen ad sese regnū transtulisse, ideoq; bellū inter *Titanum*, hujusq; filios *Titanes* dictos, et *Saturnum* exortum, eaq; lege cōpositum, vt si qui liberi masculi ex *Rhea* nascerentur *Saturno*, é medio tollerentur: *Saturnus* itaque

Cœlus & Terra.

Saturnus & Rhea.

Hieroglyphica Saturni.

Iovem recens natum ad se deferri iussit, verùm à Rhea circumventus lapidem fascijs involutum accepit, quem mox pro Iove devoravit: Et *Iupiter* alibi in Creta à Corybantibus nutritur, donec justam ætatem attingeret: Eodem modo *Neptunus* & *Pluto* nati præ voracitate *Saturni* à Rhea semper aliud offerente salvati dicuntur: Cum veró & Philyram Oceani filiam amaret, Opi superveniente, in equũ se convertit, exq; ea *Chironem* centaurorum iustissimum & prudentissimum (tot discipulorum *Iasonis, Herculis, Achillis* Magistrum) generavit; Pòst *Saturnus* idem á filio passus est, quod ille suo patri intulerat, nempe castrationem et á regno dejectionem; juxta regulam, Per quæ quis peccat, per eadem punitur: Tum profugus Cœli filius dicitur in *Italiam* venisse; Mirum est, tam exiguam terræ portionem tam magni patris filium sustinere potuisse, eumq; exulem ibidem latentem (vnde Latium dictum volunt) hospitio excepisse: At ita nugari placuit Ethnicis, vt saltem suarum regionum et vrbium denominationes, fundationes et gubernationes ad aliquem antiquissimorum Deorum reducerent, ne ex hominibus, sed dijs orti et progeniti crederentur: *Saturni* area antiquitus cereis accensis excolebatur, *cereiq;* mittebantur ab invicem ditioribus; quia *Saturnus* quasi lumen vitæ humanæ esse vel designare videbatur, et multorum commodorum inventor habebatur: In hujus Dej honorem cum celebrarentur Saturnalia apud Romanos Domini serviebant seruis. Præ cæteris autem memorabile est, vt Natalis ex Trismegisto adducit, tres omnino sapientes Trismegisti tempore floruisse, nempe *Cælum, Saturnum* et *Mercurium:* Plærique, vt dictum, *Saturnum* pro tempore explicârunt, quasi hoc ex cœli motu ortum, sitque vnum saltem, ideo *Saturnum*, vt et cœlum, virilibus spoliatum esse: idem tempus omnivorum esse, omnesque suos filios, in tempore et ex tempore generatos absumere, et quasi devorare, nullique parcere, nisi fortè lapidibus durissimis, ideoque lapidem à Saturno vomitione

Nota.

tione ejectum dici: Hæc quidem similia sunt, sed quatuor, vt aiunt, non incedunt pedibus: Nam si Cælus sit pater temporis Saturni, cur Terra mater? An Terra concepit tempus? Quid terra ad temporis productionem confert? Quid cœlum nisi ad Planetarum motum respicias? Quid si cœlum staret et Planetæ tantum moverentur, an propterea non esset tempus? Cur non Sol potiùs, qui annum, diem et noctem, æstatem et hyemem, aliasque vicissitudines temporis causatur, pro Tempore aut patre temporis, quam *Saturnus* aut *Celus* habetur? Cur *Saturnus* claudus fingitur, cum tempus sit celerimum et alas ventis velociores obtineat? Cur idem senex statuitur, cum tempus non senescat, sed juvenem potius repræsentet? Vt enim flamma ignis semper est novissima, nec tantillo temporis spatio eadem perdurat, sed semper alia atque alia nova succedit; sic & tẽpus, ejusque momentum, quod ipsum Nunc vocant, semper iuvenescit, vetustatis nihil obtinens: An non potius Draco, quem gestat *Saturnus*, iuventutem referat, quàm anni circulum, cum exuvias deponat? An non idem specie sit cum ijs, qui assignantur *Mercurio*, *Æsculapio*, *Hesperidum* hortis et alijs ante assignatis locis? An verò hic anni rotunditatem, alibi duorum adversissimorum concordiam, alibi mentis prudentiam aut vigilantiam summam denotet? Vera autem hujus Hieroglyphici ratio est, quam Basilius Valentinus his verbis exponit: *Ego Saturnus*, inquit, *Planetarum summus in Firmamento protestor hisce præ vobis Dominis omnibus, me inter vos inutilissimum & vilissimum esse infirmi & corruptibilis corporis, nigri coloris, multarum afflictionum iniurijs in hac miseriarum valle obnoxium; attamen omnium vestrûm probatorem; non enim permanentem habeo mansionem, atque mecum mei similem rapio, cuius meâ miseriæ nulli causa imputanda est, nisi inconstanti Mercurio, qui mihi suâ incuriâ & negligentia hoc malum inflixit:* Idem occulta Phil: Cap. 12. De Generatione

Saturni; tradit, cum nutricis culpâ multis vitijs expositum, claudũ vno pede factum, at ingenio nihilominus docilem, sapientem, catum, cautumque redditum, vt omnes in bello, exceptis duobus, qui divitijs, et potentia superiores essent, vinceret: Hinc pallidus, curvus visitur; nempé ob malam digestionem; falcem gestat, quia probator est omnium; *D*raconem, quia eos quasi renovet, vel seipsum; Cur autem Draco caput et caudam suam devorans apud Authores toties inculcetur, alia est causa, quam quilibet ibi videat, et differentiam cũ hacce consyderet; et quantum distent æra Lupinis, aurea plumbeis animadvertet: Devorat filios, ex sese genitos, pro quibus si quis Elementa quatuor accipiat, vel alia corpora, perinde est: *C*aput galea tegitur, quia fortis in bello est, sed amictus vilior superadditus; hinc vilioris fortunæ æstimatur: At quid bellum cũ Titanibus sibi vult? Quod nimirum è cæteris ejus generis Saturnus ad regnum eligendus sit; qui Titano si non ætate, tamen sapientia et authoritate antecellit: *Iupiter* cum *Iunone* vt illi natus esset, Lapis offertur et deglutitur: *P*robum commentum de tanto Deo, nisi quid arcani subesset: At lapis hic in Helicone videatur, vbi relictus pro monumento est: *Saturni* salacitas eiecta, an omnis salacitatis in natura causa est, quippe ex qua Venus orta dicitur, quæ omnibus rebus sese propagantibus inest? Tantum né boni ex viscere Saturni mundo accessit? O dementia humana *Democritico* risu excipienda; O cæcitas mentium Heracletico fletu deploranda, si tale quippiam revera suis Dijs à Diis, patri á filio, factum arbitrati sint Ethnici: verùm hoc vix præsumemus de iis, qui quanti et quales fuerint, suis scriptis satis attestatum nobis reliquerunt: Per *Saturnum* communiter authores nigredinem in principio operis supervenientem intelligunt, vt multis in locis vbi Planetarũ seriem observant, meminerunt: Atq; tum per castrationem *Saturni* à Iove factam non inconvenienter nigredinis remotionem, á fusca seu cineritia albedine subsequente

ſequente Ioviali peractam accipiunt: Natalis Comes de Saturno agens chymica tractantium iudicia circa hunc planetam malé excipit: *Præterea,* inquit, *Cum ſingulis planetis ob ſimilitudinem quandam metalla ſingula ſint attributa, metallorum tortores, ſive chemiſtæ artifices, hanc totam ferè fabulam ad ſuam artem retorſerunt, cum ſe Gebrum, Hermetem & Raimundum platonicos imitari velle profiteantur: Dicunt enim, fictum fuiſſe ab antiquis, quod Iupiter Saturno genitales partes abſciderit acutâ falce, eaſq; in mare deiecerit, ex quibus & é ſpuma nata ſit Venus; Quia Saturnus ſal ſit quidam, pater Iovis, præparati ſalis ſcilicet, qui fit ex eo præparato: Sed quoniam cum Iupiter in vaſe vitreo exiſtit in peracutam tenuemq; aquam ſoluitur propter vim ignis, quæ ſumitur etiam ab ipſo Iove, cum viriles partes ſecum afferat, incidens ac ſeparans ſulfur intimum ac in ſale latens, quæ recidunt in vas, quod accipiendis apponitur; Idcirco & Saturno amputatas viriles partes dicunt, & cum ſal in aquam tanquam in mare decidat, ex illo ſale & ſulfure gignitur Venus. Conantur enim metallorum tortores & has & alias his ſimiles artes excogitare, quibus poſſint metalla in alias formas transferre, teterrimâ paupertatis formâ perterriti, ac ſemper illam lepidiſſimi poëtæ Timoclis ſententiam in animo habentes, qui ita inquit: Eſt ſanguis atq; ſpiritus pecunia Mortalibus, quæ nulla cui ſit copia, Vivos pererrat inter vmbra mortui:* At bona verba quæſo, Comes; Adeonè ſaturnina te ſtella exagitat, vt ita totam artem chymicam laceſſas & ſomnium eſſe putes, ob vnius aut alterius interpretationem fabularum tuo palato non arridentium; Demus illum, qui ita ſcripſit de Saturno (fortè Braceſchum Italum innuis) parum accommodatè iſta applicaſſe; An propterea nulla eſt chymiæ veritas? Interim intellexit illa, quæ tu ad mores torques, potius ad chymiæ & naturæ arcana ſpectare: Quid ſi vera ſit chymia etiam contra tuum præiudicium, & ſupra tuum captum, an propterea, quia tu aliter iudicas aut eam non capis, falſam efficies? Non facies quæſo: De tortoribus metallorum mihi non eſt ſermo, ſed de arte chymica

Andabata pugnat.

Reſponſio ad calumnias nimis aqua.

chymica, quæ Medicinam auream perficiat, licet non aurum fabricet, nec quid naturæ aduersum moliatur; Illos, vt falsarios stigmate inuras licet, non veritatis cupidos, tuoq; haud egentes arbitrio: Quid si chymica tractans Medicinam perficiat, quâ hominibus ægris succurrat, An non sua dignus erit mercede aut præmio? An non ipsi hoc medio paupertatem effugere conueniat? Non mirum igitur si hoc illi faciant suo modo (legitimo) quos tu metallorum tortores vocas; Quorum nonnullos (de veris loquor) plus veritatis ex metallis, quam tu fortè ex fabulis extorsisti, ne quid de vtilitate dicam, elicuisse constat: Geber, Hermes & Raimundus Platonici non fuerunt; imitetur eos qui potest, potius opere, quam ostentatione: Saturnum pro sulfure aut sale non accipimus, attamen eius colorem apparere, antequam sulfur philosophicum reuera fiat, asserimus: Quid per genitalia eius intelligatur sub Veneris expositione latius dicemus: Quidam antiqui scriptores volunt Saturnum regnasse in Aegypto, ac Rheam sororem duxisse in matrimonium, è quibus nati sint Iupiter et Iuno; Ex his natos esse 5. filios: Clauem et virgam tribuerunt Saturno, quia fortè cum Iano bifronte, qui ianua est anni, communitatem habuit, cui conuixisse traditur: Quæ commoda inuenerit Saturnus, & cur lumen humanæ vitæ dicatur, non satis innotuit, nisi causa sit arcana: Cur tam ridiculo ritu eius festa apud Romanos celebrabantur, Vt domini seruis seruirent, & non nisi sermonis libertate quilibet vterentur? Nam hic Planeta supremus cum infimo & medio coniunctionem patitur: Sic Auicenna de anima dict: 1. cap. 2. *Et sicut sol magis valet, dans fortitudinem suam vsq; ad saturnum, & deorsum vsq; ad lunam, & ita aurum est preciosius omnibus alijs; & ideo quia omnes res cælestes sunt mixta cum terrestribus ita mittunt suam fortitudinem de sursum deorsum: Quia fortitudo terrenorum fuit, vt ascenderet superius, & fortitudo superius fuit, vt descenderet inferius: Et sicut non potest fieri, quod Saturnus non currat cum sole in eodem signo; Ita non potest fieri, quod hoc*

Causa arcana.

A. Gell. l. 18. c. 2.

hoc magisterium non retrahat de plumbo aurum: Sed intellige, quod volumus dicere, postquam habes rationem, quod non potest fieri, quod non sit magisterium. Idem Rosarius et Emiganus in turba adfirmant, quod sol dat lumen suum sursum vsq; ad lunam, deinde respicit omnia tam superiora quã inferiora: Ac quod Saturni splendor dũ scandit in aëra, non apparet, nisi tenebrosus, et mercurius radijs solis occurrit: Quod à Trismegisto de tribus sapiẽtibus suo tempore celebribus, Cælo, Saturno et Mercurio refertur, omnes Ethnicos falsitatis cõuincit: Quomodo enim hi tres vnà vixisse nisi allegoricè perhibeantur? De quibus satis: Saturni fratres Titanum, Iapetum aliosq; ac sorores, Thetin, Cererem, Themidem, et si quæ præterea sint, hoc loco euoluere nimis tædiosum foret, cum nec nostræ intentioni inseruiat singula ad viuum resecare; Nihilominus eorum inferius, prout necessitas tulerit, sufficientem mentionem faciemus: Nunc ad Iovis, Saturni filij, res gestas et hieroglyphica declaranda accedemus: Iupiter vt voracitati Saturni subtractus, ad Dactylos Idæos in Cretã deportatus ibiq; à capra, apibus, alijsq; varijs nutricibus pastus et educatus sit, apud diuersos scriptores fabulosos legitur, cuius hæc summa est: Thebis in Arcadia apud Messenios natus dicitur, Saturno ereptus in Bæotia, Corybantibus in Creta ad educãdum traditus, Hi simulatis sacrificijs inter cymbalorũ tympanorumq; strepitum infantis vagitum occultârunt: Adrasteã et Idã nutrices habuit Melissei filias ac sorore Curetum seu Dactylorũ: Cum iam adolevisset Iupiter ac Titanus sensisset, clàm Saturni filios contra iusiurandum legesq; educari, ipse vnà cũ Titanibus filijs irâ exarsit, atq; Saturnum et Opim comprehensos in vincula et in custodias coniecit: Iupiter verò Titanibus debellatis patrem liberat: Post id Saturnus Iovi insidias parat, dum sibi ab eo metuat, Tum Iupiter patrem de regno deiecit, laneoq; vinculo ligauit, et in tartarum protrusit; Tandemq; ei virilia membra falce eâdem amputavit, quâ ille Cælo patri amputauerat: Falx iacta dicitur in Drepanum insulam, *Iupiter.*

& virilia in mare, vnde Venus exorta est: Huic victoriæ contra Titanes & patrem Saturnum Iovi cæteri dij adfuerunt: Apollo cecinit cytharâ eius victoriam purpureâ togâ decorus & coronatus lauro: Tum ferunt Iovem Vestæ proposuisse, per quam adeptus erat imperium, vt quod mallet, eligeret, at hanc virginitatem popofcisse & primitias sacrificiorum. Fama est Bacchum quoq; eo bello, contra Titanes gesto discerptum fuisse, cuius cor palpitans Pallas ad Iovem detulit; Póst gigantes contra Iovem surrexerunt, quos ille fulmine disiecit & inter eos Ægeonem, (cui 100. manus erant, capita 50.) Iovem é regno depellere conantem sub Aetnam montem detrusit; Vnde quoties latus mouet, Aetna flammas eructat: Eodem partu cum Iove Iuno nata dicitur, ab Horis educata; Vel ab Oceano & Tethye, vt alijs placet: Huius potiundæ desyderio captus Iupiter sese in cuculum mutauit, qui cum tempestate obortâ tremeret frigeretq; in gremium Iunonis aduolavit, a qua veste tectus, eam resumptâ primâ formâ compressit & póst in vxorem duxit; Ex Iunone & Iove nascitur Mars, Arge, Ilithya & Hebe: Ab alijs his additur Vulcanus; Quem Lucianus subuentaneo conceptu è Iunone absq; maris congressu natum fingit: Credita fuit esse divitiarum dea ab antiquis; Eamq; fama est Iovem aliquando altè suspendisse, pedibusq; illius duas incudes appendisse atq; aureum vinculum iniecisse manibus; Cumq; ita Iuno penderet in æthere, cæteros deos id graviter tulisse, neq; soluere tamen potuisse: Attribuuntur ei quatuordecim nymphæ; Pavoq; sacer habetur; Quia propter illam cæsus fuit Argus a Mercurio & in illam avem mutatus: Anser aliàs fuit auis sacrata Iunoni; Sic & vacca ex animalibus; Quia ex figuris Hieroglyphicis Aegypti est, Iunonem denotans: De fabulis Iunonis, vt antè sub Saturno, Natalis dicit chemicos artifices conatos esse nonnullas partes ad suos ignes & ad sua vascula retrahere: *Dicitur Iuno* (inquiunt) *Saturni & Opis filia, Iovisq́; soror & coniunx, & ante Iovem nata eodem partu, Reginaq́; esse deorum*

Iuno.

Entellus instat.

rum & divitiarum dea, partubus & matrimonijs præfecta, quæ nihil est aliud, quam aqua mercurij, quæ Iuno nominatur: Saturni ea de causa est filia, quod ab eo & eius terra destillat ac manat: Hæc terra dat opes siue aurum chemicum, quod vnà destillet Iuno & Iupiter, siue aqua Mercurij, & sal in ima parte vasculi vitrei ac in vase relictus: Cum verò prius effluat aqua Mercurij è vasculo, nascitur Iuno ante Iovem; Et quæ sequuntur apud Natalem; Quæ satis insinuant, hasce fabulas Iovis & Iunonis permultis chymiæ deditis, de quo subiecto fictæ & introductæ sint, innotuisse, licet non omnes vno modo acceperint; Sed diuersi ad diuersas materias suas ac operandi rationes interpretati fuerint; In eo enim conueniunt, esse eas antiquissimæ philosophiæ chymicæ apud Aegyptios & Græcos vsitatæ reliquias & picturas hieroglyphicas, poëtarum libris ferè omnium sparsas et decantatas, à paucissimis nisi superficialiter intellectas: Iupiter autem quis sit, et quod subiectum eo denotetur, vulgari versiculo illo apud poëtas citato discernitur:

Iupiter est idem Pluto, Sol & Dionysius.

Si itaq; Iupiter intellectu idem est cum Plutone, et reliquis, primo videamus Plutonem; Hic frater dicitur Iovis, itidem ex Saturno et Opi natus; Militauit cum Iove et post victorias varias rerumq; gestarum fælices successus, cum Iove et Neptuno iactis sortibus terrarum imperium diuisit: Cui Hispaniarum et locorum omnium ad occidentem solem obtigit imperium: Hinc Strabo lib.3. Geogr: *Plutonem fuisse opulentiæ deum & in Iberia apud Pyrenæos montes habitasse, memoriæ prodidit:* Fingitur curru vehi atrorum equorum; Dictus Pluto, quia diuitias largiatur; Cælibem et filijs carentem vitam solus omnium deorum traduxit: Quia nulla dea ipsum ob deformitatem et obscuritatem regni maritum esse suum pati poterat: Nihilominus Proserpinam Cereris filiam rapuit et in curru ad fluvium *Chemarum* in Sicilia deportauit, atq; hinc ad sua regna subterranea: Canem habuit Cer- *Pluto.*

berum tricipitem, eique immolabatur Taurus; et Narcissus, adianthum & Cyparissus in Coronis erant dicata: Claves pro insigni, vt *Iupiter* sceptrum et *N*eptunus tridentem gestasse fingitur: Testatur Strabo, lib. 9. *Adripas Corali fluvij, vbi sacra fiebant Pambaetia constructam fuisse ob mysticam quandam causam Plutonis ac Palladis aram communem*: Hæc de Plutone; quæ de Sole et Dionyso huc spectant, inferius dicentur. *Iupiter* itaq; et *Iuno*, vt sunt frater et soror, maritus et vxor, agens et patiens, de vno eodemque subjecto intelliguntur, de quo ante Saturnus & Rhea, Osiris et Isis ejusdem conditionis et prosapiæ *Personæ* Hieroglyphicæ; Quod cum superius satis declaratum sit, repetitione hic non eget: At huic cur tantum fabularum affingitur? Id partim pro declaratione rei latentis, partim ad potentiam Iovis, qualis creditus fuit, demonstrandam, factum existimetur: Lapis pro eo substituitur; quia ita decuit; educandus traditur sacerdotibus, qui Cymbalorum strepitu eũ occultârunt: Cum ære enim *P*hilosophico nisi conjungatur et in vno vase quasi cũ eo nutriatur, omnis opera perditur: Nutrices sunt Melissei filiæ seu apes, vt alij volunt, quia volatilia insecta sursum et deorsum circa fætum seu puerum *P*hilosophicum vagantur: Titanes vincit, hoc est spicula jactantes fumosas exhalationes; & Saturnum patrem remouet de imperio; seu post nigredinem adducit albedinem Iovialem; virilia amputat ej, hoc est sulfur illud, à quo nigredo & generatio ipsius procedebat; *Apollo* cecinit ejus victoriam purpureâ togâ indutus; quia purpureo apparente colore victoria apud Iovem adest. *P*er Vestam, Ignis intelligitur, cujus beneficio Iupiter adeptus est imperium; Vestæ igitur, quia ignis semper novus, purus & imaculatus est Virginis instar, votum est concessum semper virginitatem seruare: Quæ res etsi Hieroglyphica antiquitus fuerit apud Ægyptios et Græcos, apud Romanos tamen vt religiosa maximé recepta est, cum tot Virgines Vestales Vestæ perpetuum

Mystica. Nota.

tuum ignem, vnà cum Virginitate foverint, vt hyſtoriæ teſtantur: Iunonis amore quomodo potitus ſit Iupiter, vt & matrimonio, res ad literam abſurdiſſima eſt; ſi veró ad occultum ſenſum reſpiciatur, forte conuenientiam cum naturâ avis repræſentabit; Cuculus in cujus aviculæ nidum ova ſua ponit, illa à pullo excluſo pro præmio nutricatûs devoratur, deteſtandâ ingratitudinis notâ: Talia affingere Dijs et Deabus ab inſaniſſima gente videretur alienum; Allegoriæ autem ejuſmodi excuſant, forté eo, quod materà filio in Philoſophico magiſterio deuoretur & ſoror á fratre: Sic *Lull: Theor: Teſt*: 87. *Rem vilem accipias ac eam facias ſuos amplexari parentes, quouſq; penitus crepent, & ſint velut mortui*: Ibid. *Argentum vivum eſt cauſa mortis ſuæ, quia ipſummet ſe ipſum, interficit, & poſtea eccidit patrem & matrem ſuos, & extrahit eis animas à corporibus, & epotat omnes ipſorum humiditates*: Divitiarum Dea Iuno habita eſt; quia aureum vinculum eius injectũ eſt manibus, ipſaque Dea altè ſuſpenſa pedibus á Iove: Cum enim pars agens & patiens, fixa & volatilis ſint Iupiter & Iuno, hæc nonnunquam ob ſuam volatilitatem in aere ſuſpenditur, dũ aſcendit et ſuperiori parti adhæret: Nymphæ ipſi attributæ ſunt aqueæ portiones; et pavo colores varios refert, qui ratione volatilis materiæ accidunt: dum enim totum manet fixum, vnus eſt color impermutabilis: Mercurius autem ſaxo Argum occiderat, cujus *SAXO* centũ oculi pavonis caudæ à *Iunone* inſerti finguntur: Plu- *Argus occi-* to quoq; opulentiæ Deus eſt, quia opes ex inferis locis ter- *ſus.* ræ, cuj ille præſidet, petuntur: Ipſi Taurus ſacer, hoc eſt, Apis Ægyptius; quia vnius ſunt intentionis; Pyrenæos inhabitat montes: quia iſta prima fuêre loca, vnde in Europa metalla petita ſint à Phænicibus, vt ante dictũ; Inde quoque *Hercules* ſuos boves abegit; Ipſi Cerberus cuſtos qui triceps fuit, et Claves pro inſigni, quia ſine ejus clave nihil obtineri poterit: Ad Chemarum fluvium rapuit *Proſerpinam*; ne agens abſque patiente videretur: *MYSTI-* De myſtica autem cauſa cur Plutonis et Palladis ara *CA.*

communis fuerit, nos nonnihil subodorati sumus: si enim Plutonis regia alicui pateat, & Palladis accedat artificium, hoc quod quæritur Medicamentum summum conficitur, quod arte Palladia ex dono Plutonio concinnatum mirabilia mysteria aperit: Palladis enim congregatio cum *Vulcano*, *Prometheo*, vel *Plutone* semper ominosa est, et quid mysticum designat; vt alibi sæpius annotavimus:

Neptunus. *Neptunus* tertius *Saturni* filius, mare et insulas maris cũ imperio sortitus est: Vxorem habuit *Amphitriten*, ex qua et ex varijs pellicibus magnum numerum filiorum suscepit; *Phænicem* filium è Libya; Ionem filiam ex *Pyrene*;

Phœnix. *Io.* quam Iupiter in nebula, vt lateret, compressit, et cum Iuno interveniret, in vaccam candidam mutavit; Hanc tandem Iuno, Argo interempto, æstro immisso exagitavit; cumque hinc multa maria Europæ et Asiæ tranavisset, tandem in Ægyptum ad Nili ripas veniens dicitur Io primam hominis formam recuperasse; quæ ab Ægyptijs Isidis nomine culta est: Inde fingebatur Isidis statua cornuta, modo luna, modo terra dicta: Vaccam autem Isidis & Iunonis esse imaginem Hieroglyphicam, vt Taurum Osiridis & Plutonis, supra satis declaratum est: Troiana Neptunus, vna cum Apolline ædificavit mænia; Tridente & concha incedit, veste cyaneâ, capillis nigris, oculis cæruleis à quatuor equis, vel vt alij, vitulis marinis, tractus:

Proteus. Ejusdem Neptuni filij sunt *Proteus* ex *Phœnice* Nympha, *Triton* ex *Amphitrite*; *Protei* filij *Tmylus* & *Telegonus*, ab *Hercule* occisi, quia hospites interimebant; filia, Idothea, quæ docuit *Menelaum*, quomodo *Proteus* ejus pater cōpræhendendus esset; vt tradit *Homer. Lib. 4. Odyss.*

Triton *Triton Neptuni* buccinato & tubicen est; Cujus filia *Tritia* virgo *Minervæ* Sacerdos à *Marte* cōpressa peperit *Melanippum*: *Triton*, *Iovi* bellū adversus Gigantes gerenti in causa fuit victoriæ dū conchâ inventâ sonum inauditum edidisset, quo illi in fugam versi fuerunt: suprema pars corporis vsq; ad vmbilicum fuit hominis, inferior vsque ad caudam Delphin;

phin;

phini, duos pedes priores equinos habuit, caudamq; duplicem in lunæ formam; humeri ejus fuerunt colore purpureo; Apud Romanos super Templo *Saturni Triton* quidam eximiæ magnitudinis fuit collocatus, qui buccinam inflabat, quoties oriebatur ventus, caudamq; intra terram occultabat; Glauca quoq; fuit ex filiabus *Saturni*, ex *Opi* nata: Ex *Philyre* autem *Chiron* Saturni filius, cujus vxor *Chariclo Apollinis* filia, vel Oceani vel Persæ: filia Ocyrhoe: quia veró pater ejus equum simulasset cum Philyren peteret, ne agnosceretur, hinc Chiron ab vmbilico superiores partes corporis habuit hominis, inferiores equi: Cum adolevisset in sylvas abijsse dicitur, viresq; herbarum primus observasse; vnde & ob peritiam Chirurgiæ aut laborum manuum, *Chiron* fuit nominatus: A *Diana* venandi rationem in sylvis didicit: Ideoque *Achillis, Herculis, Iasonis* et *Æsculapij* magister in vtraque arte et medendi et jaculandi fuisse scribitur, vt jam ante meminimus: Cum veró *Herculis* sagittas venenatas incautius tractaret ab vna earum in pede læsus ex eo vulnere et dolore obijt; Vt de *Proteo, Tritone*, alijsque ejusmodi monstrosis Poetarum inventis, nihil aliud nisi materiam philosophicam, vnà cum *Cerbero, Chimara, Sphynge* et Draconibus, *Typhonis* et *Echydnæ* filijs, denotantibus sparsim antehac diximus, et in posterum dicturi sumus, sic quoque Chironis declarationem sub Iasone attulimus, illum nempe tot Heroum esse magistrum, qui eos manuum labores seu practicã circa Medicinam auream indagandam docuerit; Nunc aliud Monstrũ ex *Saturno* progenitum, at sine vitio naturæ, videamus nempe *Venerem*: Ejus ortus Hyperphysicus traditur, nempe ex *Saturni* genitalibus in mare projectis, et ex spuma maris, vnde et Græcis dicta est ἀφροδίτη cum ἀφρὸς spuma sit; In Cyprum primum Concha devenisse præsumitur, vnde & Cypria cognominatur, æri quasi Cyprio præfecta: De ejus pulchritudine, quomodo ex mari emerserit, Poetæ et pictores consulantur: *Apelles* enim in eo summam suæ artis

Glauca.

Chiron.

Chironis discipuli.

Cic l.1.Tusc. quæst. l. de na. Deor. negat Hippo-Centaurum aut Chimæram vnquam fuisse.

VENVS *Monstrum sine vitio.*

Venus emergens.

vim

vim expressit: Inter Deas omnes pulcherrima habita est, inde à Paride aureum pomum, promissâ insuper illi Helenâ, mulierum formosissimâ, quod pulcherrimæ dari ex inscriptione debebat, obtinuit: Sequentibus seculis, cum ejus pulchritudinis tanta fama à Poetis sub Allegoria sparsa esset apud Græcos & Romanos, huic tanquam voluptatis & amoris Deæ litatum est; Multa millia templorum instituta et dicata, & innumeræ mulierum lascivarum Myriades ejus ministerio, hoc est libidini, sacratæ fuerunt; adeò etiam vt in Proverbium cesserit, non cuivis homini contingere, adire Corinthum, tanquam omnium rerum fœlicissima esset Corinthum, vbi tot millia prostibulorum Venereorum pro miraculo haberentur, quæ advenas quoscunque suæ pulchritudinis et voluptatis illecebris facile captarent & allicerent, vidisse et lustrasse: Cumque Venus pro Dea tam benevola humano generi semel recepta esset, nullus inventus est, qui huic bellum indixerit, qui non ejus cultui maximè studuerit seque mancipârit: Martem vt Deum revereri, honore afficere, naturæ humanæ quid adversum videbatur, quia is sanguinis effusione & morte gaudere creditus est, econtra Deam Venerem agnoscere, eiq; reverentiam voluptatibus exhibere, quid amabile & jucundum omni generi iudicatum est: Hinc Venerem pacem, Martem bellum diligere dixerunt, hunc morti, illam vitæ causam præbere: At deploranda est humanæ mentis cæcitas in his, vt in alijs, quod licitum ab illicito, bonum à malo haud discernere potuerit: Venus non pro libidine apud Ægyptios et Græcos antiquissimos introducta erat, sed pro filia Saturni, (Cuius soror est Veritas in profundo specu abdita) quæ tamen esset pulcherrima et ignem in nostro subiecto excitaret, hoc est, amorem et appetitum sese propagandi: Hæc fuit occasio omnis idololatriæ et Veneris cultus; Quod verò illud ita sit, multorum testimonijs adductis, si opus sit, demonstrare liceret; at nos paucis hic contenti erimus, hoc præiudicio; Nos quæ de Venere dicturi sumus, non intele-

Venus vt amica naturæ pro dea recepta.

intelligere de libidine animalium aut voluptate & desyderio coeundi, vt quidam mythologi Veneris fabulas crasso modo exponunt, nec de stella Cœlesti, quam Venerem, Hesperum vel Luciferum dicunt, solis præambulonem aut pedissequum, Planetam, nec de metallo noto communi, quod chymistarum Vulgus quoq; sic appellat, sed de quodam subiecto philosophico, sine quo nihil effici possit: Hermes cap. 4. *Iam Venus ait: Ego genero lumen, nec tenebra mea natura sunt, & nisi meum esset metallum siccum, omnia corpora mei indigerent; Quia ea liquefacio, & eorum rubiginem deleo, & substantiam extraho; Me igitur & fratre meo iunctis nihil melius ac venerabilius: Rex autem dominator, suis fratribus testantibus ait: Ego coronor & diademate ornor, & regno vestro induor, & cordibus lætiaciam ingero, & ego vinctus vinis & pectori mea matris & substantiæ eius, continere & quiescere meam substantiam facio, & invisibile ex visibili compono, tunc occultum apparebit, & omne quod philosophi occultaverunt, ex nobis generabitur.* Sic Flamel: Ex Democrito: *Æris igitur corpus protrahens quantum par est, ceu quandam linguam oblongam facito: Postea super carbones reponens in ipsum vulcanum concita, irradians nunc sale fossili, nunc ocra Attica continuè, vel alternatim humerum & pectus Paphiæ exornans, pulchrior planè fiet, ac glaucum colorem abijciens apparebit tota aurea: Cum talem fortasse Paris Venerem vidisset, Iunoni & Palladi anteposuit.* Et ibidem: *Venus vt homo, animam & corpus habet: Oportet igitur materiam corpore spoliare, vt permanente spiritu tingente ad cuiuscunq; quæsiti perfectionem accommodetur: Quid est Venus? Quod homo materiale corpus: Anima quidem est pars tenuis in ipsa, quæ per regimen in lucē prodit, hoc est, spiritus tingendi potentiam habens: Corpus verò est graue & materiale, terrestreq; suam quod vmbram habet, quam oportet spoliare igneo pharmaco:* Hæc ille quæ sufficiant: Cicero in lib. 3. de natura deorū, sequutus Varronem, Orpheum Romanum, seu theologum Ethnicum, Veneres plures producit, vt consuevit circa omnes alios deos, deasq; et Heroes; Cum enim hæ personæ sint saltem reuera hieroglyphicæ et fictæ ad intentionē illorum, qui agnoverunt, quas

Cur Veneres & dij plures numerentur eiusdem nominis.

res subintelligerent, inde contigit, vt deus, dea, heros vel heroina ex illis alijs atq; alijs parentibus, locis, temporibus et circumstantijs prognati dicantur, vt patet ferè in omnibus, Ideoq; ne fabula aut falsitas religioni receptæ inesse videretur, distinctio inuenta est pro remedio, quo etiam diversissima conciliari poterunt; Hoc modo, inquam, Cicero dicto loco tres Veneres fuisse affirmat, quo ad originem diuersas; Primam è Cælo et Die natam, cuius Elide delubrum extet, alteram è spuma, ex qua et Mercurio Cupido secundus ortus sit, tertiam ex Ioue et Dione procreatam, quæ nupsit Vulcano: Nos novimus Venerem nec deam nec hominem fuisse, sed personam apud Ægyptios introductam, quasi scenicam, ad declarandas res sub ijs nominibus occultatas; Ideoq; tradiderunt antiquiores hanc natam ex Ioue et Iunone, vnà cum *Osiride*, *Iside*, Typhone et Apolline; Sive igitur ex Saturno, siue Ioue, siue Cœlo, siue aliunde genita dicatur Venus, res tamē vna est, et non plures, vt sapientiores ex Ethnicis delyrârunt; De quâ si constet apud authores, de nominibus non curant; Nomina enim dicunt esse propter res et non res propter nomina; Hæc sunt vestium vice, illæ res corporum vivorum; Fartum vestium amant amatores, inquit Comicus, non vestem ipsam; Ita et philosophi fartum nominum, non nomina, hoc est, solas res admirantur et respiciunt: Nec propterea fabula esse desinet quicquid de dijs dictum est, quod Cicero in personis, rebus et temporibus bene distinguat; Cautè quidem satis, at non verè: Distinctiones enim eius sunt de non entibus et manifeste falsis: An Venus ex Cœlo et Die nata est? An Cœlus cum Die concubuit, vt cum Terra ante dictâ? O Medici mediā pertundite venam; Insanit Cicero præ nimia sapientia: Sic tres Ioves facit, quorum primus et secundus in Arcadia nati, hic Cœlo, ille Aethere patre; Tertium Cretensem dicit Saturnum patrem habuisse; Ex primo Proserpinam et Liberū, ex antiquissimo Ioue Athenarum rege et Proserpina Dioscuros natos: Item Mercurios quinq;, plures Apollines, Cupidines,

Ethnici in rebus divinis insani cum sibi sapere videntur.

tes, Bacchos, Hercules, Soles, lunas seu Dianas, vt suis locis videbimus: Condonent quoq; Mythologi mihi, quod Venerem non pro luxuria aut libidine exponam, vt hactenus toti mundo placuit; Nam si de prima origine et rei veritate sermo sit, vt res est, sentiendum et loquendum puto; Si verò de receptâ consuetudine, nec ab ea recedendum arbitror absq; manifesta causa: Medici nouerunt functiones in corpore animalium, præsertim hominũ esse varias, naturales, vitales et animales, atq; has distinctas in sensitivas et motiuas, Intellectum et voluntatem, ac singularum ex hisce multas esse differentias, varia organa et sedes; Ex naturalibus vna est generatiua functio dicta, quæ in mẽbris generationi dicatis sita est, eaq;; quam illi Mythologi deam Venerem explicant; Quod si ita liceat, vbi sunt cæteræ alijs functionibus dicatæ, Salacia, Venilia, Cinxia, Prema, Virginensis, Partunda, Lucina, Rumina, Cunina, Edulica, Potina, et quis numeraret omnes? Venerem amicã Adonidis fuisse iam antè narravimus; Quorum autem liberorum mater et à quibus facta fuerit, in sequentibus dicemus: De Saturni filijs satis, nisi quod de vnica *Veritate*, toto hoc tractatu indagandâ, quæ Temporis filia dicitur, acturi simus: Nunc ad Iovem et Iunonem reuertimur: Metim Oceani filiam Iupiter primò in vxorem duxerat, quæ postea pharmacum Saturno bibendum præbuit, quo ille Lapidem prius, deinde filios voratos evomuit: *Verum* hanc gravidam factam Iupiter, (an præ amore, an odio, ignoratur) deglutivit, ex quo cibo mox ipse gravidus factus Palladem armatam è capite peperit: Postea Themim duxit, ac tertiò Iunonem, quam retinuit: Alij dicunt Thetidem in varias formas versam deniq; compressam à Iove fuisse, quæ cum esset gravida, audiens Iupiter, fore vt ex ea nasceretur, qui Cœli imperio potiretur, illam absorbuit, quare ipse postea apud amnem Tritonem Palladem peperit: Quæ Tritonia dicta est propterea, aut quod à Tritone educata sit: Est itaq; Pallas absq; matre è cerebro Iovis orta, *Vulcano* per securim ipsi viam præbente: Homerus ab oppido

Veritas Temporis filia.
Iovis liberi.

Pallas absq; matre.
1. Iovis filia.

pido Bæotiæ Alalcomenio Alalcomeniā nominavit, quod apud se natam fuisse Mineruam Alalcomenij dicerent, vt ait Strabo lib. 9 De aurea pluvia, *Palladis* natalem locum, Rhodum, decorante, anté diximus: Palladem Dionyso in Nysa enutrito præfectam fuisse ab Ammone ad devitandas Rheæ insidias, alij scribunt, qui ex Ammone Saturnum vel Iovem faciunt: De nominis ratione dissentiunt nonnulli, cum quidam, quod cor palpitans Dionysi á Titanibus discerpti ad Iovem detulerit, alij quod iacula mittat, alij quod Pallantem gigantem iaculo interfecerit, dictam putent: Vndecunq; sit nomen, promiscué *Pallas*, Tritonia, & Minerua dicitur: Virgo semper mansisse creditur, quæ Tiresiam cæcum fecit, á quo nuda conspecta esset lavans se in fonte Heliconis Hippocrene: Vulcanus quoq; vim ei inferre volēs spe sua frustratus est, vt anté memoravimus: De *Palladio* inferius sub Troiæ requisitis agetur: Quid iam per hanc deā antiqui intellexerint, facilè à quovis perspicitur; Nec verò quicquam aliud, nisi sapientiam acutæ mentis et emuncti cerebri, Pallade ex cerebro Iovis nata, denotari censemus; Sine eâ enim nihil peragitur nec in alijs arduis negocijs, nec in magisterio philosophico, quod ideo sapientum vocatur: Hæc arcanorum contemplatio per *Palladem* designata non debet vulgo prostitui, sed sub philosophiæ velis abscondi, vt multis in locis philosophi cum obtestationibus et imprecationibus admonent: Hinc Tiresias absq; dubio excæcatus fingitur, quod nudam *Palladem*, vt Actæon Dianam hinc in ceruum mutatus, viderit: Iuno verò cum *Palladis* monstrosum partum ex cerebro sui coniugis factum audivisset, irata cum diris execrationibus terram percussisse dicitur, vnde Typhon ille, tot draçonum parens, prodierit; Cumq; aliquando ab Apolline in domum Iovis ad conviuium fuisset vocata, atq; inter alias epulas lactucas agrestes appositas comedisset, cum anté esset sterilis, gravida facta traditur, ac pòst Heben filiam peperisse: Quam Latini Iuventatem appellârunt, Iovi pocula ali-quam-

Fr: Iun in præf: Gram: Hebraa, à verbo Hebraico agitandi & volutandi.

Typhon ex percussa terra.

Hebe. 2. Iovis filia.

quamdiu ministrantem: Hæc *Herculi* vxor data dicitur in Cœlo, Martis Soror nec non *Vulcani*: De Marte, quod ex *Iove* & Iunone natus sit, antiqui non dubitant; Hujus res gestæ non nisi prælia & adulteria cùm varijs concubinis, cū propriam vxorem non habuerit, leguntur; Paucissimorum nos mentionem faciemus; Adulterium ejus cum Venere notissimum est; de quo Poeta *Ovid.* *Mars 3. Iovis filius.*

Fabula narratur toto notissima Cœlo,
Mulciberis capti, Marsq; Venusq; dolis.

Venus Vulcano nupserat deformi, claudo & operario marito, formosissima mulierum, tenerrima & luxuriosissima; Huic copulatur itaque furtim Mars, at à Sole proditus, à Vulcano ligatur vinculis imperceptibilibus, fortissimis, vt ita risum et lusum præberent superis videntibus: Ethnici Poetæ et scriptores Martem pro Deo belli, proq; ira, vindicta, bile & furore accipiunt & interpretantur; Verū antiquissimi ad vim quādam igneam, ardentē à Iove productā respexerunt, quæ insultus & prælia ignis sustinere nō vereatur, et quasi invulnerabili sit corpore; Si Venus nostra cū hoc Marte concumbat in apto cubili, & à *Vulcano* reti aerio vel chalybeo vinciatur, nascetur inde pulcherrima filia *Harmonia* dicta; hoc est harmonicè cōposita & omnibus numeris absoluta; quæ tutelare numen antiquitus dicebatur: In cujus nuptijs adfuerunt omnes dij, deæq; cum suis donis, et epithalamijs, quæ recēsentur á varijs *Poetis*: Nupsit autē *Cadmo*, de quo superius, Aegenoris Phœnicum regis filio; Draco, qui socios *Cadmi* aquā adferre iussos interemit & ipse á quibusdam Martis et Veneris filius dicitur; Vnde avunculus Harmoniæ extitit; Post multas calamitates, quas Cadmus perpessus narratur, vnà cū Harmonia vxore in Draconē conversus fingitur: Ita vt obitus ferè omnium Hieroglyphicorum deorum aut heroum suo ortui correspondeat, ne fabula esse non conspiciatur: Harmonia enim ex Marte et Venere nata est Medicina illa aurea primâ vice lōgo labore elaborata, quæ sic locetur Cadmo (à quo *Cadmia* nostra dicitur) tū adsūt omnes dij cū suis donis, hoc *Alijs Harmione dicitur cuius Vulcanus pulchrū, sed perniciosum monile formavit.*

 nis, hoc

præcipitatus eſt: ex quo caſu claudus factus, à Lemnijs pòſt educatus traditur: Ignis ejus inventum, vt alij, Promethei, falſiſſimè creditur: Hinc Lampadophoria, de quibus inferius, ipſi dicata: In Inſula Lipara officinam habuiſſe putatur, ac dijs multis arma fabricaſſe, & Iovi fulmina facere: Talum æreum fecit Inſulæ *Cretæ* præſidē: ſic & canem æneū eximiæ pulchritudinis fecit vivum, quē Ioui largitus, ille Europæ, hæc Procridi, quæ *Cephalo*; atq; is canis poſtea fuit à Ioue in lapidem converſus: Pandoram Iovis iuſſu formauit pro igne à Prometheo rapto, hominibus offerendam: Arma Iovi adverſus gigantes fabricauit, pro quo *Minervæ* nuptias expetivit; at illa eius libidini reluctata eſt: Leones ipſi conſecrati fuêre, quia ignea animalia ſint; Famuli Cyclopes, *Brontes, Steropes ac Pyracmon*, quorum meminit Virgil: 8. Æneid: *Ardalus* eius filius cellam fecit Muſarum apud Træzenios; Et *Brotheus*, qui irriſus ab omnibus propter deformitatem oris in ignem ſe conjecit: Eius vxor præter Venerem Aglaia, id eſt ſplendor dicitur: Vulcanus iniuriæ acceptæ á matre Iunone (quæ divitiarum dea fingitur) minimè oblitus, auream ſellam cum occultis quibuſdam vinculis dono ej miſit, quæ deam, cum aſſediſſet, ſtatim implicaverunt. Natalis ſub *Vulcano* recenſet Chymicos quoque *Vulcanum* ſibi proprium accerſere, & per eum intelligere ſulfur aut argentum curſitans, quod nihil niſi ſuæ naturæ in ſe recipit, ſed ab omnibus ſeparatur; & quæ deinde aſpergit ex animi impotentia an inſcitiâ an invidiâ dicam, neſcio; At ipſe ſibi ſua habeat ſcōmata, κύνος ὄμματ᾽ ἔχων Ignem gladio fodit, dum *Vulcanum* ita contumelioſè excipit; Quin oſtendit ſe Ignis vſum non alium, quàm manibus calefaciendis aut cibis coquendis aut fabrilibus officinis convenientem ſcire; exjſtimans medicinas optimas abſque ignis miniſterio concinnari poſſe; jn quo fallitur: Optimæ enim Medicinæ optimo jndigent, quod eſt jgnis, Elemento, vtpote ſpiritualitati & ſimplicitati proximo, ſine quo nec natura nec ars operatur:

Canis in lapidem conversus.

Ardalus.

Brotheus.

Gargittius Herculi invidus.

monumenta relinquit: Matrem quoque aurea sella constrinxit, quod in vltimâ operis parte evenit, cum jam omnia optimo colore apparent: Nunc sequuntur Iovis filij ex pellicibus; Ex his Apollo & Diana præcipui sunt ex Latona nati, vt plærique sentiunt: At Herodotus in Euterpe scribit, Apollinem ac Dianam Dionysi & Isidis filios esse aiunt, Latonamque illorum fuisse nutricem, eum illos servaverit; Nam Latona cum esset vna ex 8. Dijs Ægyptiorum, á Cerere depositum apud se Apollinem servavit, cum in Insula Plote sive natante ab impetu Typhonis, Osiridis filios quærentis, protexisset: Tullius quatuor Apollines recenset lib. 3. de Nat Deor. Antiquissimum ex Vulcano natum, custodem Athenarum; alium Corybantis filium in Creta, tertium ex Iove & Latona: Quartum in Arcadia Nomionem appellatum; Tertio autem, vt celeberrimo omnes res gestæ & multi liberi ex diversis concubinis suscepti ascribuntur: Verùm si rem, prout gesta est, aut secundum naturam se habet, consyderemus, Nec Herodotus nec Cicero illa distinctione opus habuisset; Et perinde est, à quibus Apollo natus dicatur, cum saltem sit Hieroglyphica persona, quæ in substantia locum non invenit, sed in qualitate tantum, aut relatione, nisi secundas notiones facere malimus: Idem sensus est, siue dicatur à Latona natus Apollo, siue ab Iside, siue ab Osiride, sive Iove; sunt enim Osiris & Iupiter, Isis & Iuno re vnum et idem; Nec refert num Latona nutrix statuatur, num mater Apollinis, idem est officium; si verò rei convenientiam respiciamus, magis de nutrice opinio probatur; At quia ita receptum sit, Latonam Apollinis & Dianæ et matrem et nutricem esse statuimus: Ethnici de Apolline et Sole, vt et de Diana et Luna, nihil certi determinârunt, an sint personæ eædem, an aliæ aut diversæ; et an fuerint in terra, aut in cœlo, an sint illa lumina cœli, an verò Heroes terræ fuerint; Cicero suo more 3. Lib. de Nat. Deor. quinque Soles producit; vnus, inquit, eorum qui Soles dicti sunt, é Iove natus, ne-

Apollo seu Sol. 5. Iovis filius.

Quatuor Apollines Ciceroni.

Quinq; Soles Ciceroni.

pos Ætheris fuisse dicitur: Alter Hyperione: Tertius Vulcano Nili filio: cujus vrbem Ægyptij volunt esse eam, quæ Heliopolis appellatur: Quartus is, quem heroicis temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, avum Ialysi, Camiri et Lindi: Quintus, qui Colchis fertur Æetam & Circen procreasse. Omnia hæc nomina esse ficta et à diversis Poetis diversis rebus, personis & locis attributa, quilibet, nisi cæcus sit, videre poterit: At libuit ita Ethnicis suæ superstitioni remedium quærere, ne vni Deo plures et diversos parentes ac patrias attribuerent: Quod si hos Deos omnes fuisse dixerint, vbi igitur tot soles dij manserunt? si lumina Cœli et eadem cum Sole cœlesti, forsitan cum inveteraverint, in vnum locum congesta sũt, absumpto lumine? si Reges et homines fuerint, cur Dij dicuntur, aut Deorum facta perfecisse? Nomen enim Solis eos Deos facere non potuit, nec adulteria multis adscripta, nec alia facinora aut scelera, quæ si ad literam aut hystoriam accipiantur, non homines, at vix semi-homines, ipsos fuisse convincunt, tantum abest, quod Deorum nomen meriti fuerint: Apollo itaque licet quadruplex statuatur, & Sol quintuplex, diversis parentibus & locis natus, tamen vna est persona Hieroglyphica, non Ethnicis scriptoribus, sed Christianis artificibus et Medicis nota, Ex *Osiride* & *Iside*, vel etiam *Iove* & *Iunone* nata, aut *Iove* et *Latona*; Interim per vtrumque et Apollinem et Solem communiter Sol Cœli intellectus est: At ille quidem mundi oculus, Cor Cœli, Rex Planetarum, lampas terræ, fugator vmbræ, fons vitæ, faber diej, pater lucis, & cursor omnipotentis Dei est et dici potest; nequaquam veró Deus ipse: Solem et Lunam negasse Deos Ethnicis irreligiosũ videbatur et capite mulctandum crimen; Primus Anaxagoras spretis falsarum religionum minis Solem non Deum at lapidem ignitum et ardentem dixit, & demonstrauit causas eclypsium Solis et Lunæ per naturam accidere, & non, ut Ethnici putabant, esse passiones et morbos Solis vel Lunæ, quibus vt mederentur, pulsabant auxiliaria æra; Hinc

Sol Cœli quis dici potest.

Anaxagoras Solem lapidẽ ardentem dixit.

Hinc Ovidius 4. Met. *Cum frustrà resonant æra auxiliaria lunæ:* Seu analogicè Solē intellexerit Anaxagoras, vt quidam volunt (quod lapidem rubeum ardentem, Solem Philosophicum innuerit) siue ridendi gratiâ et superstitionem vulgi eludendi, ejus sententia amplectenda est, quia omnem divinitatem creaturis & luminibus mundi detrahit: Filij Apollini plures ascribuntur, Orpheus, Hymenæus et Ialemus è Calliope; Delphus ex Acachallide; Coronus è Chrysorte; Linus è Terpsichore, Æsculapius è Coronide nymphâ: Tradunt Apollinem ex Hyperboreis Delphos advenisse, à Delpho ejus filio ita dictos; de quo loco fabulati sunt antiqui, Iovem cum vellet medium atque vmbilicum terræ invenire, alteram aquilam ab oriente, alteram ab occasu pari velocitate emisisse, jussisseque illas rectà & è regione convolare, quæ cum in Delphis denique convenissent, ibi ad sempiternam facti memoriam aurea Aquila dicata est: Quæ res cum fabulosa sit, nec quid veritatis in se habeat, nisi quod demonstret Delphos, et templum Apollinis Delphicum esse in vmbilico terræ, Geographiæ exiguam cognitionem prodit; Omnis enim locus eo respectu in medio mundi est, quia terræ globosum non quadratum, aut alterius figuræ corpus: At Templum illud Delphis celeberrimum, vbi antiquitus Apollo oracula reddidit, et aram habuit ex solidis aureis lateribus, quorum mille Cræsus Lydiæ rex ditissimus eò miserat, hunc locum ita honore et cultu evexit, vt apex mundi, seu medium terræ videretur: Quod si ad Allegoriam illa ficta sint, Author consilij ex Aristotilis Epist: non inconcinnè exponit, vbi dicit: *Quod huius artis duo sunt lapides principales, albus & rubeus mirabilis naturæ: Albus in occasu Solis incipit apparere super facies aquarum, abscondens se vsque ad mediam noctem, & postea vergit in profundum: Rubeus verò ex opposito operatur, quia incipit ascendere super aquas in ortu Solis vsq; ad meridiem, & postea descendit in profundum:* Hæ sunt igitur duæ aquilæ quæ conveniunt in medio terræ, ibique aurea aquila pro monumento statuitur:

Filij Apollinis.

Delphi in medio terræ crediti.

Ara aurea Apollini statuta.

Nota.

tur: Apollini sacræ erant Cicadæ, ob cantum, & fidiculæ piscis; item Aureus tripes ipsi à sapientibus Græciæ dicatus; Iuniperus & Laurus gratæ plantæ habebantur: Omnia propemodum aurea attributa sunt, vt & calcei aurei, Gryphes & corvi sub ejus cura fuerunt; Bos illi mactabatur & Agnus, & Cytharæ inventio, & ars medendi & sagittarum scitè emittendarum peritia eidem tribuebatur; semper juvenis fingitur, capillis prælongis, singulari quoq; omine Lunæ simulachrum laureum ramum tenuit: Hujus imago ab antiquis fingebatur, quæ dextrâ manu Gratias gestaret, at sinistrâ sagittas & arcum; *Pythius* vocatus fuit, quia Typhonem sagittis interemerat, qui Solis calore postea corruptus Apollini Pythio nomen dedit: Nam πύθειν Putrescere significat; de quo inferius: Cur verò hæc omnia Apollini tribuantur, evidentes sunt causæ: quia Apollo aureus Deus est, calidus, & non mutabilis, qui sagittas emittat in Typhonem & arte medendi excellat; quia ipse est *Orus* vltimus Deorum, qui in *Ægypto* regnasse finguntur, & Medicina quæsita humanorum corporum; hic est præses Musarum, *Poetarum* lumen et columen, cui Laurus canora et semper viridis dicatur, cujus Imago participat cum Luna seu Diana sorore, quæ Charites dextrâ præfert, quia est gratiosum Dei donum, et sagittas sinistrâ; quia de nouo se multiplicare potest, suasque vires in Typhonem extendere; Bos illi sacer, quia Apis Oro convenit; Aureus tripes, quia trinum vinculum, constans corpore, anima et spiritu, est perfectum, et ex circulo Solis fit triangulus, iterumque medio quadranguli in circulũ reducitur: In *Parnasso* tricipiti monte habitat, quia geminus est labor præparationis et operationis superandus, antequam ad eum assequendum perueniatur: Ex filijs ejus

Orpheus. Orpheus fuisse fingitur, vt et Linus, potius ob *Poeticam* vim et canendi scientiam, quàm alias ob causas; Hunc enim honorem, post Orpheum et Linum *Poetæ*, ijs tanquã magistris suis gratitudinis ergô præbuerunt; Sic Orpheo incredibilia quædam ascripserunt; quod Cythara canendo

saxa

saxa moverit, feras attraxerit, fluvios in cursu, aves in volatu firmârit; hoc est, quod dura emolliverit et mollia seu fluxibilia indurârit vno eodemq; artificio: Nam seu Poëta canit; *Limus vt hic durescit, & hæc vt Cera liquescit, Vno eodemq; igne*, Sic illius cantu diversissimæ operationes peractæ narrantur: Hunc Orpheum primum authorem esse religionis apud Græcos ab Ægyptijs translatæ jam antè memoravimus; Hinc Lucianus in Dial: de astrolog: ipsum primum Græcis Astrologiã tradidisse refert his verbis; At Græci nihil vel ex Æthiopibus, vel ex Ægyptijs de Astrologia audiverunt, sed illis Orpheus Calliopes & Oeagri filius hæc prior explicavit: De sacris Bacchi ab eo introductis inferius copiosius dicetur, quemadmodum etiã de Euridice ejus conjuge; Pausanias in Bœoticis de eo testatur, quod multa humanæ politicæq; vitæ vtilia jnvenerit: Nam et Deorum initia & vniversam Theologiã primus aperuit, et nefariorũ facinorũ expiationes excogitavit, nec non multa morborum remedia adinvenit, vt ipse in Argonauticis de sese scribit his verbis:

Virg. Egl. 8.

Orpheus primus author religionis apud Græcos.

Dicere fert animus, quæ nunquam tempore lapso
Dixi, Cum Bacchi, cum regis Apollinis actus
Sum stimulo, horrenda vt narrarem spicula & idem
Fœdera cum Superis mortalibus atq; medelas.

Orpheus morborum remedia tradit.

Quibus satis innuit quod de Medicina quadã ab Apolline profecta ea intelligi debeant: quò & spectant libri Physici ab eodẽ scripti, quos ipse enarrat in initio Argonauticorũ; nempe de Elementorum inter se generatione mutua, de vi amoris in rebus naturalibus, de lapillis; & reliqui de rebus varijs sub Allegorijs tectis; Cujus suæ doctrinæ summam quandam libro de lapillis dictis proponit, vbi antrũ Mercurij describit, omniũ bonorũ pleno, de quo sub Mercurio; et testatur simul, rerum arcanissimarum se fuisse conscium, dum ita canit:

Opera Orphei.

At quemcunq; virum ducit prudentia cordis

(Cætera vt omittam, quæ plurima maxima dicam)
Scire cupit si fortè, sciet quæcunque volutant
Pectoribus tacitis mortales quæq; volucres
Inter se strident Cœli per summa volantes,
Infandum vt crocitant cantum mortalibus vllis,
Significantq; Iovis mentem, gens nuntia fati,
Is serpentis humi noscet firmare Draconis
Sibila, serpentumq; sciet superare venena.

Quæ licet alij ad Magica vel auguria interpretari queant, vt fortè liceat, tamen cum nec Orpheus revera magus fuerit, et si fuisset talis vel augur, non tamen hæc se scire, nisi Allegoricè adfirmare posset; Sic de Democrito narrant ipsum auguria intellexisse et voces avium, velut etiam de Apollonio Thyaneo; Democritumque (qui suam doctrinam ex Ægypto hausit) certo nomine aves quasdam nominare solitum, é quarum sanguine commisto, anguis nasceretur, ex quo si quis edisset, avium omnium intelligeret idioma; Atq; Melampo memorant angues quosdam visos, vnde ille postea sermones avium dicitur intellexisse: Hujusmodi esse falsissima, si prout sonant, accipiantur, quilibet ratione præditus discernere poterit; Vnde Cicero, ad literam respiciens Democritiæ doctrinæ; *Nullum*, inquit, *virum maiori anthoritate maiora mendacia protulisse*: Verum ne adeò mendax habeatur Democritus, cujus sapientiam et aurea dicteria Hippocrates admiratus est et Plato in delitijs habuit, per Allegoriam ejus honorem salvabimus, vt et Orphei, Apollonij et Melampi et dicemus per aves, volatilia, et per serpentes, volubilia subjecta philosophica intelligi; Ex angue enim nato de sanguine putrefacto quarundam avium, comesto, credibile est, avium voces non ignotas alicui manere: Ex volatilibus enim substantijs fit, firma et fixa, per putrefactionem solutionis, Quinta essentia dicta, quæ cum sit ingrediens & liquefiens, anguis appellatur, qui deinde easdem aves, ex quibus coaluit, similitudine naturæ facit percipi; Hujusmodi Allegorijs mo-

modernoru m scriptorum libri pleni sunt, qui lustrentur á curiosis: Idem hic Orpheus finxit se conjugis amore ductum inferas Plutonis sedes et Tænara adijsse, Cum inquit in Argonaut:

Cætera narravi, quæ vidi, vt Tænara adivi,
Vmbrosas Ditisq; domos & tristia regna
Confisus Cithara, vxorisq; coactus amore.

Quænam autem sint regna Plutonis, jam antè tradidimus nempe subterranea illa circa *Pyrenæos* montes, vnde mineræ ad medicinam et metalla ad diuitias hominum comparabantur: At cæteris, quæ de Orpheo restant, alibi dicendis, hic omissis, de Æsculapio, qui ab omnibus pro Apollinis filio naturali agnoscitur, pauca adijciemus: Hujus mater Coronis traditur, quæ cum ex Apolline concepisset, ac pòst cum alio rem habuisset, á Diana interempta est: Cumque rogo imposita fuisset, Mercurius é ventre mortuæ Æsculapium extraxit, vel Phæbus ipse, vt *Ovid.* 2. Met. inquit: *Æsculapius.*

Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina, sed natum flammis, vteroq; parentis
Eripuit, geminiq; tulit Chironis in antrum.

Hujus nutricem fuisse Trigonem voluerunt et eum apud Chironem Centaurum educatum, et ab eodem eruditum, à quo artem medendi didicit: Prius dictus est Apius (ἤπιος blandum significat) quia dolores ægrotantium medicamentis deliniret: At cum Asclen sanasset, Æsculapius nominatus traditur, qui Græcis Asclepius est; Fabulantur *Hyppolitum* ab equis laniatum ejus arte revixisse; quare fertur Iupiter iratus ob inventam artem, qua homines in vitam revocari possent, repertorem artis fulmine confecisse: vt habet Virgil: lib. 7. Æneid: Quod cum graviter tulisset pater ejus, ac magnopere luxisset (cujus lachrimæ in electrum conversæ creduntur) Cyclopes sagittis confecit

fecit; Hinc ille è Cœlo relegatus terram pererrauit; Cumq; Hyacinthi pueri amore captus disco cum eo certans Hyacinthum imprudens occidisset, vt Ovid. 15.Met: refert, profugus è Sparta ad Laomedontem dicitur Trojam confugisse, qui tum forte mœnia civitatis extruenda curabat, eique operam suam mercenariam collocasse, vt sub Troja dicetur: Vxor Æsculapij Epione, ex qua ille suscepit Machaonem & Podalirium, Iaso et Hygiæam: Alij Æsculapij non filiam, at vxorem Hygiæam statuunt: Serpentes in ejus tutela esse scripserunt, illiq; dicatum Draconem; Ipsius enim baculum gemini cingebant Dracones; gallus & capra ej offerebantur: Ex Apolline autem *Æsculapius*, omnis Medicinæ author & patronus, vt Ethnici finxerunt, & ex Coronide nympha, (quæ corniculam denotat) deducitur, quia *Apollo* et Orus noster veste purpureâ in fundo vasis videndus, Coronidem adhuc, hoc est, fæcem nigram, damnatam et vituperandam complectitur; à qua Æsculapius noster per combustionem seu calcinationem separatur; Inde Coronidis mater est Phlegya; (φλέγειν autem est comburere) comburitur enim Coronis Æsculapij mater, vt et Semele Bacchi, eodem ferè respectu: si verò dicatur Mercurius extraxisse *Æsculapium* ex cineribus matris, eòdem res redit; Hoc enim est officium Mercurij, & nil nisi Mercurius est, de quo dicitur: Hoc est summum Arcanum Philosophicum & Medicum, quod sub extractione Æsculapij ex suis fæcibus seu cineribus delitescit; adeoque evidens est, vt si hoc solum ex antiquissimis monumentis extaret, sufficiens tamen testimonium hujus Medicinæ aureæ, ac vanitatis Theologiæ Ethnicæ perhiberet: Primò enim cum Iupiter cum Latona congreditur (quæ etsi rubea sit, tamen inutilis est, donec alba fiat) post aliquod temporis spatium nascitur Luna seu Diana, de qua mox dicemus; ac pauló post Apollo, Dianæ frater, hic purpureâ, illa candidâ veste vel carne visendi; Et licet soror & frater sint gemelli, tamen soror ante fratrem in lucem prodit, hoc est, albedo ante rubedinem, ac deinde præstat obste-

obſtetricis officium matri;quod mirandum eſt, nihilominus in arte Philoſophica contingit, vbi rubedo abſque albidine præcedente non apparet: Rubedine ſeu Apolline nato, hic in ipſo vaſe concumbit cum Coronide,ſeu inſtar cornicis nigrâ nymphâ, et generat Æſculapium,hoc eſt, omnis medicinæ Philoſophicæ authorem; Hic Æſculapius à matre ſua ſeu terra nigra ſeparari nequit,niſi per cõbuſtionem; et tunc naſcitur Aeſculapius puriſſimus,Medicina aurea Philoſophica, omnibus numeris perfecta: De fæce illa nigra conſulantur authores, qui paſſim ejus mentionem faciunt: Nobis vnus Arnoldus hic ſufficiat; qui in novo Lumine cap.7. *Hic autem Cinis,* inquit, *rubicundiſſimus impalpabilis in ſeipſo, elevatur etiam & creſcit in modum fermenti, & ſeparatur ab eo in calcinatione prædicta terra nigra ſubtiliſſima & perlucida, quæ in fundo vaſis ſub dicto pulvere rubeo reperitur. &c.* Hic eſt Aeſculapius noſter, de quo Hermes cap. 3. *Filius noſter,* inquit, *iam regnat ac rubeo ornamento & carne indutus eſt: Iam filius noſter genitus rex ſumit tincturam ab igne; illum verò mare & tenebræ fugiunt, & Solis radios Draco fugit qui foramina obſervabat, filiuſq́; noſter mortuus vivit, & Rex ab igne venit ac coniugio gaudebit & occulta apparebunt, filiuſq́; noſter iam vivificatus fit igne bellator & tincturis ſupereminens.* Trigone Aeſculapij nutrix dicitur quia bina iteratio conveniat nutrimenti ejus; Apius, quaſi blandus dicitur, quia Nepenthes medicamentum *Helenæ* denotat; Mortuos vitæ reſtituit, quia terra mortua receptâ ſuâ animâ vivificatur iterum, vt multis locis aſſeritur, & Bonellus in turba teſtatur: *Propterea,* inquit, *Illa natura, cui humiditas adempta eſt, cum per noctes dimittitur, mortuo ſimilis videtur, & tum illa natura igne indiget, quouſque corpus & illius ſpiritus in terram vertantur, & tunc fit pulvis mortuo ſimilis in ſuo tumulo: His peractis reddit Deus ſpiritum & animam, & omni infirmitate ablata confortata eſt natura noſtra & emendata. Oportet igitur illam rem comburere abſq́; timore, donec cinis fiat; qui cinis aptus ſit recipere ſpiritum, animam, & tincturam infuſam:*

Æsculapius itaque sua arte corpora mortua in vitam reducit; quia illa quæ imperfecta sunt, & quasi mortua ex infirmitate ad sanitatem et vitam perennem transmouet: Vxoris et filiorum nominis ratio patet; Iaso enim à medendo, & Hygiæa à sanitate dicitur: Serpentes veró cur in ejus tutela sint, satis apparet; quia duplices serpentes, quorum vnus est alatus, alter absque alis seu duplex mercurialis substantia, mas & fœmina, est initium & finis operis: Hinc Draco illi advigilat & sacer est, quemadmodum & Mercurio & alijs hujus familiæ dijs & Heroibus eandem ob causam: Quod eò vsque apud Ethnicos pro certo habitum est, vt Æsculapium Deum Romam in Serpentis seu Draconis specie legati reduxerint, cum pestis maxima ibi grassaretur; l. 4. narratur inferius; Ita Diabolus Ethnicorum superstitioni, qui nostris primis parentibus eâdem formâ imposuit, astipulatur, pro Æsculapio credito se in Draconem formans: Quod addunt quidam de ovis cornicis, ex quibus Serpentes exclusi sint á conscijs sacerdotibus, fortè ita se habet, licet Hieroglyphicum sit & non hystoricum quid, Æsculapium ex cornicis ovo editum esse; Est enim ovum hoc philosophicum subnigrum multis superfluitatibus abundans, a quibus Aesculapius noster separandus est: Sic enim Arnoldus paulò ante citato loco: *Quia terra nigra prædicta*, inquit, *in calcinatione separatur à commixto, quæ alias fuerat in toto opere inseparabilis propter fortissimam vnionem; Et ideo necesse fuit per fortissimum artificium separari: Et si remanserit commixta, propter sui impuritatem, impediret puræ materiæ ingressum*: Hæc ille; At Lullius monstrat hanc nostram medicinam eò vsq; elaboratam formam ovi insuper habere, cum lib. de quinta ess. Distinct. 3. par. 2. *Quo frigefacto*, inquit, *invenies artista infantem nostrum rotundum, ad modum ovi, quem extrahat & mundet, &c.* Et in arbore Philos. sub 11. principio: *Post ortum illius coloris incipit coadunari in medio in forma rotunda ad modum cuiusdam rotundissimæ lunæ, circulariter contenta*: Aesculapius extractus ex cineribus Chironi seu manuum operatio.

Ex Epidauro.

rationi educandus traditur; Quia vt Bodillus in turba testatur; *Fœtus extractus non nisi lacte nutritur & igne per se & paulatim, dum parvulus est; & quanto magis exuritur ossibus confortatis, in iuventutem deducitur, in quam perveniens sibi sufficit*: Hoc vult Chironis educatio, quod quasi manu duci debeat ad ignem tolerandum: Æsculapij meminit quoque Hermes antiquissimus, qui Dialogos ad ipsum instituit, aliâs citatos: *Solis*, qui idem est cum Apolline, filios hic prætermimus, inter quos est Æëta, de quo antè, *Augias*, de quo pòst, & *Phaëton*; Hic Clymenes nymphæ filius ad patrem aliquando veniens, Solis currum ascendere impetravit, voto sibi nocivo; Dum enim quatuor Solis equis Cœlo invehitur, in Eridanum, non procul à Pyrenæis montibus præcipitatur: quo venusto figmento Poëtæ documenta dederunt & doctrinæ physicæ & & moralis; nempè quomodo Phaëton Philosophicus, in Eridanum auriferum præceps cadat; & non nimis alta petenda, nec quid suprà captum aut vires proprias tentandum esse; Et si bene res ipsa consyderetur, idem est Phaëton, qui Aesculapius, nisi quod hic medicinæ vsum spectet, ille alia, quæ multis incredibilia æstimantur: Tum enim Phaëton suo ardore à Sole concepto combussit Eridanum & exiccavit, imò auriferum fecit, vt alij fabulãtur; De eo Augurellus ex Lullio existimat, si in mare inciderit, totum mare combustum & exiccatum iri, & auriferum futurum, ne dicam, vt illi garriunt, in aurum conversum iri: Sed ad Solis seu Apollinis sororem Lunam siue Dianam redeamus, quæ eodem cum illo partu, sed tempore prior, edita est: Plærique Delum locum natalem Apollinis & Dianæ arbitrantur; Et Arcades Proselenos, quasi antelunares illos dictos, qui non procul ab Apidano habitârunt, ante Lunam exortos nugantur quidã, inter quos est Apollonius in 4. Argonaut: & Mnaseas ejus enarrator & Aristotiles: Sic Theodorus lib.29, Aristo Chius & Dionysius Chalcidensis in primo suæ ædificationis impudentissimè affirmârunt, paulò ante bellum, quod

Solis filij Aeëta, Augias, Phaëton.

Diana seu Luna. 6. Iovis filia.

ab Hercule adversus gigantes gestum est, Lunam primò apparuisse, quo tempore fabulantur Proselenum Orchomeni filium Arcadibus imperasse, vt tradit Duris Samius in lib. 15. rerum Macedon: Hisce mendacissimis relationibus Ethnicis voluptati fuit antiquitatem suæ gentis demóstrasse, desumptis ex nomine personæ, quæ nunquam extitit; aut si extitit, inane nomen fuit; si vixisset quidam *Proselenus* appellatus, an propterea ille ante Lunam exortam fuisset? Quod si verò his respondere quis vellet, an non jure quæreret, Num Proselenus cum suis Arcadibus in tenebris tamdiu degisset, cum ijdem testentur Lunam seu Dianam & Solem seu Apollinem eodem die ac partu editos, non in lucem, quia lux non fuerat, sed cum luce in mundum? Verũ Arcadicus asinus his lactucis luxuriet: Nec solum Arcades, sed & aliæ gentes Deorum & Herouṁ ab ijs ortorum monumenta sibi accommodârunt, præcinentibus Poëtis; Hinc Iupiter tot locis natus dicitur; vt *Natalis* lib. 2. c. 1. *miratur, modò in Creta, modò Thebis, modò in Arcadia, modò apud Messenios:* Et ne quid de cæteris dijs, aut heroibus dicam, quot vrbes Homeri se patrias aut congentiles jactârunt, quot ejus sepulchrum ostenderunt? vt Cicero pro Archia testatur; Eadem vanitatis & gloriolæ falsæ insignia in Thessalo nostro, Hippocratis filio agnoscimus, qui coram Atheniensibus impudentèr jactat suum genus ab Apolline descendere, vt & artem: Quid si Æsculapius ac Apollo nunquam vixissent, an Thessalus propterea absque progenitoribus fuisset? At hæc eo tempore communia fuêre: An non Æneas ex Venere, Romulus & Remus ex Marte ac Rhea Sylvia Vestali, ex Ænea oriundâ, progeniti sunt? Quot sunt vrbes, regiones & gentes, quæ scriptores, dum sub Ethnicismo adhuc essent, habuerint, & se non à dijs vel heroibus, Trojanis aut alijs derivârint? Ita veritas per adulationem oppressa, & dignitatis & antiquitatis opinio per mendacia hominum mentibus impressa est: *De* Luna, quatenus Cœli lumi-nare

Vide lib. 6. inferius.

Vanitas Ethnicorum.

nare est, hic nihil dicimus; at provt Latonæ filia & Apollinis soror, alias Diana, eam consyderamus: Quod fratri soror nascenti opem tulerit, & matri Latonæ obstetricem egerit, jam antè attigimus; ejusque rei ratio sat est conspicua: Nam Rubedo albedinem sequi debet, & non econtrá, testantibus omnibus Philosophis: Virginitatem verò Diana perpetuam vovit & à patre Iove impetravit, nempé deterrita periculo partus, cui adfuerat: Albedo enim apparens eximi non debet, sed coqui ad rubedinem; ideoque virgo manere dicitur: Ab Ethnicis quoq; Lucina invocata est, quæ parturientibus, vt Iuno (quæ ipsa eodem quoque partu cum Iove á Rhea edita erat) præesse ac opem ferre credebatur, nec non nascentia omnia in lucem evocare: Venatrix semper arcu & sagittis vti fingebatur, quibus Orionem venatorem optimum ex invidia & instinctu Apollinis, aquis innatantem, inscia quid esset, transfixit: Cynthiam quoq; eam vocârunt à monte Deli altissimo, vbi nata sit, & simul marem & fœminam esse putârunt, vt Orpheus in hymno: Aucta & deficiens, eadem quoque fœmina masq; . Alcman Melicus eam vxorem Aëris, é quo Rorē filium conceperit ac genuerit, arbitratur: Bigis eā vehi & non quadrigis, vt Solem, *Marcus Manilius* fingit: Et vestes splendidas induere & exuere, cum velit, inq; oceano lauari, & iam lucidā, iam obscurā pro vestiū splendore apparere Homerus hymnographus ille scribit; à ceruabus candidis ejus currum tractum dicunt. Cicero 3. de Nat. Deor. tres Dianas statuit, primam Iouis & Proserpinæ, quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur; secundam notiorem, quām Ioue tertio & Latona natam accepimus; Tertiæ pater Vpis traditur, Glauce mater; eam Græci sæpe Vpim paterno nomine appellant. Latona ejus & Apollinis mater est; idque verissimum: Nam Lato sive Latona dicta vnum idemque subjectum denotat; Idque Morienes sæpissimè inculcat, cum inquit: *Noster quidem Lato quamvis primum sit rubeus, tamen est inutilis, &c.* Et

Tres Dianæ Ciceroni.

Et: *Si autem Laton cum sulphure comburatur, &c.* Item; *quando autem purus Laton tam diu decoquitur, &c.* Et his similia innumera suis visenda locis: Orionem Diana jaculis interemit, venatorem magnum, Tripatorem illum, Iovis, Neptuni & Mercurij filium; qui ab Oenopione excæcatus in Lemnum profectus à Vulcano perbenignè excipitur: Vulcanus ejus misertus per famulum suum ad solem orientem ipsum deduci voluit, vbi sanitati restitutus lumen recuperavit; Quid quæso Vulcanus opis præstaret Orioni, nisi ex arte suâ? Ideoque ipsum ad Solem orientem misit; quod intellectu facile est, nec eget explicatione: Hunc Orionem Diana spiculis transfixit, cum nataret in mari, lignum se petere arbitrata: Est autem Diana & mas & fœmina; quia Hermaphrodyticæ naturæ est, cum sub albedine sit rubedo, & ex fœmina fiat masculus in magisterio Philosophico; Sic enim Senior: *Hæc est virtus fæminæ, quam fæminam fecerat in 9. diebus, significat animā quæ est virtus fæminæ, quam fecerunt masculum, cum coàgulatur & figitur in igne, & fit masculus calidus & siccus, per idem quod acquisivit à parte ignis, & nominatur tunc masculus, & nominant hanc aquam coagulatam nomine cuiuslibet masculi: deinde desponsaverunt eam, & ipse est ex ea, & ipse est radix eius & coagulatio eius.* Rorem habet filium Diana seu Luna, quamvis virgo statuatur: quia vt ros cadat ante eius exortum necesse est; Bigis vtitur, non quadrigis, quia saltem duos colores facit apparere, nigredinem & albedinem, & tria habet Elementa; Sol autem omnes colores quatuor requirit & quatuor Elementa, si authoribus credendum sit: Iupiter quoque ex Maja suscepit Mercurium: Hic Deorum fingitur vigilantissimus; In Cyllene Arcadiæ monte natus: *Pausanias* tradit eum in Corycio monte, non procul à Tanagris natum & lotum fuisse in Tricrena, vbi tres erant fontes in agro *Pheneatico*, à nymphis accolis eius montis: Alij educatum eum dicunt sub portulaca, quæ planta est humiditate & frigiditate maximè abūdans; de qua & Lull: Theor: Test: C. 4. inter vegetabilia

Mercurius 7. Iovis filius

bilia Mercurio appropriata meminit, cum inquit: Inter vegetabilia vitis dicta materia masculina & magna lunaria, quæ est succus vitalis, & radix frumenti siue straminis & porri & portulaca, malva & Mercurialis, & Chelidonia: Cumque natus esset Mercurius, alij dicunt Iunonem lac ipsi præbuisse, ac per inscitiam eum aliquamdiu nutrivisse; ex cujus ore lacte emisso viam lacteam in cœlo factam: Alij maluerunt Opim jussam lac infanti præbere, illud in saxum expressisse, quod Saturno obtulerat, quo in cœlum delapso lactea via facta sit: Otio abundantis esset hæc scrupulosius adeò manifestè falsa rimari, nisi nonnihil arcani lateret. Nam quæ hactenus diximus licet tenuiora sint, tamen à mundo recepta & Ethnicis credita fuerunt: Nobis constat, quod subjectum artis chymicæ sit Mercurius; qui vndecunque ortus sit, semper ex montano loco deducitur: Maja mater ejus est vna Pleiadum, Atlantis filia, & accipitur pro colle Atlanti adjacente, vt ante notavimus: sive itaque ex Maia seu Cyllene monte Arcadiæ prodierit, perinde erit: In Tricena lotus à nymphis, hoc est, ter purgatus suis proprijs aquis; Alatum eum finxerunt, cui gallus assidebat, juvenem formosum sine fuco, ac sine comptu, vultu hilari atque acribus oculis; qui aureâ cathenâ auribus hominum annexâ, mortales quòcunque libuisset, traheret: Hujus simulachrum Aegyptij partim atrâ facie, partim aureâ & clarâ confinxêre: Aereus expressus est cum astante ariete, cum præesset gregibus: Caduceus illi dabatur cum anguibus geminis, mare ac fœmina, scilicet mutuo connexu circumvolutis, & concordibus, quorum caudæ demittebantur ad capulum caducei: Hunc ab Apolline acceperat pro lyra, quam invenerat & Apollini dederat: Causa Serpentum in eo connexorum hæc traditur, cum caduceum inter duos angues acerrimè inter se dimicantes conjecisset, atque ij repentè facti essent amici, in posterum virgam eam geminis anguibus circumvolutis insignitam gestavit: Hæc omninò Chymica esse, atque ideo ficta & introducta ab antiquissimis ARCANA

mis

mis némo, nisi qui nihil vnquam legerit eorum, aut distorti judicij aut durioris ceruicis sit, non animadvertit: De quibus cum tot volumina tam recentiorum quam veterum Scriptorum feré omnibus suis paginis attestentur, nos testimonia hic citare singularia supersedebimus: Alatus est, & pingitur, quia Philosophicus Mercurius etsi non sit vulgaris ille & crudus, tamen alas ad volandum habet, nisi detineatur à suo fratre: gallus ei assidet, propter vigilantiam, strenuitatem & volatilitatem: sine fuco & comptu formosus, hoc est, sua natura homogeneus & legitimus absque mixtura cujusvis; quod aureâ cathenâ ducat homines auribus, credibile est, non solum eloquio, vt alij exponunt, sed quod ipse Mercurius omnium legum, artium, Medicinæ, mercium, totiusq; politiæ author apud Ægyptios dicatur, vt ante narratum est; Quia Mercurius Isidi præfuit, & á Mercurio illa enutrita dicitur, omnesq; artes & leges accepisse; Sic Mercurius reverà trahit homines auribus, sed aureâ cathena; quia ad ejus artis nutum omnia ficta, picta, sculpta, facta & peracta statuuntur: Ægyptij autem partim atrâ partim aureâ facie eum finxerunt, quia ita reuera est, aureâ interius, atrâ exterius: Æreus Martis naturam repræsentat ariete: In Caduceo sunt gemini angues; quia est duplex Mercurialis substantia, quarum vna est calida & sicca, altera frigida & humida; & sic contrarijs qualitatibus, quæ tamen reducuntur ad concordiam; Illa est mas, hæc fœmina: illa agens, hæc patiens; Mirabilis virtus est ejus virgæ, quod dissidentes concordes faciat serpentes, quodque animas è corporibus tactis educat, inque ea reducat; Hoc enim solus Mercurius efficit in magisterio philosophico; Ideoque vulgo dicitur, *Est in Mercurio quicquid quærunt sapientes*; Et Lull. lib. de quint. Ess. Distinc. 3. de Incerat: *Quædam, inquit, Elementa sunt, quæ indurant, fixant & congelant, & quædam indurantur, fixantur & congelantur: Et sic est duplex consyderatio in arte, scilicet componere ex vna natura vnius metalli duos liquores contrarios in compositione: Vnum, qui virtu-*

Mercurius volatilis.

virtutem habeat fixantem, congelantem & indurantem; Et *alterum, qui sit volatilis, infixus & mollis: Iste verò secundus liquor induratur, fixatur & congelatur per primum: Ex quibus ambobus liquoribus resultat vnus lapis congelatus, fixus & induratus, qui habet virtutem congelandi non congelatum, indurare mollificum, & fixare infixum, & mollificare durum.* Hæc est duplex illa serpentum connexio, quorum vnus alatus, alter absq; alis fingitur; hæc est duplex facies Iani, quæ respicit in præterita & prospicit in futura; aut potius, qua non fixa natura intrat in fixam, tanquam per Ianuam apertam. Hæc est gemina avis vna cum pennis, altera sine pennis, & vna apprehendit rostro caudam alterius, vt est in figura Senioris: Quid pluribus? Hæc res est notior, quàm quod ad eam demonstrandam plura testimonia adduci debeant: De furacitate Mercurij mirum in modum consentiunt, quod cum parvulus esset adhuc infans à Vulcano susceptus erudiendus ei instrumenta fabrilia surripuerit ex officina; Veneri cingulum, Iovi sceptrum, Apollini boves Admeti regis pascenti, & pharetram, codē die quo natus est: Cupidinemque palæstra superavit recens editus in lucem: Pòst adultus varia officia obtinuit, nempe deorum cœnaculum verrere, sternere curiam, Iovis mandata per diem circumferre, & huc illuc cursitare per noctem mortuorum animas ad inferos deducere, palæstris, concionibusq; præesse, & nullo tempore quiescere: Lyram invenit, novem chordas testudini ad Nilum inventæ primus intendit; primus tres fidium tonos acutū, gravem & medium reperijt: Battum pastorem in saxum Indicem convertit, Ovid. 2. Metam: Argum centum oculorum, qui Ionem in vaccam versam seruabat, Saxo occidit: Ægypto præfuit, & Ægyptijs leges & literas tradidit, à quibus nominari nefas habebatur; sub terris quoq; manens Trophonius, à quibusdam dictus est: Astronomiæ & Philosophiæ author & Religionis Thebanis Sacerdotibus extitit, qui maximè has disciplinas exercuerunt, vt testatur Strabo lib. 17. Geograph: Et Marcus Manili-

Flamelli Hieroglyphicum.

Mercurius à Vulcano eruditur.

Officia Mercurij.

Mercurius Ægyptijs leges & literas tradidit.

Astronomiæ & Philosophiæ author Mercurius.

us, lib. 1. rerum Astronomicarum his versibus:

Tu princeps authorq́ sacri Cyllenie tanti,
Per te iam Cœlum interius, iam sydera nota, &c.

Idem Poëta conatur ostendere vniversum fundamentum religionis apud Ægyptios à Mercurio prius fuisse inventum, vnà cum ritibus sacrorum rerumque naturalium causis: Ex his quid aliud eliciemus, quám prius sub Ægyptiorum Hieroglyphicis sæpius repetitum axioma, á Mercurio dependere omnia, eumque esse omnium rerum magistrum: Furacitas ejus nimis nota est illis, qui quemcumque Mercurium elaborandum sumpserunt; Hinc Vulcano, cæterisque dijs instrumenta surripuit; At cur à Vulcano educatus dicitur? quia Vulcano est proprius discipulus, & ille huic præceptor: Officia ejus satis constant; Mercurius enim dicitur, quasi medius currens, quia Dijs à pedibus fuit: Sic in arte Philosophica currit per initium, medium & finem: Musica instrumenta & intervalla invenit; quia omnia fiunt pondere, numero & mensura; ex quibus tandem sonorum quid evadit: Battum in Saxum vertit, & Argum saxo interemit; Nil mirum, quia Mercurius seu Index in trivijs ipse est nonnunquam lapideus: Ægyptijs omnis disciplinæ author est, vt sæpe repetitum, at quod nominari nefas esset, arcana Aegyptiorum sacra manifestat á Mercurio profecta & de Mercurio instituta, et silentio involuta esse: Cuius rei euidens quoque argumentum est, quod Mercurius refertur etiam inter Arcanos illos Samothracum deos, quorum solennia qui observasset, inter turbulentissimas tempestates servabatur omnino: Ijs Vlyssem initiatum ferunt in Samothracia, sed vitta alba pro tænijs vsum fuisse; quippe cum initiantes tænias purpureas circa ventrem innexuerint: Erat autem mos initiandi in Cabiris, atque Deorum nomina, quos nominare nefas erat, ista fuerunt: AXIOERVS, AXIOCERSA, AXIOCERSVS: Erat autem Axioërus Ceres

Nota.

Fr. Iun: in præ. Gram. ab Hebræo deducit, quod abstrusum sonat, vt & Cabiros.

ARCANISSIMA

Ceres, Axiocersa Proserpina, Axiocersus Pluto, quibus quartus accedebat CASMILVS, qui erat Mercurius, vt scripsit Dionysiodorus. Triceps Deus vocatur, marinus, cœlestis & terrestris habitus: Cum Hecate congressus ex ea tres filias suscepit. Athenienses Terrestri Mercurio Choes vocata solennia celebrabant die 13. Lunæ Nouembris, quibus semina omnium generum in vna olla miscerentur & coquerentur: Ijdem in ejus honorem Hydrophoria agebant; de quibus inferius. A Lycophrone triceps Nonacrites Ctarus Deus nuncupatur; A Lactantio citante Hermetem, inter tres, quibus esset summa sapientia, Vranum sive Cœlum, Saturnum & Mercurium numeratur: A quibusdam Polygius dicitur, cui Hercules devictis gigantibus clavam consecrârit: Cujuslibet mensis dies lunæ quartus Mercurio fuit dicatus, sicut primus & septimus Apollini, qui Sol est: Traditur cum Plutone & Iove collocutus fuisse, eorumque legum arcana hominibus explicasse: Ipsi lingua victima rum sacra erat, quæ vltimo projiciebatur in ignem: Habuit plurimos filios (inter quos Æthalides Argonauta) & filias, ex quibus Angeliæ meminit Pindarus: Illi mactabatur vitulus; Ejus simulachrum inter cætera Eleusiniorum sacra symbola portabatur, de quibus sub Eleusinijs dicemus: Hæc præter ante exposita Mercurij naturam, & cur ille sacris adhiberetur & Deus creditus sit, satis dilucidè explicant; quod nimirum sit ex præcipuis Hieroglyphicis Ægyptiorum & Græcorum, ideoque ejus solennia cum silentio ab initiatis & juratis personis, ne quicquam alteri aperirent, celebrata sint; Hinc frustrà Lactantius Mercurium libro de falsa religione arbitratur fuisse hominem singulari ingenio & sapientia: Et Cicero lib. de Nat. Deor: Mercurios plures producit, asserens vnum Cœlo patre & Diematre natum, alterum Valentis & Phoronidis filium, tertium Iove & Maja editum, quartum Nilo patre, quintum quem colunt Pheneatæ. Vnus enim saltem Mercurius est, isque Hieroglyphicus, nec Deus, nec homo; quamvis non negauerim fu-

Satrax vel Samothrax Deus incognitus. Græcis, vt Saturnus latinis, ibid. Iunius. Trophonij solennia.

Hermes, Junio teste Hebræis est viator calcans itinera.

Mercurius venditor & negociator.

ille quosdam summæ sapientiæ viros Hermetes seu Mercurios dictos in Ægypto, his tamen nihil de antè dictis adscribi posse: Sic Hermes Trismegistus ipse Mercurium inter sapientissimos recenset, non seipsum intelligens, sed Hieroglyphicum; Hic vt inter deos Aegyptios & Eleusinios numerabatur, sic & Samothracum; quorum solennia cum ijs ejusdem fuerunt intentionis; Hæc, vt illa arcanissima, His vt illis Mercurius intererat; & sacerdotibus ac initiatis clavis aurea in lingua; Hi & illi Angeronæ silentij deæ, aut Harpocriti deo litauerunt; ideoq; deorum nomina in vulgum spargere nefas erat; non quod per se malum esset, Deos creditos nominare, sed ne arcana sub nominibus illorum deorum, & sacrorum latentia innotescerent: Hæc fuit vnica & propria causa, cur initiati essent selecti & iurati, qui celebrarent illa sacra & simulachra viderent, cur interdictum erat quicquam de dijs aut sacris invulgare, aut ipsos Deos nominare: Hinc dijs illis communia & generalia quædam nomina attributa sunt, quæ summam eorum dignitatem designent, vt sunt Axiocrus, Axiocersa & Axiocersus; Ceres, Proserpina & Pluto; Ceres eadem est, cui Eleusinia instituta sunt; de quibus infrà sequenti libro, & Pluto divitiarum Deus subterraneus, de quo superius; Mercurius his additur, velut minister, qui est Omnia in omnibus: Fabulantur ijs sacris Vlyssem initiatum; sic enim Homero placuit; tæniæ autem purpureæ, non albæ, illis adhibentur, in quibus cum errârit Vlysses, tot errorum & tempestatum ipsi in reditu immissarum, quibus tamen servatus est, causa extitit: Cur triceps est Mercurius, novit is, qui legit apud nostrates ex Hermete; Tres vidi facies in vno patre; sic Rosarius; *Materia*, inquit, *Lapidis Philosophorum est aqua & intelligitur de aqua illorum trium, vt probat Hortulanus; Nec debent esse plura nec pauciora; Et dicit, quod Sol est masculus, Luna fœmina & Mercurius sperma:* Nonacrites Mercurius appellatur, quia Nonacris Arcadiæ mons

mons percelebris in jugis habet stillantes è saxo frigidissimos humores; Hæc autem aqua stygia vocatur, in qua neq; argenteum, neq; æneum, neq; ferreum vas potest subsistere, quin consumatur & erodatur: Conservare autem eam nisi vngula mulina, nihil credebatur: Marinus dicitur Mercurius, vt alij putârunt, quod per mare, Cœlestis per Cœlum, terrestris per terram Deorum mandata perfecerit, verùm nos scimus, quod in eo sit superius & inferius, Cælũ & terra Philosophorũ, & quod terra sit particeps aquæ, ideoq; trium naturarum dicatur; seu quod constet ex aqua & terra, tanquam proprijs Elementis visibilibus & præterea quintâ essentiâ seu cœlesti virtute abditâ; Hecatæ congressus triformi materiæ, ex eâ generavit filios: Cur verò Athenienses terrestri Mercurio, Trophonio dicto, ejusmodi solennia fecerint seminibus mistis & coctis omnibus in vnâ ollâ mirabile est, & Ægyptios ritus ostendit: de quibus ex hactenus dictis ratiocinari liceat: Mysticam quoq; causam subesse animadvertitur in diebus Mensis Mercurio dicatis; Atq; inde videtur & apud Romanos morem numerandi dies planetarũ septem incepisse; cum & apud hos vt etiamnum Apollini primus & septimus, ac *Mercurio* quartus dies asscribatur, non tamen habito respectu ad Lunæ ætatem aut motum, vt olim: Quod Mercurius leges à Iove & Plutone, divitiarum Deo, mutuatus hominibus explicârit, jam sæpius declaratum est: Lingua ipsi sacra, non vt hactenus existimatum, tanquam Eloquentiæ Deo, sed silentij, & quod ejus sacra intra dentium vallum suppressâ linguâ reticenda sint; quæ ideo externo ritu vltimò abijciebatur in ignẽ: quia nuncius credebatur deorum, Angeliam filiam habuisse fingitur; De simulachro ejus inter Eleusinia dicemus: Hic itaque est ille *Mercurius* qui per vniversas mundi partes suas leges, sacros ritus, ceremonias & cultus instituit; Cumque revera nunquam in rerum natura fuerit, nisi secundum intellectum Ægyptiorum sacerdotum & Græcorũ Poëtarũ Hieroglyphice & Allegoricè, nec non in arte

Mercurium Trophonium nominari nefas erat.

Mystica.

Mercurio lingua sacra, vt silentij nuncia.

Mercurius mundo imposuit.

arte ipsis tum cognitâ arcanissimâ, nihilominus omnia mundana, tanquam Deus terrenus, rexit, ordinavit, fixit & refixit: Ex Ægypto in Phœniciam, & ad Græcos cũ sua religione mystica penetravit, ab his ad Romanos, qui toti ferè orbi, cui dominabantur, Mercuriũ eiq; congentiles Deos propinârunt & obseruandos præceperunt; Hac ratione Hispani, Galli, Germani, Britanni, alijque populi Mercurio, vt & Marti, litârunt, quemadmodum ex antiquis hystorijs patet: Quamvis potius Germanos ab ipsis Ægyptijs (siquidem Romana nec nomina, nec numina cum imperio tot centenis vix confirmato multum curârint) Mercurij cultum hausisse arbitrer eâ ratione, quod Ægyptij Mercurium sua lingua Theut vocaverint, ac Germani, qui fortè à *Mercurij* cultu se Theutonos siue Teutschen indigetârint, longè ante Romanorũ adventum in Germaniam Mercurium in sylvis vnà cum Marte coluerint; Quid alij de alijs ejus nominis rationibus adferât, non ignoro, nec multum refuto, nisi saltem præsumptiones potius quàm probationes essent. Plinius l. 4. c. 14. existimat Teutones Germaniæ populos sic dictos á Teutono Deo, quem terrâ ortum existimabant: Mercurius enim verè ex terra natus dicitur: sic & Teutates, lingua Gallica olim dictus Mercurius, qui à Gallis quoque colebatur & sanguine humano placabatur; Vnde Lucanus:

Et quibus immitis placatur sanguine diro Teutates:

Aventinus lib. 1. Tuisconem. Noæ filium facit, quem ille in Armenia genuerat, & in Europam miserat, quicquid inter Rhenum & Tanaim amnes continetur eidem assignans. Alij Tuisconem volunt esse Ascenas filium Gomeri primogenitum, à quo Germani *die Teutschen* dicti sunt: sed cum de originibus gentium illa sint valdè incerta, nec literis verissimè prodita, credimus vt accepimus, aut accipimus, licet non omnia credamus: Hæc de Mercurio, Cosmico Deo sufficiant; si saltem illius ANTRVM ex Orpheo & vno nostratium inquirentibus ostenderimus: Sic enim *Orpheus* in libro de lapillis, dum homines ad studia

ARCANISSIMA

dia

dia adhortatur, eos ad Mercurij speluncam ablegat, omnium bonorum & commodorum plenam, his carminibus:

Ὅντινὰ κεν ἀνθρώπων πεπνυμένον ἦτορ ἀνώγει,
Ἐς πολυήρατον ἄντρον ἐπελθέμεν Ἑρμείαο,
Ἔνθ᾽ ὅγε παντοίων ἀγαθῶν κατέθηκεν ὅμιλον,
Ἆιψά κεν ἀμφοτέρῃσιν ὀνείατα πόλλα κομίζων,
Οἴκαδ᾽ ἀποστείχει, προφυγὼν πολυδάκρυν ὀϊζύν.

Hoc est,

At quemcunq; virum ducit prudentia cordis,
Mercurij ingredier speluncam, plurima vbi ille
Deposuit bona, stat quorum prægrandis acervus:
Ambabus valet hic manibus sibi sumere & ista
Ferre domum: valet hic vitare incommoda cuncta.

Et Augurellus Lib. 2. Chrys. simili ferè modo Thalamum ac Cubilia Glauræ Nymphæ describit:

Est lucus summo secreti in vertice montis,
Fons vbi decurrit nitidis argenteus vndis,
Et specus exesum tendens aperitur in antrum:
Intus habet præstans divino numine virgo,
Ruricolæ Glauram prisco quam nomine dicunt,
Huc densos inter vepres augustus & asper,
Acclivisq; ægrè perducit callis euntem.
Vestibulum ante ipsum, speluncæ lavis & aqua
Planicies, non ampla tamen horrentibus vmbris
Cingitur ac fluvij ripis & margine tophi
Obductâ viridi musco, spissisq; corymbis:
Ingreditur verò si quis fœliciter, omnem
Continuò labem humanam, mirabile dictu,
Exuit ac pondus subitò mortale relinquit,
Et purus penitusq; leuis fit spiritus illi,
Quiq; aditus lustret cunctos, agilisq; feratur.
Per cuneos, quibus in medijs sedet aurea Nympha,
Aureus & circum thalamus, supraq; renidet

Quin

Quin auri tabulæ pedibus calcantur euntium,
Atq; ipsa ex auro splendet conflata supellex:
Tarvisijs, ne qua titubes, in montibus antrum
Hoc pete: qui rebus tantis primordia quæris,
Quodq; illic visum fuerit preciosius, inde
Erue, nec sumptu, nimio nec parce labori.

Quæ recentioris aurei Poëtæ verè aurea carmina satis explicant, quid Orpheus per antrum *Mercurij* intellexerit, ad quod sapientes quoscunq; lustrandum adhortatur: In hoc enim antro Nympha aurea habitat Glaure dicta, quæ ipsa est *Mercurius*, & quot sunt rerum in mundo nomina, tot appellationes similitudinarias sibi adsciscit, ne ab indignis appræhendatur; Hinc in turba circa finem dicitur: *Ne ergo innumeralitate nominum decipiaris, mortuus cum vivit vsq;: Sed certo habe eum quid esse, cui nihil alienum accedit, neq; infertur: Eius igitur socium investiga, & alienum nihil ei inferas, & sine multiplicare homines nomina, quæ nisi multiplicarentur, sapientiam nostram pueri riderent*: Ne quid de modernorum igitur nominibus huic materiæ & subjecto attributis, cum innumera sint, curemus, apud antiquissimos dicimus hanc vnam eandemq; rem *Mercurium* dictam appellari, & per eam intelligi, Apim, tot tauros dijs sacros, aliosq; domitos dracones antè memoratos & ferè omnia Hieroglyphica animalia & numina; item tot monstra, Typhonis & Echidnæ sobolem, Cerberum, Chymæram, Sphyngem, Hydram, Hecaten, Geryonem, tot leones, equos, aves & bestias, quarum partim mentio facta est, partim fiet suis locis: Nunc ad Dionysum Iovi ex Semele natum progredimur, non minus celebrem Mercurio; Hic idem est apud Græcos, qui Osiris apud Ægyptios & Bacchus apud Romanos, quod patet ex omnibus ipsi attributis; ideó nunc ipsum Osirim, nunc Dionysum, nunc Bacchum promiscuè nominabimus, semper vnum subjectum, vt et antiqui subintelligentes: Semele Cadmi & Harmoniæ filia, cum mortalis esset, & à Iove, vt fabulan-

Typhon alias ventus, in gyros motus.
Dionysius 8. Iovis filius.

Dionysi synonyma.

bulantur Poëtæ, in amplexum peteretur; Iuno Iovis vxor anum mentita Semelæ persuasit, vt Iovem per *Stygiã* paludem jurare compelleret, se concessurum quod peteret, ac deinde flagitaret à Iove vt ad se talis accederet qualis Iunonem complecteretur; Cumq; Semele hoc à Iove impetrasset, ac vim fulminis sustinere non posset, continuò, vt dicitur, in cinerem conuersa est, cum jam octavum mensem fætus ex Iove conceptus explevisset; vt Ovid: 3. Met: venustè hoc describit his versibus.



Rogat illa Iovem sine nomine munus;
Cui Deus, elige, ait; nullam patière repulsam;
Quoq; magis credas, Stygij quoq; conscia sunto
Numina torrentis, timor & Deus ille deorum est:
Læta malo nimiumq; potens, perituraq; amantis
Obsequio Semele, qualem Saturnia, dixit,
Te solet amplecti, Veneris cum fædus initis,
Da mihi te talem: Corpus mortale tumultus
Non tulit aërios, donisq; iugalibus arsit.

Semele Dionysij mater combusta, vt & Æsculapij.

Cum verò Semele arsisset, Iupiter fœtum ex ventre ejus surreptum, ne et ille periret, suo femori assuit, & ad justum maturitatis tempus gestavit, quod ibidem sic describitur.

Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioq; tener (si credere dignum est)
Insuitur femori, maternaq; tempora complet.

Pater fit mater.

Hinc Dionysius vocatus est, quia pupugerit Iovis femur, cum natus esset cornutus, vel vt alij volunt, quia Iupiter claudus esset, cum illum assutum femori gestaret, vel vt alij, quia Iupiter pluviam dimiserit, cum natus fuit: Alij Dionysum statim natum à Mercurio deportatum esse in Nysam Arabiæ vrbem Ægypto finitimam ad Nymphas educandum asserunt: Hinc & bimater dictus est: Alij dix-

erunt Semelen Iovi quidem Liberum peperisse, sed à Cadmo depræhensam cum puero recens nato conjectam in arcam fuisse ligneam, quæ fuerit æstu maris ad fines Oreatas (illud fuit oppidum Laconum) delata, sed ab indigenis aperta arca inventam fuisse Semelen mortuam, sepultamque magnificè, at puerum educatum. At Meleager non assutum fuisse femori Iovis arbitratus est, sed ab ipsis Nymphis é cineribus maternis statim ereptum & educatum; Demarchus dicit eum ab Horis educatum, idque in Ægypto, vt vult Orpheus, qui tamen primus fuit, qui eum Thebis natum dixerit; Vnde Ægyptijs scriptoribus illi Græci nugari visi sunt, qui Dionysum è Semele & Iove prognatum dicant Thebis; quod accidisse aiunt, quia Orpheus in Ægyptum profectus, cum ibi mysteria perdidicisset, amicus Thebanis, à Cadmo oriundis, ijsq; gratificari volens, ea finxerit de Dionyso; quod vulgus Thebanorum, partim ob inscitiam, partim, quia vellet tantum Deum suum civem putari, facile complexum est & ad alias nationes pro vero transmisit: Quodque hic de Dionyso Thebanis ob gratiam á Poëtis affictò dicitur, idem de alijs dijs & heroibus existimandum est contigisse, vt antè monuimus: Quidam dixerunt Dionysum é Iove ac Cerere natum esse & discerptum á terrigenis & coctum, sed à Cerere compactis membris rursum iuvenem revixisse: Alij Hyadas (quæ pluviam significant) fuisse Bacchi nutrices, in Naxo; Cumque apud Nymphas adolevisset, multas res admirabiles fecisse; quas Natalis Comes in Venat: Lib. 4. sic complexus est:

Ægyptijs nugantur Græci de Dionyso.

Miraculosæ res afficta Dionyso.

Has inter ferulam ludendo fortè cecidit
Et ferro lapides illa percussit eodem;
Exiluit dulcis vini de vulnere rivus;
Hinc laceravit ovis frustatim viscera tabo
Inficiente solum, canis albentia setis.
Membraq; iecit humi, rursus mirabile dictu,
Divisa pecudis coïerunt membra repentè
Et virides herbas decerpsit pabula nota.

Fertur

Fertur amphisbænam (id viperæ vtrinq; caput habenti nomen est) à qua in tibia morsus esset, palmite vitis, qui forte propinquus adjacebat, occidisse; mel, lac, & alios suaves liquores é terra excitasse, si virgâ eam percussisset: A Iove in cœlum portatus at à Iunone ferè dejectus fingitur: Hanc semper juvenem dixit Ovid: 4.Metam: alij barbatũ, alij imberbem pinxerunt; Isacius testatur Dionysũ eundem juvenem & senem fuisse ab antiquis existimatum, & Orpheus eum marem & fœminam esse tradit: Quod quidam de capite *Polypi* affirmârunt, illud quidem esui jucundum esse, sed multa somnia parere phantastica, de *Poësi* alij exponunt, eam jucundam suis figmentis videri, sed multa inania & delyramentis similia spargere; quod si verum est, inprimis locum habet circa hanc Dionysi aut Osiridis, seu Bacchi allegoriam, ejus nativitatem, vitam & res gestas complectentem; Verum licet nonnulla à posterioris ævi Poëtis Dionysi factis affictа sint vulgaria, tamen pleraque de rebus magni momenti arcanissimis inde ab antiquitate fabularum involucris ad nos vsque transmissa & propagata esse, nullum relinquitur dubium: Si enim vel vini solius confectionem ac vitis inventionem Dionyso tribuerent, ideoque talia & tanta mundo offerrent consyderanda quæ ipsi ascribuntur, antiquissimi scriptores Elleboro non Encomio digni essent, imò viderentur omnium hominum nequissimi & stultissimi: Eorum quidam Ægyptij longè diversa ab hactenus dictis de ortu Dionysi tradiderunt: Aiunt enim Ammonem regem partis Libyæ, qui Cœli filiam ac Saturni sororem duxerat, cum viseret regionem ad montes Ceraunios, reperisse virginem formâ egregia Amaltheam nomine, cum qua congressus filium genuit, qui cum postea robore & forma esset insignis, Dionysus fuit vocatus: Amaltheam constituit reginam propir qui loci, cuius loci figura cum esset cornu bovis similis, dictũ est cornu Hesperidum. ob fertilitatem veró regionis quæ multiplices domesticorum fructuũ arbores produceret,

Poësis capiti Polypi assimilatur.

Allegoriam iniucunda, & totam rem complectens.

regio vocata est cornu Amalthea. Cæterum Ammon veritus Rheæ zelotypiam, puerum in Nysam quandam urbem deferri curavit longè ab ijs locis distantem in quadam insula à Tritone fluvio comprehensa ad præcipitem locum, ubi fuerunt angustiæ quædam, quas portas Nysæas vocârunt. Erat ibi regio peramœna, mollibus pratis distincta, locusq; irriguis multis aquis lympidis scatentibus abundabat, omni fructiferarum arborum genere consitus, cum multæ etiam optimæ vites sponte nascerentur. Afflabatur locus multis amœnissimis ac saluberrimis ventis; quare incolæ longissimâ ætate fruebantur cum regionis ingressus multis condensis altisque arboribus sepiretur & vallibus satis profundis, ita vt Sol non facile posset penetrare, ac vix lumen ipsius Solis; ad omnes accessus fontes fuerant dulcium aquarum, cum semper virentes ac odoriferæ arbores multæ essent, & suaves flores, & variarum avium cantus; atq; vt vno verbo concludam, nihil prorsus ad absolutam voluptatem habitantium ibi desyderari poterat. Illuc vbi Ammon accessisset, filium alendum dicitur dedisse Nysæ, vni filiarum Aristæi, cujus tutorem instituit ipsum Aristæum, virum prudentia omniq; generè disciplinarum præstantem: At Palladem præfecit devitandis insidijs novercæ, quæ paulò antè ad fluviū Tritonē è terra edita visa, Tritonia fuit appellata. Enimverò cum Rhea postea virtutem & gloriam Dionysi privigni vbique celebrari audivisset, irata est Ammoni, Dionysumq; omni arte procuravit capere, quod cum facere nequivisset, reliquit Ammonem, & ad fratres Titanes confugit, apudque Saturnum fratrem habitare decrevit: Persuasit etiam Saturno vt cum cæteris bellum adversus Ammonem susciperet; quod factitatum est: Ammonem, inquiunt, tum annonæ penuria laborantem in Cretam necessariò confugisse, duxisseq; filiam vnius Curetum tunc imperantium Cretam nomine, atq; insulam prius Ideam nominatam ab vxore Cretam vocasse: Saturnus occupatis à se locis Ammonis, cum nimis acerbè imperare visus esset, magnum odium

Nysa, Aristæus & Pallas curam habent Dionysi.

odium subditorum in se concitavit, nec ità multò post cū magnis copijs comparatis adversus Nysam & Dionysum militavit. Dionysus auditâ fugâ paternâ, multos milites è Nysa collegit, & inter hos ducentos pedites, robore, beneuolentia erga ipsum & officijs præstantes: His accesserunt collectitiæ copiæ è Lybia & magna manus Amazonum, quæ etiam eò libentius adventârunt, quod intelligebant se Palladem rerum militarium studiosam sociam belli esse habituras: Sic marium summus Imperator Dionysus, fœminarum Pallas ductabat exercitum. Inito prælio multis vtrinq; cadentibus, Saturnus vulneratus est, ac victoria fuit penes Dionysum, cujus præclara virtus illo die præcipuè enituit. Titanes fugâ se servârunt in loca Ammonis, quos per deditionem postea captos libertati restituit, optionemq; dedit, an secum vellent militare vel abire, qui omnes secum militârunt, ac Dionysum tanquam Deum salubrem coluerunt. Aiunt expeditionem adversus Saturnum fuisse susceptā, militantibus vnà nobilissimis Nysæis, qui Sileni sint vocati, cum primus qui regnavit Nysæ, Silenus nominaretur. In itinere multa monstra domuit, desertasq; regiones colonis replevit. Saturnus Dionysi copijs auditis vrbem succendit, abductaq; secum Rhea & quibusdam amicis per obscuritatem noctis ex vrbe diffugit: sed cum in custodias vbiq; distributas incidissent, venissentq; in potestatem Dionysi, non modò nihil inhumanum passi sunt, sed etiam vltró invitati, vt pro paternâ charitate inposterum cum ipso vnà viverent, omnem debitam reuerentiam ob conjunctionem sanguinis consecuturi; sed cum denuò Titanes clam arma parâssent, ab eodem victi pugnâ ad vnum sunt trucidati. Hæc narratio de Dionysi ortu, bello & victoria totū artificium Philosophicum graphicè depingit cum omnibus suis circumstantijs, vt mox audiemus. Cum veró Dionysius hac victoria parta, de omnibus nationibus benè mereri studeret, orbēq; terrarū illa, quæ sciebat docendo peragrârit, Mercuriū Trismegistū vxori consultorē, ac

Dionysi expeditio.

Pallas Amazonum dux.

Mercurius, Hercules, Prometheus, Aegypto præfecti.

ac Herculem Ægypti præsidem reliquisse dicitur; Prometheoq; primum ab Hercule locum dedisse: In montibus Indiæ non procul à Gange fluuio columnas duas erexit in oriente, vt in occidente Hercules: Indiam vniversam debellauit, & vrbes Orientis subegit: Eius exercitus fuit coactus ex agricolis mulieribusq;: Post triennium ex India redijt, mox per Libyam & Hispanias peruagatus, mulieresq; choreis & saltationibus indulgētes multas in castris habuit: Hic vbi Nysam florentissimam ciuitatem in India condidisset apud Indum fluuium, Ariadnam duxit: Furore autem à Iunone iniecto percitus orbem terrarum peragrauit: Dicebantur Cobali dæmones immites & inhumani quidam & Satyri & Bacchæ (vnde ipse Bacchus dictus) & Sileni ipsum comitari cum cymbalis & strepitu quocunq; incederet, qui in curru à Lyncibus tracto vehebatur. *Ouid:* 4. Metam: circa eum lynces, tygres & Pantheræ esse consueuerunt: Pardali pellem semper gestauit, vnde Bryseus appellatus est: Lusus ipsi socius fuit: Pro sceptro thyrsum gestauit: Sacer illi abiegnus ramus, abies, hedera, smilax, quercus: Pica inter aues, & ficus folia, Narcissiq; corona non ingrata fuit: & Draco inter reptilia: Eius Sacerdotes fæminæ erant Mænades dictæ, Thyades, Bacchæ & Mimallones. Leo factus, cum veheretur naui, omnes nautas piratas, præter ipsum gubernatorem in fugam vertit, vt in delphinos versi in mare statim desilierint: Triennium apud Proserpinam dormivit, deinde excitatus choreis indulsit cum Nymphis: Ab Indica expeditione in patriam post triennium revertit, hostesq; suos profligauit: Cumq; idem sit, qui Osiris, vt dictum, cum sepultus fuisset, revixisse fertur integer; Non solum cornutus, sed etiam taurino capite ab antiquis fingebatur: Fertur hic deus primus omnium mortalium depressos ad sordida quæq; hominum animos ad deorum cultum erexisse, vt Ouid: habet lib: 3. Fastor: Ante tuos ortus &c: Quod de Orphei festis Trietericis ad Græcos translatis omnium primò intelligendum, de quibus

Dionysus primus pro Deo cultus apud Græcos.

quibus post agemus: Cum discerptus esset in bello Iovis contra Titanes, Pallas eius cor palpitans ad Iovem detulit: Primus omnium duxit triumphum, cumq; ille mitra circa caput vsus esset, mansit postea consuetudo regibus, ad eius imitationem diademate vti: Quæ omnia si ad vnguem examinare ipsiq; rei, de qua conficta sunt, pro dignitate applicare vellemus fortè institutæ breuitatis rationem transgrederemur; Ideoq; succinctè de illis saltem tractabimus, cum singula maxima ex parte ex antè dictis & pòst declarandis elucescant: De combustione Semeles matris Bacchi, sub Æsculapij ortu diximus; Quia similis vtróbiq; modus; Ille ex Coronidis, hic ex Semeles matris cineribus ereptus & enutritus dicitur, ille à Chirone, hic à Mercurio, vel vterq; & educatus à nymphis, Hyadibus, aquosis partibus; Bimater est, quia bis è Mercurio genitus, vt tradunt omnes philosophi: *Nam noster filius, inquiunt, habet duos patres & duas matres, & quia charè nutritus est in igne, ideo nunquam moritur:* Lull: Theor: Test. c. 46. Iovis femori assutus fingitur vt maturescat; Ita enim conuenit in arte; Nam fixum figit volatile: Estq; hoc loco Iupiter cum suo fulmine ad Semelen mortalem, longissimis capillis præditā, accedens, Ignis noster in vitro accensus, qui comburit magis quam ignis inferni, vt ex Riplæo sub Vulcano adduximus: Hic Iupiter iuuat & maturat nostrum fœtum; Qui discerptus à terrigenis seu terrenis partibus à Cerere matre, aquea substantia, cōpactis membris integer reuixit: De loco natali & parentibus satis diximus; Miracula, quæ fecit, eòdē respiciūt, quod ipse alia divisa & mortua vnire di & resuscitādi vim habeat; Amphisbænam occidit, duplici capite serpentem; Quia duplex est serpens in arte occidendus, cum alis & absq; alis: Liquores ab ipso producti; Quia ex aqua & terra totum constat compositum; Si itaq; Dionysus adultus est in terram redacta substantia, non absq; causa dicitur liquores producere: Iuvenis, barbatus, imberbis, senex, mas, fæmina est; Sic enim Azmon in turba: *Imberbis est, inquit, & est quoq; barbatissimus; Implumis, non volans, plumis ornatus quoq; est & volans, & si aquā ipsū dixeris, verū dicis, si aquā negas, non falso negasti:*

De

De Ægyptiorum traditione, qui Ammonē Saturni sororem Rheam pro conjuge habentem, Dionysi patrem & Amaltheam Nymphā matrem faciunt, dicimus, quod ipsi potius ad res quàm nomina respexerint, cum alios parentes Dionyso assignent, aliosque Osiridi, quem tamen vnum & eundem cum Dionyso statuunt: Manifestè igitur ipsi hystoriam esse negant, sed Hieroglyphicum figmentum ad res significandas inventum: Ad cornu Amaltheæ, omnis abundantiæ fontem, & hortos Hesperidum simul respiciunt; At Topicâ illa descriptione tot circumstantiarum primi inventores nihil aliud innuere voluerunt, quam Allegoriam vniversalem totius operis intelligentibus ob oculos ponere cum omnibus suis differentijs & partibus; adeò vt vix putem evidentiorem apud recentiores extare similitudinem, quâ artis totius operatio adumbretur magis, quam illâ: *Per puerum*, subiectum intelligitur; Per Nysam vrbem, vas; vbi sint Portæ Nysææ angustæ, vasis obseratio & conclusio: Regio amæna varijs arboribus, vitibus, ventis, floribus, avium cantibus, denotat omnia necessaria ad vitam & voluptatem ibidem ipsi adesse: Aristæus prudentissimus & optimus artifex præficitur operi: Pallas singularis sapientia & ingenij subtilitas vt quoq; adsit, requiritur: Quæ deinde adduntur de Saturno ex instinctu sororis Rheæ, quæ Ammonem reliquerat, adversus Dionysum bellum moventis, de nigredine Saturnina in principio operis apparente nos intelligimus; Amazones virgines bellatrices adsunt Dionyso; Lac enim virginis multum operatur et vis virginea; *Nam mater eius virgo est, & pater non concubuit:* Dionysus vincit Saturnum, quia nigredo cessat, & Titanes deditione capit; hoc est fumosas exhalationes materiæ sistit; & Deus salubris cultus est. *Dionysius*; quia saluti hominū, vt & Æsculapius natus est: Monstra domuit multa, quia ipsa materia monstrorū nomen & omen obtinet, vt antè demonstravimus, quam domat, & desertas regiones colonis replet: Nam vt Lull: Theor. test. c. 9. *In isto liquere*

Allegoria absolutissima explicatio.

quore rectificatur magnus draco, & proijcitur à magno deserto Arabiæ, quia immediatè suffocaretur præ siti, & periret in mari mortuo, &c. Verte igitur ipsum, & mitte in regnum Æthiopiæ, vnde naturaliter natiuus est: Saturnus vrbem incendit fugiens per obscuritatē noctis; quia igne nigredo noctis abigitur; non tamen violentiâ, sed humanitate tractatur, suauiter magno cum ingenio, vtpote originis patriæ; at Titanes, qui sunt sulphureæ exhalationes omnino è medio tolluntur: Quod deinde orbem terrarum peruagatus sit Dionysius, jam ante sub Osiride exposuimus; Mercurium, Herculē & Prometheum domi præfecit officijs regni; Indiam subegisse dicitur, Libyam, Iberiam seu Hispanias, quia hæc loca optimis metallis abundabant: Cobali dæmones sunt agrestes & venenosi fumi qui adsunt materiæ; Satyri, Sileni, mulieres cū cymbalis & strepitu, volutationem & agitationem materiæ significant; item motum & sonitū; Lynces, Tygres, & Pantheræ, diuersitatem colorum insinuant; Thyrsus ipsi pro sceptro, non quod vinū eo significetur, prout vulgares exponunt, Et inter cæteros quidā linguax (& absq; lingua nullus) de natione Europæ fortissima, & literis & armis nulli cedente, hæc tanto viro, si dijs placet, digna verba protulit, *Eam Thyrsigeros multos, at paucos Bacchos præbere*; Et alibi de eâdem; *O pisces, pisces*, inquit, *non est hæc aqua, in qua vos natetis, quibus magis ille ex Cithærone, quàm Helicone liquor sapit*: Quasi verò hic homuncio quicquam viderit de arcanis thyrsi, & non potiùs in superficiali cortice illorum hæserit; Quid sciuit, nisi verba suo ordine ponere Sybarita comptus sermone, & delicatus *Physignatus*, sensu rerum plebejus omnino? Cui ille genti non detraxit, vt se censorem & arbitrum latinitatis faceret? At ille ne piscis quidem, sed apuis similis, quæ ex spuma maris ortæ spumas lingunt & pascunt superficiem aquarū, non profundum petentes: Ejusmodi verborum Dædali labyrintho rationis includendi in Icaris suis, vt res ipsa conuincet aliquando talionem patientur: Staphylus dicitur Bacchi fuisse filius, cuius fili-

Delicati verborum misus delicatus coquus, vt se mundo propinat admirandum.

Bacchi filij, Staphylus.

filiam Rhio cum compressisset Apollo, illudq; Staphylus sensisset, quod esset gravida, illam in arcam inclusit,& in mare dejecit: Arca in Eubæam postmodò delata, in spelunca quadam Anium peperit, quem ita à mœrore nominavit: Hic Anius postcà é Dorippe Nympha Sperma, Oeno & Elaidem suscepit, quibus Apollo concessit, vt quoties optarent, vel vinum, vel semina, vel oleum caperent pro suorum nominum significatione: Alij Dionysum solem arbitrati sunt, vt Cererem Lunam; Sic Virgil. lib. 1. Georg: *Vos ô clarissima mundi lumina*,& Orpheus in hymnis: *Sol clarus Dionysum, quem cognomine dicunt*; Sed Poëtæ sic secundum communem vulgi captum loquuntur; si Dionysus est Osiris, vt alibi satis convincitur, & Apollo & Diana, Sol & Luna sunt, quomodo Apollo dicitur Osiridis filius, Sol Solis, vt cætera absurdissima omittamus? Verùm ex hactenus dictis omnia de Dionyso restantia, cur triennium dormiuerit, leges tulerit, tripudiorum Deus sit, in leonem versus, cornutus habitus, mortuus revixerit, ejusq; nutrices à Medea coctæ dicantur, & his similia facilè intelliguntur: Nunc ad Perseum Iovis ex Danaë filium accedemus: Acrisius Danaës pater filiam Danaën in aheneum thalamum in aula domestica subterraneum inclusit, propterea quod ex oraculo didicerat se à nepote ex filia occisum iri: Huius igitur in amorem cum Iupiter incidisset, auro similis dicitur è tholo defluxisse, quod cum illa in sinum cepisset, Iupiter quis esset, se patefecit, ac illam compressit, ex quo natus est Perseus: Hoc Horatius lib. 3. Carminum sic descripsit:

Anius.

Perseus 9. Iovis filius.

Persei ortus.

Inclusam Danaën turris ahenea
Robustaeq; fores & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium virginis abditæ
Custodem pavidum Iupiter & Venus
Risissent; fore enim tutum iter & patens

Converso

Converso in precium Deo.
Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo :

Quidam clam illam peperisse volunt, & puerum trienniũ absolvisse, priusquam Acrisius id persentiret, tum ad aram Hercei Iovis Danaën a patre fuisse adductam & interrogatam ex quo peperisset, cumque illa è Ioue diceret, minimè creditam, cæsa prius nutrice, quæ ipsi adfuisset, in arcam ligneam inclusam fuisse, & in mare dejectam. Deinde cum ad Insulam Seriphum arca applicuisset, à Dictye fratre regis, qui ibi forte piscabatur, hæc arca reti extrahitur, quem Danaë rogauit, vt arcam aperiret, quare cum ille reclusisset, didicissetq; quinam essent, domũ deduxit, & vt affinitate conjunctos apud se perhumaniter habuit. Polydectes rex deinde Danaæ vim inferre conatus est, quod cum ob *Perseũ* non posset, munus Perseo imposuit, vt ad se Medusæ caput adferret, quod Hippodamiæ filiæ in dotem dare vellet. Hic Polydectes Seriphi rex fingitur, adnepos Neptuni: Cui dum Perseus parere cogitur, ad iter sese accingit; A *Pallade* itaq; scutũ & speculũ, á Mercurio Harpen seu falcatum ensẽ, à *Plutone* perã & galeã, à Nymphis talaria seu calceos volucres mutuatus est: quibus instrumentis Perseus instructus ad Medusam, multos homines in saxa convertentem, vnam Gorgonum contendit: Gorgones autem habebant capita serpentibus implicita squamosis, dentes aprugnos, manus ferreas, & alas, quibus volabant, aureas: Hæ in extremis Iberiæ partibus ad occidentẽ ab Hesperidibus haud procul distãtes habitare dictæ sunt: Menander in libro de mysterijs Scillã etiã memorat inter Gorgones à nõnullis numeratam fuisse: Primo autem ad Græas *Perseus* profectus est, quæ erant sorores Gorgonũ, numero tres, oculum & dentẽ vnicum communẽ habẽtes, quos ab illis mutuò acceptos tam diu retinuit donec illæ Nymphas, quæ alatos calceos haberẽt, indicassẽt: Horum

Menander de mysterijs fabulosis.

rum

rum ope ad Medusam accedens, quam aversus speculo cōtemplatus, cum ipse galea Plutonis tectus conspici non posset, Pallade manum dirigente, vnico ictu obtruncavit, caputq; ejus in peram conjectum, lapidificandi virtute præditum ad Palladem gestavit; In reditu Cassiopes & Cephei, Æthiopum regis, filiam á monstro marino dilacerandam Andromedam dictam, ostenso capite Medusæ, liberavit, & in vxorem duxit: Atlantem in montem vertit, cujus Mæra fuit filia; de qua Homerus 1. Odyss.

Colit atria diva
Filia prudentis Atlantis, qui alta profundi
Omnia cognovit Pelagi:

Hic Atlas, de quo anté monuimus, dicitur imperasse Hesperijs & responsum à Themide Parnasia accepisse, futurum esse, vt à quodam Iouis filio aureis pomis spoliaretur: sic Ovid: lib. 4. Met.

Memor ille vetusta
Sortis erat: Themis hanc dederat Parnasia sortem:
Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
Arbor, & hunc prædæ titulum Ioue natus habebit.

Cum igitur Perseus abscissum caput Medusæ reportaret, & ab Atlante, vt Iovis filius, hospitio repudiaretur, huic Medusæ caput ostendit, ita inquiens:

At quoniam parvi tibi gratia nostra est,
Accipe munus, ait, lævâq; à parte Medusa
Ipse retrouersus, squalentia protulit ora,
Quantus erat, mons factus Atlas.

Postea Perseus fortè fortuna ludens disco, avum suum incognitum Acrisium disco in pede vulneravit, ex quo vulnere ille, vt fato prædictum erat, interijt. Ex sanguine autem Medusæ effuso Pegasus & Chrysaor nati singun-

finguntur; *Pegasus*, equus alatus ad *Palladem* deductus, à qua Bellerophonti Glauci filio (nepoti Sisyphi, pronepoti Æoli, abnepoti Iouis) datus est ad trucidandam Chimæram, monstrum triforme ex Typhone et Echidna natum; Hic Bellerophon, vt Theopompus lib:7. *Philippicarum* ex fabulosa traditione scribit, Chimæram insidens *Pegaso* non sagittis transfixit, sed hastâ quadam petijt, quæ plumbum haberet in summa parte collocatum, quam partem hastæ cum Bellerophon in os Chimæræ intrusisset, plumbum igne (quem efflabat ore) colliquefactum, in ventrem Chimæræ defluxit, et illi combussit omnia intestina, vnde mortua est: Bellum stratagema à Bellerophonte ex cogitatum; Quod si quis pro rei gestæ hystoria accipit, aut de qua re et quam ob causam fictum sit non percipit, plumbeus ingenio æstimari possit: Eiusdem *Pegasi* vngulâ fons Hippocrene in bicipiti *Parnasso* excitatus traditur, ex quo Musæ, Apollo, poëtæ et omnes literati bibunt et eruditiores euadunt: Sic eruditio poëtarum ex fonte *Parnassi*, hic ex vngula *Pegasi*, *Pegasus* ex cruore Medusæ, Medusa ex monstro marino progenita, à *Perseo* trucidata, *Perseus* e Ioue, Iupiter è Saturno, Saturnus è Cælo, tanquã aurea cathena dependet; Idem de Chrysaore dicendum, qui Geryonis tricorporis, puniceos boues possidentis, pater est: At quis hanc *Persei* allegoriam ex præcedentibus non agnoscat? Nihilominus pauca adijciemus: Aurea pluvia et Iupiter descendens in Danaës sinum, non auaritiam nec voluptatem auro emptam denotat, nisi secundarió, sed quia ita in artificio philosophico conuenit; Ibi enim aurum cum auro miscetur, et *ex vtroq; filius noster nascitur in aëre*, vt Riplæus por:6. habet, *ne nimium stude asperslandis carbonibus*: Et Rosar: *Conceptio*, inquit, *& desponsatio fit in putredine in fundo vasis, & generatio genitorum fit in aëre, scilicet in capite vasis, id est, alembici*: Et Senior: *Sicut videmus solem habentem duos radios super cinere mortuo pluentes, & reviuiscit, quod fuerat morti deditum, sicut mortuus post inopiam magnam: Hec est soror & hic est frater*

Fons Heliconis vnde.

eius, per quem indurauerunt & desponsauerunt subtilitate praparationis: sed postquam facta est conceptio, volare fecerunt, & fuerunt in domibus montium: Et paulò post: *Et hinc regem, quem nominavimus, expenam tibi per illum genitum, quem memorauerunt, qui gignitur in aëre, & fuit conceptus eius in terra vel inferius*: Hic Perseus postquam adoleverit, Medusam, hoc est, Materiam philosophicam figit, obtruncat, & eius sanguinem spargit, vnde Chrysaor, aureus fœtus nascitur: Hinc Arnoldus lib. 2. c. 25. Rosar: docet, quomodo noster Perseus educari & nutriri debeat, cũ inquit: *Certum namq; tempus est, quod ipsa (Danaë) habet ad impregnandum, pariendum & nutriendum, ac operandum: Vnde cum terram habueris impregnatam, expecta partum. Cum verò pepererit filium (Perseum) nutrias eum, quousq; possit tolerare omnem ignem, & tunc poteris facere proiectionem de ipso*; Hoc est, cum iam omnem ignem patitur, tum armatus est gladio Mercurij, galea Plutonis, scuto Palladis, et tunc poteris ipsum proijcere, seu mittere ad Medusam serpentigenam trucidandam: Gorgones autem, qualis et Medusa fuit, dicuntur monstrosæ serpentibus implicitis et aureis alis; Hesperidibus proximæ et Atlanti; Suntq; eiusdem generis, cum illis, et laboris superandi; Vt enim Hercules Iovis filius ad Hesperides, sic Perseus ad Gorgones ablegatus dicitur: De Perseo satis; Nunc sequeretur Hercules, Ioui ex Alcmena natus, ideoq; inter Iouiales liberos recensendus: sed quia de eo sub Hesperidum pomis et ceruа aureorum cornuum declaratis antehac egimus, et toto quinto libro de eius laboribus dicturi sumus, hic saltem eius genealogiæ lineam ostendisse sufficiat: Similiter de Iovis filijs, ex ovis more avium exclusis, Polluce et Helena ex vno, et Castore cum Clytemnestrâ ex altero, quos ille formâ cygni Lædam Tyndari Oebaliæ regis vxorem comprimens, ex eâ suscepit, de quibus fortè alibi, paucissima hic brevitatis gratiâ dicemus: Ex hoc ovo tanta Ilias malorum, tanquam ex equo Troiano, erupit; Fingatur, non fuisse, ergo

Hercules: 9. Iovis filius.

Pollux & Helena. Castor & Clytemnestra 13. Iovis filij.

ergo nec Helena, nec eius raptus, nec bellum Troianum; Nec Castor & Pollux Argonauticis interfuerunt centum annis ante Troianum bellum, licet eiusdem ætatis cum Helena fuerint, nec Clytæmnestra ab Oreste filio ex Agamemnone interfecta est; Et quis cætera omnia ex hoc ovo siue vno siue gemino exorta mala narraret? Tollatur & pomum aureum Eridos, & non erit causa rixæ inter deas, nec raptus Helenæ: Sic è pomo et ovo multa provenerunt mala vnà cum bonis: De Helena et geminis fratribus sub Troiano bello nonnulla addemus; Hic Clytæmnestram cum filio suo parùm consyderemus: Hanc Agamemnon in vxorem duxerat, qui cum Orestem ex ea suscepisset, ac ad Bellum Troianum proficisci cogeretur, Ægisthum cantorem domi reliquit; Cum quo Clytæmnestra in quodam Palladis sacello extra vrbem, occlusis ostijs, concumbens, à filio Oreste superueniente, vnà cum adultero occiditur: Orestes à cæde matris apud Areopagitas absolutus fingitur, pari vtrinq; suffragiorum numero invento; Vnde ille Mineruæ aram erexit: Póst expiatus est & lustratus aquis ex Hippocrene fonte haustis: Demùm furijs correptus, Palladis statuam ex Taurica regione, & Iphigeniam sororem recuperare, seseq; in fluvio septem rivis confuso abluere ab oraculo iussus est: Sorores habuit Iphigeniam, Electram, Chrysothemim, Laodicen & Iphionassam: Comam lugubrem, quam toto eo tempore retinuerat, in Tauris deposuit loco, quem Acen vocârunt, & tonstrinam, vbi comam totondit; Alij istud ipsum iuxta Gytheum saxum contigisse memorant, quod ociosum vocârunt, super quo vbi sedisset Orestes, fuit ab insania liberatus, idq; Palladis consilio: Electrâ sorore datâ Pyladæ in vxorem, ipse Neoptolemo Achillis cæso, Hermionem in matrimonium duxit, ex qua Tisamenum, ex Erigone Ægisthi filia Penthilum genuit, habitans Orestiæ à serpente tandem ictus diem suum obijt: Ossa deinde eius in officina fabri ærarij inuenta

Duo fratres Iovis atnepotes ducunt duas sorores Iovis filias ex ovo natas.

Agamemnonis filiæ.

inuenta sunt, quod oraculum prædixerat, ea inquirenda
Ænigma: esse, eoq; loco inuenienda, vbi venti, percutiens, repercussus et hominum pernicies simul reperirentur, quod cum Lychas de fabri officina interpretatus esset, ventos, folles; percutientem malleum, repercussum, incudem, et hominum perniciem ferrum intelligens, ossa Orestis ibi inuenta, iuxta Parcarum fanum in sepulchro Agamem-
Nota. nonis, oraculo iubente, sepulta sunt. Quo figmento ignaris nihil absurdius, intelligentibus vix quicquam venustius videtur: Agamemnon quis sit sub Troia consideravimus, hìc Clytæmnestram Iovis filiam esse patet, quamuis alij ovum illud, ex quo Castor et Clytæmnestra editi sint, Tyndari fuisse affirment; De vtroq; enim eadem veritas apparet: Novum quid esse dices, mulieres parere oua, et aues imitari: Id Ethnicis non mirum visum quia formâ cygni Lædam subagitaverat Iupiter: At nos extra allegoriam id monstrosum et mendacissimum scimus; Nec sufficit, nescio quam moralem fictionem subesse, arbitrari; Quia moralia de omnibus seu in bonam seu in malam partem fingere liceat, at naturalia genuina ijs contenta et tecta non item; Apud chymiæ artifices sæpissimè repetitur, matrem a filio devorari, occidi, in ventre eius inhumari; Nam ita reverà necesse est: *In duobus*, inquit Flamellus, *negocium hoc omne consistit, vt videlicet igne tuum sulfur penetrativum efficias & attractiuũ, quo matrem suam deuorare queat, & compleveris opus: Matrem infige ventri fætus, quem antea peperit, tum demum sibi pater erit, ac filius ex duobus spiritus perfectus*: ac ibid: *Tum fætus matrem deuorat, patremq; suum in vnico lacu suffocat, in quo simul flores, lac, fructus atq; sanguis inveniuntur.* Et in Ænigmate 6. *Super matrem prægnantem seruum rubicundum aequaliter conde; Matrem mortifica, manus eius & pedes abscindens*: Et Lull: in codicill: *Oportet matrem quæ prius generat filium, inhumari in ventre filij, & ab eo generari*: Nec solum filius matrem init et occidit, sed et patrem proprium interimit sub allegoria; Vt Oedypus Laium patrem in via sibi occurrentem et cedere nolentem, ac Iocastam

stam matrem in vxorem ducit; nec non avum, vt Perseus Acrisium: In Palladis Sacello Clytæmnestra adultera occiditur, ostijs occlusis: hoc est, vas artis obseratur: Orestes absoluitur pari suffragiorum numero; Pondera enim geometricè æquata esse oportet: Hinc Minervæ, sapientiæ deæ aram erexit: Aquis lustratus dicitur ex Hippocrene, quia ille Pegasius fons huic negocio convenit: Nam Pegasus ex Medusæ sanguine ortus habetur: *Quæ* de statua *Palladis*, & lotione ejus in septem rivis narrantur, allegorica sunt & huc spectant: De Palladio inferius dicitur: *De* lotione sic Clangor: *Et ita sunt in summa septem decoctiones, scilicet quatuor ante vivificationem, id est fermentationem, & postea tres, quæ designantur per septem assaturas, vt etiam dicit Philosophus: Æs nostrum corpus habet hydropicum, vt Naaman Syrus leprosum, propter quod quærit lavacrum regenerationis septies in Iordane, vt ab innatis passionibus & corruptionibus emendetur*: Sorores ejus, inter quas Chrysothemis, sunt partes aquosæ; Comam alit, quia nihil separari convenit: posteá comam tondere sinit juxta Acen vel Saxum; ac deinde ociū est à laboribus: De ossibus Orestis inventis in officina ærarij fabri credibile est; quia sic in Allegoria Merlini dicitur, quod etiam regis crines & vngues mirabilia faciant in ejusmodi officinis: Verisimile est adhuc ab artificibus nonnulla relicta per mundum errare opera, & fabrorum officinis interdum inveniri, licet non agnoscantur; Porró ex Europa Agenoris Phœnicum regis filia, Cadmi sorore formâ tauri, à Iove compressâ nati dicuntur Minos & Rhadamantus; item Carneus: Cadmi Allegoriam iam ante attigimus, quomodo ille Europam quærens Thebas condiderit Bæotiæ civitatem, ibiq; consederit: Europa autem cum alijs puellis exspaciata traditur; quæ cum taurum miræ pulchritudinis (in quem se Iupiter mutaverat) attrectaret ineq; ejus tergum conscenderet à Iove in Cretam deportata, ibiq; rursum pristinâ formâ ab eo gravida facta est, quæ peperit Minoa & Rhadamantum: Minos Pasiphaën filiam Solis, *Minos & Rhadamantus: Carneus; 6. Iovis filij.*

Æëtæ regis ſororem in vxorem duxit, vt par pari gauderet, nempè filius Iovis, filiâ Solis, ex qua genuit Ariadnam & Minotaurum, qui Labyrintho à Dædalo facto inclusus à Theſeo Ariadnæ operâ trucidatur: Poſſet fieri vt his perſonis aliquid hyſtoriæ ſubeſſet, provt de veſtigijs Labyrinthi Cretici adhuc extantibus narrant, quamvis Diodorus dicat ſuo tempore Creticum intercidiſſe & Ægyptium Labyrinthum longè eo antiquiorem duraſſe; De reliquis, quæ ad Minois & Rhadamanti fabulas ſpectant, deq; judicio eorum apud inferos incorrupto, cum plæraq; à Poëtis ſequentis ævi afficta ſint, hic non dicemus: Ex Antiope filia Nyctei, vel vt alij ſentiunt, Aſopi Iupiter Amphionem & Zetum genuit: Amphion à Mercurio magiſtro lyram tractare didicit, cantuq; feras & ſaxa movit, vt Orpheus Calliopes filius; Fratres hi duo Thebas dicuntur condidiſſe ac muris & turribus munijſſe: Fabulati ſunt igitur ſaxa ſua ſponte aſſilijſſe, murumq; extructum fuiſſe, dum Amphion lyram ſuaviter pulſaret, vt ait Horatius in arte Poëtica:

Amphion & Zetus 18. Iovis filij.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet:

Idem referunt de Trojanis muris ab Apolline extructis; & de Orphei vatis muſica, quâ ille navem Argô rexit, & feras & ſaxa attraxit: Sed hæc Hyperbolica eſſe nemo non videt quocunq; modo interpretetur, ſive de communi Poëſi, ejuſq; dulcedine & efficacia, ſive de rebus ſub eâ contentis: Amphion primus aram Mercurio, quod ab eo lyram accepiſſet, dicavit: Pauſanias in poſterioribus Eliacis exiſtimat Amphionem & Orpheum fuiſſe Ægyptios & magorum ſcientiâ excelluiſſe: quod tamen non eſt credibile; quia Græcos hos fuiſſe & ad Græcos Ægyptiorum ſcientiam tranſtuliſſe ex omnibus authoribus & circumſtantijs convincitur. De hactenus enumeratis miraculoſis

culosis, ne dicam monstrosis, Iovis Ethnicorum Dei, majoris familiæ crediti propter adulteria transmutationibus sequens distichon habetur.

Fit Taurus, Cygnus, Satyrusq; aurumq; ob amorem
Europæ, Ledes, Antiope, Danaës:

Quibus non minus monstrosum ortum Palicorum fratrũ addimus, qui Iovi ex Thalia nati dicuntur: Quæ cum se gravidam è Iove cognovisset, verita Iunonis indignationem optavit sub terram occultari; at partûs tempore terrâ reclusa cum Thalia tam diu latuisset, duo pueri non procul à Catanis in Sicilia proruperunt. Quæ licet fabulosa sint, tamen apud superstitiosos Ethnicos hystoriæ fidem impetrârunt: Deniq; ex Cerere Proserpinam Iupiter genuisse fertur; Præter jam dictos idem nnmerosam sobolem ex varijs Nymphis Calisto, Niobe, Laodamia, Taygete, Savona, Protogenia alijsq; pellicibus suscepit; ita vt nullum relinquatur dubium, si filijs Iovis, nepotibus ac pronepotibus Neptuni progenies adnumeretur, nec non ventorum, fluviorum, montium, Oceani, Ponti & aliorum marium, ex his tanquam progenitoribus omnes deos, deas, heroas, heroinas seu semideos & semideas ex aurea Cathena velut pendentes & descendentes deduci & propagari posse: Atq; hæc hactenus pro exemplis demonstrata, de reliquis simile judicium manifestantia, nobis hoc loco sufficiant.

Palici fratres 20. Iovis filij.

Proserpina, 21. Iovis filia.

Ceres a Geres Hebræa deducitur à quibusdam.

Finis Libri Tertii.



Liber Quartus.

DE GRAECIAE Feſtis ac Sacris, nec non

certaminibus & Ludis pro memoria artificij Philoſophici inſtitutis *& ſolenniter celebratis.*



VM memoria hominum adeó labilis ac mens ita imbecilla ſit, vt niſi objecto quodam in ſenſus incurrente ſæpe moveatur, facilé prætteritorum aut non viſibilium oblivione ducatur, hinc in arduis & magnis rebus nunquam ex animo deponendis á ſapientiſſimis viris, tàm inter Ethnicos, quàm Iſraëlitas, Deo electum populum, ſenſibilia quædam ſolennia inſtituta, quorum conſyderatione ad corũ, quæ anté acta & celebrata, vel aliàs arcana habentur non manifeſtanda, recordationem quilibet non ignavus excitetur, vt Deo Opt: Max: á quo vno omnia bona perfecta deſcendunt, pro ſuis donis ſempiternas agat gratias: Hoc fine, juſſu ipſius IEHOVAH, Moſes memorabilia quædam feſta populo Iſraëlitico obſervanda inſtituit, nempè ſeptimi cujuſq; diei feriationem & ab omni opere ceſſationem, in memoriam creationis Cœli & Terræ, ijſq; contento-

Feſtum creationis Septimo quoq; die.

tentorum, sex dierum spacio peractæ; Quia septimo die Creator à Creatione quieverit & cessaverit; *Præterea Pascha*, in angeli Dei percutientis Aegyptiorum primogenitos & parcentis illis, quorum postes sanguine agni immaculati notati erant, memoriam; *Pentecosten*, in legis divinæ in monte Sinai ab ipso Deo promulgatæ, ac festum Tabernaculorum, in quadraginta annorum per desertum peregrinationis, recordationem: Eâdem intentione (illis tamen piè, vt decet, his politicè acceptis) in rebus publicis benè constitutis statuæ & imagines eorum, qui suæ genti magnam vtilitatem aut ab hostibus liberationem, aliavè commoda præstiterant, positæ, & semper seruatæ sunt: Hæc enim est quasi memoria artificialis constans imaginibus & locis, rerum seu personarum memorabilia facta cuicunq; non ignaro repræsentans, quemadmodum eiusmodi monumenta olim apud Græcos, Romanos, aliasq; gentes in vsu fuerunt, & adhuc passim habentur: Sic apud Aegyptios cum ex terrestribus bonis summum, ex Dei benignissimi largitoris indulgentia, quibusdam acutissimis ingenijs, vt Hermeti Trismegisto & alijs contigisset, ne eius oblivio ad posteros promanaret, sed vt Deo gratiæ quocunq; modo redderentur, institutæ sunt quædam ceremoniæ & solennitates singulari pompâ, ad rem, in cuius memoriam fierent, maximè accommodatæ: Huiusmodi fuerunt, Apis, Aegyptij bovis certis coloribus distincti, electio, consecratio, nutritio & cultus in Vulcani templo ipsi adhibitus, in aquam submersio, sepelitio, noviq; rursum electio; item festa Osiridis, Cereris, Adonidis & alia his similia, de quibus iam antè partim meminimus, partim inposterum dicturi sumus: A sacerdotibus hæc primitùs bono fine instituta esse non est dubium, cùm aliter de arcanis illis agi non liceret: Verùm quomodò deinde ab ignaro vulgo in abusum tracta sint, inq; idololatriam horrendam commutata, ab ipsa experientia patuit: Præter hæc festa, Aegyptij adhuc duos arcana sua occultè tradendi modos habuerunt, de quibus iam

Pascha.

Pentecostes.

Tabernaculorum.

Aegyptiorum festa prò memoria.

iam antè, nempe vnum, qui menti, alterum qui oculis inseruiret; Qui menti, Allegorijs deorum, dearum, heroumq; facta et res admirandas continentibus, constitit; De quibus hactenus satis copiosè egimus, præsertim secundo & tertio huius tractatûs libris; Qui oculis, Hieroglyphicis animalium aliarumq; rerum figuris, pictis, sculptisq; loco literarum et scripturæ vsurpatis; De quibus quoq; primo libro tractavimus: Atq; hæc tria, nempe sacrorum celebratio, allegoriarum narratio et hieroglyphicorum adumbratio, adeo in arcanis à sacerdotibus conscijs retenta sunt, ne vlli ex vulgo aut non initiatis innotuerint, sed omnibus alijs, exceptis philosophis sacerdotum filijs, incognita manserint: Causæ harum rerum occultationis, iam anteà nobis, & ab alijs prolixius, expositæ sunt, ne opus sit eas repetere: Hæc itaq; tria, vt vulgo minimè explorata, cum à sacerdotibus passim pro sacris haberentur, & silentio inuoluerentur, indies magis atq; magis pro rebus divinis coli ceperunt, de quibus nefas esset inquirere, quid significarent, aut cur & à quibus introducta essent: Hic est vnus et tergeminus fons multorum abusuum, errorum et superstitionum ab Ægyptijs postea ad alias quoq; gentes mundi translatarum; Vt autem hactenus de dijs deabusq; nec non heroibus, eorumq; origine et cultu egimus, pro instituti nostri ratione, ita nunc de festis, ludis, solennitatibus et certaminibus in earundem rerum gratiam institutis breviter hoc libro tractabimus.

Allegoria menti, Hieroglyphica oculis seruiunt ad reminiscendum sub ijs intellecta.

Lucianus (qui irrisor ethnicæ idololatriæ extitit) dialogo de astrol. *Orpheus,* inquit, *Calliopes & Oeagri filius prior omnibus Bacchi sacra in Græciam introduxit, primusq; in monte Bœotiæ Thebis, sacra illa, quæ* Orphica *vocata fuerunt, instituit:* Quod cum etiam ab alijs tradatur, de eo nullum est dubium: Cur veró hæc instituerit, et quomodo celebranda fuerint, disquirendum venit: Ab Ægyptijs ea sacra desumpta constat, qui in honorem Osiridis tertio quoq; anno solennia peragebant, ideo quod dicerent, Osiridem seu Dionysum tertio demum anno ab Indica navigatione reversum esse, propterea *Trieterica* dicta:

Bacchi sacra. Orphica.

Trieterica.

Cum

Cùm verò omnia allegorica ſint, quæ de peregrinatione Oſiridis in Indiam, reliquaſq; mundi partes, vt homines colendorum agrorum ac ſerendæ vitis rationem, multaq; alia vtilia inuenta doceret, ſuſceptâ dicuntur, ita et illud, quod inde originem ducit,aut ob eius peregrinationis memoriam inſtitutū feſtum traditur, non niſi allegoricum cenſendum erit: Si enim in verâ Dei polytia, apud Iſraelitas à veriſſimis cauſis, vt antè dictum, profecta ſacra celebrata ſunt, quæ facta præterita in memoriam reuocarent, & facienda ſeu futura allegoricè de Christo adumbrarent, idem ſuo modo apud Ethnicos fieri potuit, vt illi allegoriam ſuis feſtis ineſſe intelligerent: At differentia in his et illis toto cælo,quod aiunt, patet: Illa à vero,æterno et vno Deo,in eius honorem ordinata ſunt, tum vt præterita,ceu reverà facta eſſent, tum vt futura, ceu ſub figura ſecutura, repræſentarent: Hæc ab hominibus ſolis profecta,ingenij ſagacitate extuſa videntur, vt rei tanquam ita factæ, vel ſub allegoria creditæ monumenta et muta ſymbola extarent; Vtq; Moſes illa ab ipſo Deo, Veritatis fonte, accepit & Iſraëlitico populo eius iuſſu obſeruanda promulgavit, ita Orpheus hæc ab Aegyptijs ſacerdotibus omnis vanitatis ſuperſtitioſæ authoribus ad Græcos tranſtulit: Illa ad finem ſalutis æternæ; Hæc, temporalis: Vtraq; tamen ad Creatoris Dei, et omnium bonorum datoris gloriam: Illa à vera Dei Eccleſia et Veteris et novi fæderis recepta ſunt,hæc ab infidelium turba, et reliqua mundi parte: Sed illis hoc loco miſſis, et ſaltem commemoratis, (cum credibile ſit, hunc ritum feſta et ſacra inſtituendi, ab Iſraëlitis cacozyliâ quadam deſumptum et ad ethnicos tranſlatum eſſe) de his,vt pote mundanis,hominum inuentis,dicemus: Quid per peregrinationem Dionyſi aut Oſiridis intellectum ſit, ſatis primo libro ſub Oſiride, et tertio ſub Dionyſo, declaravimus: Quantum verò temporis ille in peregrinatione Indicâ conſumpſiſſe dicitur,tantundem Apis,bos Aegyptius, viuere permittebatur ac pòſt in fontem mergebatur; Sic fabulati ſunt ad idem exprimendum Dionyſum

Differentia feſtorum Eccleſiæ & gentium.

Gentes in multis Iſraelitas imitari voluerunt vt diabolus Deum.

Dionysum triennium apud Proserpinam dormivisse, deinde excitatum choreis indulsisse cum Nymphis, vt ait Orpheus in hymno.

Dionysus cũ Sol sit, terrestris dicitur.

Terrestrem canimus Dionysum & numina Bacchi,
Cum Nymphis experrectum, quibus est coma pulchra,
Qui prope Persephonem sacris penetralibus olim
Dormivit Bacchi tempus tres segniter annos,
Vt tribus exactis convivia læta novantur,
Ille suis repetit mox cum nutricibus hymnum:

Orgia. A quibus Orgia prohibita.

Dicebantur quoq; hæc sacra ab Orpheo instituta communiter Orgia; in quibus tandem tantus abusus nocturnis conventionibus bacchantium adhibitus est, vt Lycurgus Thraciæ rex, Diagondas Thebanus, & alij quamplurimi omnia nocturna sacrificia propter eorum turpitudines perpetua lege sustulerint: Miracula his diebus, quibus celebrabantur, contingere dicebantur; cum enim in templo per noctem lagenæ vacuæ deponerentur, sequenti die optimo vino plenæ reperiebantur; quod dolo sacerdotum, vt credulæ & superstitiosæ plebeculæ imponerent, (vt de Baalitis constat) qui per clandestinos aditus accedentes illas repleverunt, accidisse notius est, quàm vt demonstrari debeat: Agebantur autem illa sacra à mulieribus ideò, quód illas habuisset socias in Indica expeditione: Ab ijsdem Phallus, hoc est, membri virilis species spectabilis magnitudinis cum pompâ præferebatur: Idq; in Osiridis memoriam, quicum á Titanibus membratim concisus esset, ac pudenda in fluvium projecta, ab Osiride, Titanibus captis, ejus membra recollecta & composita dicuntur, excepto membro virili, quod reperiri non potuit: quod autem alij addunt, ideo imperatum esse, vt hoc membrum, formâ Phalli, pro Deo coleretur, rationi absurdissimum est: Verùm hæc sacra cum Eleusiniis ejusdem intentionis apud Ægyptios fuisse videbimus; in quibus quoq; Phalli gestatio solennis erat: Virgines in Trietericis Canistros

Falsi Dij falsis miraculis, verus Deus veris innotescat.

niſtros aureos geſtantes & pueri ex Dionyſi templo in Palladis ſacellum iverunt; quo ſatis indicatum eſt, aliam eſſe cauſam hujus celebrationis, quàm vulgo innotuit; nempè Dionyſum cum Pallade ſapientiæ dea ſummam communitatem habere; non quaſi denotare voluerint, in Baccho ſapientiam eſſe, vt in vino veritatem; *Quid enim non ebrietas deſignat, operta recludit, &c.* Et quamvis verum ſit, quod Poëta canit non inelegans,

Tollit humo ingenium Bacchus, mentem erigit altam,
Pegaſeâq; velut vehit alâ:

Iun. in Emblem.

Non tamen hinc conſtare arbitror vt idem præcinit,
Vviferum Bromium, volucrem ſed præpete penna.

Ideo Amyclæos potuiſſe; niſi fortè per accidens: Bacchus enim alatus fingitur, propter volatilitatem, cornutus, propter Lunæ cornua, taurino capite, quia huic, vt Oſiridi, Apis ſacer; ſic mas & fœmina, juvenis & ſenex, barbatus & imberbis; de quibus proprietatibus antè ſub Dionyſo diximus: Fœminæ præficiuntur Bacchades his ſacris; quia illæ comitatæ erant Dionyſum, cum peregrinaretur; Per fœminas autem vis patiens, quæ in ſubjecto Philoſophico primò dominatur, intelligitur & per phallum, vis illa ſulfurea artificio quodam ſpolianda, à qua agendi initiũ proceſſit: Sic Oſiris noſter aut Dionyſus ab Iſide ſeu Cerere matre iterum componendus eſt, abſq; tamen partibus virilibus, ſeu terra nigra: Sic Iohannes de Padua tradit regẽ noſtrum capiendum & in partes minutiſſimas dividendũ, igne & aqua lavandum, rejectis fæcibus & ſuperfluitatibus, tum demum iterum componendum, & juvenem fortioremq; quàm prius, reſurrecturum eſſe: Idem habet Merlini allegoria, & alterius de Duenech principe, & hujuſmodi aliæ: Virgines aderant cum caniſtris aureis primitias Deo offerentes, quia aureus Deus erat; & in Palladis ſacellum contendebant, ob myſticam quandam cauſam,

quia in Dionysi peregrinatione totius operis perfectio habetur, qua ille primó ad nigros Æthiopes, & vltimò ad mare rubrum accessit; Hæc non absq; Palladis artificio cōtingebant; ideoq; Palladis sacellum eius templo correspondebat: De abusibus, qui his festis intervenerunt, omni tempore non solum in Græcia, sed etiã apud Romanos, & pene per totum orbem, multa narrari possent, sed quia illi fortuiti fuerint & non de rei essentia, á nobis meritò negliguntur: Cum verò à vulgo hujus festi celebratio, vtpote tripudijs, choreis, potationibus & vociferationibus plena & libera, vltrò acciperetur, huic deo lætitiæ datori, alia quoq; sacra diversis temporibus & locis peragenda dicata sunt: A Pegaso enim Eleutheriensi ad Athenienses

Oscophoria. à Thebanis delata dicuntur, ipsis Oschophoria appellata, vt ait Pausanias in Atticis; in quibus consuetudo erat, vt ait enarrator Nicandri, vt pueri pampinos manibus gestãtes tributim é sacro Dionysi templo in sacellum Palladis Scirrhadis cum precibus decurrerent. Hæc eadē vocaban-

Dionysia, tur Dionysia simplici nomine cum agerentur in agris sin-

Lenæa. gulis nempe annis: Lenæa quoq; Athenis colebantur ineunte vere, quo tēpore vina de fæce eximebantur, tributaq; ferebantur ab externis; quod certamen erat bibentium plærunq; Bacchū lætitiæ authorē canentiū: Ibidem & Phalli-

Phallica. ca instituta narrantur, quibus lignea virilia thyrsis alligãtes gestabant: Quin & Canephoria in honorē Dionysij Athe-

Canephoria. nis agebantur, in quibus virgines agiles (vt Demaratus refert in certaminibus Dionysiacis) quæ ad pubertatem accederent, tum primum in canistros ferebant, qui canistri erant ex puro auro in quibus erant fructuū omniū primitiæ impositæ, eaq; celebrabantur sub finē mensis Aprilis: Apaturia

Apaturia. in Octobri quatuor diebus habebantur: Et Ambrosia in

Ambrosia. Ianuario, quo tempore vina in vrbem importari essent solita, quæ postea á Romanis quoq; culta sunt, Brumalia di-

Brumalia, cta, cum Brumus Bacchus sit: Ascolia item Athenis fiebant,

Ascolia. quibus super vtres inflatos humi depositos altero pede saltabant: Proponebantur autem præmia illis, qui sapienti-

us

us super vtres saltarent, qui mos quoq; ad Romanos translatus est, vt cum Virgil. lib. 2. Georg describit: Nam hircus, ex cujus pelle vtres erant, quia vitibus nocet, cædebatur Baccho: Herodotus in Euterpe commemorat Aegyptios suem Dionysio jugulare in solennitate Dorpia dicta his verbis: *Dionysio die solennitatis Dorpia, suem ante fores singuli iugulantes reddunt subulco illi, qui attulerat ipsum suem atq; aliam solennitatem sine suibus in honorem Dionysi agunt Aegyptij eodem prope ritu, quo Græci, at pro Phallis res alias illi excogitârunt, imagines scilicet cubiti magnitudinis, quas circumferunt mulieres per agros cum virile membrum reliquo corpore non multo minus nutet: Præcedit autem tibia atq; illæ Dionysum cantantes sequuntur:* Quæ omnia licet in honorem Osiridis seu Dionysi, qui ex aurea genealogia præcipuus est, primó instituta sint eo fine vt recensuimus, ne memoria periret summi arcani à deo concessi, ac interim Dionysius vulgari interpretatione pro vino ejusq; inventore haberetur, tot & tam varia festa in diversis locis instituta inveniuntur, quæ tamen minimum arcani principalis participent; Quemadmodum videmus per abusum ejusmodi facilimè accidere, vt in Christiano orbe multis in locis Martinalia in Novembri, Bacchanalia diebus tempus quadragesimale præcedentibus, alibi ferijs post nativitatē quasi Saturnalia, relictis vestigijs, ex alia tamen causâ, vulgo adhuc celebrari; idq; ideó, quia vt Comicus ait, *ingenium est omnium hominum à labore procliue ad libidinem vel luxuriam*: Idem statuendum est de Aegyptiorum posteriorū festis & sacris, qui antiquitatis causas eorumq; institutionis maxima ex parte ignorârunt, & signa pro signatis, animalia, hominū imagines & bruta pro dijs coluerunt, eo usq; donec allium, cæpas, & ferè omnia tam inutilia & noxia, quàm vtilia, in classes deorum reduxerint; Vnde Poëta in eos non immerito jocatur, dum inquit:

Dorpia.

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina: Lucanus.

De Græcis quoq; & Romanis hoc locum invenit; Nam

vt illi ab Ægyptijs, sic hi à Græcis & Ægyptijs, quicquid apud vtrosq; fuit numinum, receperunt: Hinc Lucanus l. 7. de Ægypto sic dicit:

Nos in Templa tuam Romana accepimus Isim,
Semideosq; canes & sistra iubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim:

Et Lactantius lib. 1. instit: *Romani*, inquit, *Pro Dijs habuerunt sua mala, scilicet rubiginem, pallorem & febrem*: Vnde, sicut patet ex Fastis Ovidij, festum rubiginis fuit circa finem Aprilis, videlicet 6. Cal. Maij, tum coluerunt eam, sicut dicit Ovidius, ne læderet segetes nec instrumenta rustica; Et isto modo coluerunt febrẽ, ne vexaret eos: Ita enim Valerius lib. 2. dicit: *Et cæteros quidem ad benefaciendũ venerabantur, febrem autem ad minus nocendum*: Idemq; describit loca, vbi erant tria Templa Febris: Præterea proprium Romani Deum coluerunt Romulũ, quẽ Quirinum vocabant; quem cũ Febre, rubigine, alijsq; ejusmodi ab alijs non receperunt, sed propria industria sibi invenerant; Martem verò, Iovem, Saturnum, Mercurium, Apollinem & Æsculapium cum magno numero aliorum vel à Græcis, vel Ægyptijs mutuati erant: De occasione & modo adductionis Aesculapij Romam ex Epidaurio præclarum extat exemplum, quod vt inde propagatio reliquorũ gentiliũ deorum æstimari possit, huc adducemus: Meminit hujus Aesculapij Romam adducti Sanctus Augustinus *lib. 3. De Civit. Dei, cap. 12. Aesculapius*, inquit, *ab Epidauro abivit Romam, vt peritissimus medicus in vrbe nobilissima artem gloriosius exerceret: Mater autem deorum nescio vnde nata Prænestinum montem insedit; Indignum enim erat, vt cum eius filius colli Capitolino præsideret, adhuc ipsa in loco ignobili latitaret: Quæ tamen si omnium deorum mater est, non est secuta solum Romã quosdam filios suos, verùm & alios præcessit etiam secuturos: Miror sanè si ipsa peperit Cynocephalum, quæ longè postea venit ex Aegypto: Vtrum etiam dea Febris ex illa* nata

Ex Rhea tanquam matre omnes dij nati finguntur. Cynocephalus prout est Mercurius nepos fingitur Rhea.

nata sit, viderit Aesculapius pronepos eius: Hæc ille: Est autem Epidaurus, secundum Eutropium, civitas quæ modo vocatur Dyrrachium; quia verò Roma major fuit vrbs, quam Epidaurus, ideo Augustinus ironicè dicit Aesculapiũ migrasse Romam: De cuius advectione Livius *lib.* 10. de vrbis origine, circa finem; quod cum Roma, inquit, gravi pestilentia laboraret, quæ tanta fuit, vt licet annus ille, scilicet 455. ab V.C. in multis lætus esset, tamen vix ad vnius mali suffecit solatium, pestilentiæ scilicet vrbem vrentis, tàm quo ad hominem, quam etiam quò ad agros: Igitur consuluerunt libros Sibillæ de remedio & inventum est, quod Æsculapius de Epidauro Romam afferendus esset: Idem etiam narrat Orosius *lib.* 3. Et Livius, *lib.* 11. & Valerius lib. 1. testantur, quod tribus annis continuis vrbs afflicta fuit gravi pestilentia: Missi ergo sunt pro remedio legati ad accersendum de Epidauro Aesculapium: quò venientes ab Epidaurijs ducti sunt in templum Æsculapij, quod quinq; millibus passuũ ab Epidauro distabat; & ecce serpens, qui quandoq; licet raró, ab Epidaurijs visus fuerat, nunquã tamen sine bono ipsorum, propter quod etiam in modum Æsculapij veneratus, per partes vrbis clarissimas levi tractu repere cepit, triduoq; conspectus est, haud dubiam ante se appetitæ clarioris sedis alacritatem ferens, deinde ad navẽ Romanam perrexit ac navem conscendit, vbi vnius legati tabernaculum erat, ibiq; quievit: Cum verò navigando Ancium pervenissent, Serpens, qui vbiq; in navigio remanserat, ad terram dilapsus est; Aedem Aesculapij, quæ propè erat, intravit, & ibi tribus diebus remansit, dato sibi cibo: postmodum verò ad navem reversus se Romam advehendum præbuit, ibi in ripam Tiberis egressus in Insulam, vbi templum dicatum fuit Aesculapio, transnatavit, & cessavit pestilentia à Romanis: Idem narrat Ovidius, Lib. 15. Metam: Quis sit Aesculapius, & cur Serpens illi attribuatur, secundum primam originẽ, superius exposuimus; Qui verò deinde abusus ex ignoran-

Legatio à Romanis Epidaurum instituta ad adducendum Æsculapium.

tiâ veritatis & superstitiosâ religione accesserint, ij cum principijs minimè conueniunt: Quod quoq; diabolus, qui mirus est artifex & ex re pro sui cultu capere consilium potuit, huic serpenti seu Æsculapio credito, vt etiam Oraculis Apollinis, Iovis & alijs eiusmodi, sese accommodàrit, ex omnibus circumstantijs conspicitur; Cumq; Ethnici malorum & bonorum dæmonum differentiam non agnoscerent, ab illis in pessimas idololatrias falsis miraculis, et dæmonum astu coniecti sunt, vnde sese humanis viribus eripere non potuerunt, donec Siloh ille, Virginis filius, omnipotens Heros, accederet, et faucibus diaboli in sese credentes extractos á morte æternâ liberaret: De bacchanalibus, & Libero deo, Augustin: lib.6.de ciu: Dei, cap: 9. meminit; *Liberum, inquit, à liberamento appellare volunt, quod mares in coëundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur, hoc idem dicunt in fæminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod & ipsas perhibeant semina emittere & ob hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, fæmineam Libera, & ob hoc addunt, mulieres attributas Libero & vinum propter libidinem concitandam: Sic Bacchanalia summâ celebrantur insaniâ: Vbi Varro ipse confitetur à Bacchantibus talia fieri non potuisse, nisi mente commotâ: Hæc tamen postea displicuerunt senatui saniori, & ea iussit auferri: Saltem hic tandem forsitan senserunt, quid immundi spiritus, dum pro dijs habentur, in hominum possint mentibus*: Hæc ille: Titus Livius, præter causam dictam Bacchanaliorum prohibitionis, lib: 8. de bello Macedonico, aliam addit: Dicit enim quod de Græcia quidam venerat, qui dicebat, se velle docere nouum ritum colendi Bacchum; Hic autem in principio fecit bacchanalia ab honestissimis matronis de die celebrari; Processu verò temporis continuatum est negocium cum nocte; & tandem de nocte fiebat totum; Vnde tunc ceperunt tam viri quam mulieres in magno numero confluere ad locum quendam, vbi celebrantur festa & sacra ista; Commissaq; sunt infinita facinora virorum,

Diabolus in serpentis forma se pro Æsculapio adorandum præbet.

Augusti tempore natus, quo Delphicus dæmon obmutuit.

Liber vnde dictus putetur.

Bacchanalia sublata à saniore senatu Romæ.

virorum, puerorum ac mulierum & venientes ad locum, qui nolebant eis assentire, occidebantur & occultabantur; Tandem per quandam Hispanicam ancillam cuiusdam matronæ Romanæ, quæ dominam suam illuc fuerat secuta, postquam sibi displicuerant ea quæ videbat, iuveni cuidam revelata sunt, & sic res peruenit ad notitiam Consulis, qui diligenti inquisitione præhabitâ, omnes reos inuentos, qui appræhendi poterant, de assensu senatus, fecit occidi; Quorum erant virorum ac mulierum multa millia: Prohibita ergo sunt deinceps Bacchanalia celebrari, & inhibitum, ne quis novum ritum absque senatus assensu in vrbem introduceret: Eivs quoque meminit Valerius lib: 6 cap.3. dicitque id factum Spurio Posthumo Albino & Quinto Marco Philippo consulibus: Ex quibus liquidè patet principium huius festi celebrationis ab honestioribus causis ortum, deinde in abusum cessisse: Arcanissimæ autem & interiores causæ solis primis authoribus notæ præ vulgo occultatæ fuerunt; De Orpheo, qui huius festi vt & aliorum arcanorum ad Græcos ab Ægyptijs translatorum primus author statuitur, alij narrant, quod fulmine ictus conciderit, quia arcana initiorum profanis & rudibus diuvlgasset; idque, vt ipsi tradunt, si verum est, non solum secretorum manifestatorum, sed & horrendæ Idololatriæ inde subsequentis per totum orbem causa existens pænas Deo Opt: Max: non immerito dedit: Alij eius morti fabulam affingunt, dum dicunt, illum, cum ad Inferos descendisset, vt Eurydicen secum abduceret, ibi deorum omnium laudes cecinisse, prætérquam Liberi patris, quem per oblivionem prætermisit: Quare iratus Dionysus furorem suis Bacchis immisit, à quibus apud Hebrum fluvium fuit discerptus, membraq; eius per agros sparsa, vt à canibus vorarentur; Tamen à Musis dicuntur collecta & in Dio Macedoniæ loco sepulta, quia super cæteros Apollinem laudibus.

De Orphei obitu.

Allegoria Orphei morti affícta.

laudibus mirificis exornasset. Quæ ab æmulis poëtis post Orphei mortem sparsa esse verisimile est, cum prior eius obitus magis hystoriæ conueniat: Eiusdem institutionis

2. & originis est aliud festum in honorem Cereris & Proserpinæ apud Athenienses celebratum; In quo cum matronæ initiarentur, quæ perpetuam & incorruptam pudicitiam seruare decrevissent, ideoq; coronis viticeis ornarentur, vinum adhibere non licebat; Quod cum, vt cætera, à Græcis ad Romanos translatum sit, magnum Cereris anniuersarium habebatur, & à lugentibus fieri nefas erat: Hinc Plautus in Aulular: Cereri nuptias facturi estis, quia nihil temeri allatum video. Thesmophoria dicebantur hæc solennia Græcis, á Triptolemo primum pro accepto serendi munere ac frugibus in Eleusio oppido instituta: Cum enim Ceres per orbem terrarum filiam Proserpinam á Plutone sub inferos raptam quærens vagaretur, ad oppidum Eleusium, eiusq; principem eiusdem nominis pervenit; Cuius vxor Hyona, quæ Triptolemum iam pepererat, nutricem desyderans Cererem sese offerentem pro nutrice accepit: Hæc puerum divino lacte nutritum noctu clam sub igne occultabat, cumq; egregiè nutriretur per noctem, pater obseruans quo pacto id fieret, re visâ exclamavit; Quare irata Ceres Eleusium exanimavit, ac Triptolemo currum á draconibus tractum dedit vt vniversos mortales sationem frugum doceret, sicut testatur Callimachus in hymno in Cererem: Hæc vel primo aspectu arcanissima Chymica esse quis non videt? Triptolemus enim sub igne nutritus (vt Achilles á matre Thetide) à nutrice Cerere est noster ille fœtus philosophicus, qui tam diu sub igne occultatur et igne, quasi lacte, nutritur, donec omnem flammæ violentiam pati possit: Et sanè nisi aliud signum adesset, hæc fabulosa esse de Chymiæ subiecto effícta, hoc sufficeret; Quia soli & vni veræ Chymiæ proprium est, nec alteri scientiæ aut arti conuenit: Quis enim vnquam vel hystoricé vel allegoricé scriptum reperijt, homines, eosq; infantes sub carbonibus vivis occultari solitos esse? Quis

Festa Cereris & Proserpinæ.

Thesmophoria.

Hieroglyphicum signum. Nota.

Quis salamandram, animal in igne vivens, siue pyraustam veram vidit, nisi in operibus chymicis? Prodeant ex terra *Palici* fratres, ex mari Venus, ex alijs elementis alij monstrosi fœtus, vix quicquam vivens ex igne, nisi salamandra philosophica, ac *Phœnix* ex cineribus ab igne relictis, prodire poterit: Duo sunt igni inuicta, aurum & vitrum, cætera tandem illi succumbunt: quibus tertium addi licet; *Phœnici* nempe & nido eius, seminium, ex quo renascitur ille, qui est cinis redivivus ex mortuo: superfluum autem fore opinor, pluribus demonstrare, in Chymia quasi infantem igne nutriri & adolescere, cum id vbiq; ferè occurrat: Verum ex vno et altero authore paucissimis adductis hic erimus contenti: Arnold: rosar: l.2.c.25. *Cum verò peperit, filium, inquit, nutrias eum, quousq; possit tolerare omnem ignem*: Et Lull: theor: test: c: 29. *Fili impragna igitur corpus ab igne, & multiplica suam combustionem, & fortem habebis tincturam*: & Ibid: *Fac igitur dealbari terram tuam, & nutri eam, si vis, quod filius patris subueniat tibi in necessitatibus*: Item cap. 57. *Humiditas metallorum est fixa & permanens in igne: Ideo tali aqua fixamus aviculas in aëre volantes virtute Lapidis nostri, qui de ipsorum substantia propria creatus est* Cap. 41. *Et ideo quando lapis noster creabitur, fac eum nasci de ventre matris suæ; Nec amodo aliud ponas; Quia secum defert virtutem ventris matris suæ, scilicet illam naturam sulfuream, quæ omne argentum vivum congelat.* Quod autem hic Triptolemus sub igne coctus & maturatus sit nostra salamandra, noster ignis, et nostra terra et calx, noster cinis, et nostrũ semen, quod in suam naturalem terram proijcitur, sexcentis testimonijs probari posset; Duo aut tria saltem hic ponemus: Avicenna in tract: cap. 5. *Semina non oportet*, inquit, *mittere, donec tempus messis aduenerit: Philosophi hunc lapidem nostrum vocaverunt salamandram; Quia sicut salamandra solo igne nutritur & vivit, idest perficitur, ita & noster lapis*: De igne Lullius: pract: Test: cap. 22. *Sulfur nostrum habet virtutem sigillandi & formandi simile sibi, & omne quod petitur, & non retinendi in se; Et ideo dicimus quod*

Solus fatus philosophicus igne nutritur.

est pater & semen masculi; Per ignorantiam cuius multi deciderunt Alchymistæ fatui & non experti, credentes sine igne natura fixare amalgamata: De Terra et calce idem in Codicill: cap: 39. *Quia ars semper indiget calce, id est sua terra propria, in qua virtus mineralis posita est, maximè ad mercurium indurandum:* Astratus in turba de cinere; *Postea*, inquit, *ponatur in locum suum & iterum coquatur donec lapilli in siccum vertantur; Postea coquatur igne fortiori, quousq; lapis tuus tor fiat & confringatur ac in cinerem vertatur; O quàm preciosus est cinis ille:* Et Aziratus ibidem: *Illum coquite continuè igne priore fortiore, & diruetur, confringeturq; ac in cinerem vertetur: ò quam preciosus est cinis iste filÿs doctrina, & quam preciosum est, quod ex eo fit:* Riplæus 3 port: *Exicca terram, donec illa sitiat calcinando, alioquin in vanum laboras* Et mox: *Ea terra est fixa vt possit perpeti omnem violentiam; pars altera spiritualis est; Sed omnia illa in vnam rem debent conuerti:* Et Lull: theor: Test; c.46. *Scias quod nihil potest nasci, nisi ex femella & masculo, nec aliquod germen generari, nisi ex calore & humiditate.* At hæc proposito sufficiant: Herodotus non à Græcis sed ab Ægyptijs Thesmophoria originē ducere scribit, nempe à Danai filiabus ad Pelasgas mulieres delata; Cumq; per religionem eius solennitatis arcana nulli revelare licebat, idem author in Euterpe his vtitur verbis: Atq; de Cereris solennitate, quam Græci Thesmophoria nominant, mihi faustum felixq; sit omen, vt quantum fas est per religionem, proferam: Fuerunt autem Danai filiæ, quæ hanc solennitatem ex Ægypto transtulerunt, mulieresq; Pelasgas docuerunt: Danaus quis fuerit, nempe qui colonias ex Aegypto in Græciam traduxerit, eiusq; artis arcanissimæ cognitionem habuerit, libro primo narrauimus; Ideoq; vero consentaneum est cum ipso hanc celebritatem ad Græcos venisse: Hæc summa apud Ethnicos semper Mysteria habita esse nec vlli in vulgum spargenda tum ex hystorijs, tum communi proverbio notum est, quo dicitur de re arcanissima, eam occultari, tanquam Eleusinia sacra: De causis horum sacrorum siue misteriorū occultationis multi

Nil arcanius olim habitum sacris Eleusinÿs.

multi diversimodè sentiunt, quorum opinionem primò, deinde et nostram adducemus: Mysteria, inquit Varro, taciturnitate et parietibus clausa esse; Taciturnitate quidē, ut non liceret de ijs loqui; Parietibus, ut non pateret nisi certis locis & personis eorum inspectio: Quantum ad taciturnitatem, ut Thomas Valois ad Augustini lib.4.c.31. de civit: Dei commentatus, sciendum, quod triplex videtur fuisse causa, quare volebāt dæmones & sacerdotes occultari theletas & mysteria: Vna causa fuit, quia faciliter poterant errores convinci, si licuisset puplicè de eis loqui et disputasse: Alia fuit, quod inter illa mysteria continebantur origines deorū et veræ conditiones eorum, quæ colebantur: puta, qualis fuit Iupiter, et quis et quomodo primò incepit coli, et sic de alijs dijs: Si verò talia fuissent in populo divulgata, contempsissent deos, et sic fuisset omnis metus deorum ablatus; Quod reipublicæ et communi conuictui hominum plurimum nocuisset: Et propter hoc, sicut dicit Livius, de vrbis orig: lib: 1. Numa Pompilius summè necessarium credebat, timorem deorum populo inijcienoū: Tertia causa fuit, quia purgationes quasdam faciebant in occulto & sacrificia quædam nefanda omnino quæ populus horruisset, si ad eius noticiam peruenisset: Immolabāt enim in occulto sæpissimè infantes & mulieres prægnantes, et multa alia horrenda ad placandum dæmones in occulto fecerunt, sicut patet de Iuliano cæsare: Vt Socrates narrat in tripartita hystoria, quod apud Carram civitatem, vbi occultè pessimus idolatra sacrificauerat in templo, antequam in expeditionem illius belli iret, inventa fuerit mulier capillis suspensa, extensis brachijs et vtero aperto, in cuius iecore victoriam sibi debere, aspexit. In palatio quoq; eius apud Antiochiam inuentæ sunt cistæ multæ plenæ capitibus mortuorum: Et narrat Eusebius de imperatore Maxentio, qui mulieres nobiles prægnantes ad hoc quæsivit et eas medias divisit et in extis infantium divinationes quæsivit: Et ideo, inquit Valois, sacerdotes summè cavebant, ne ipsorum mysteria et theletæ proderentur:

Mysteria.

Triplex causa occultationis mysteriorum.

1 Causa.

2. Causa.

3. Causa.

rentur: Propter quod et simulachrum quoddam erat ferè in omni templo, vbi colebatur Isis & Serapis, quod digito labijs impresso monere videbatur, vt silentium fieret; Vt scilicet, homines eos fuisse taceretur, vt habetur apud August: de civi: Dei l: 18 c.5. vbi, constitutum est (inquit de Api Argivorũ rege credito) etiam de illo, vt quisquis eum hominem dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam: Et cum verè in omnibus templis, vbi colebatur Isis et Serapis erat etiam simulachrum, quod digito labijs impresso admonere videretur, vt silentium fieret; Hoc significare idem Varro existimat, vt homines eos fuisse taceretur: Hæc Augustini sunt verba: Qui eodem lib: cap.3. refert, quod capitali crimine apud Ægyptios reus fiebat, quicunq; Isidem filiam Inachi hominem fuisse dicebat. Atq; hæ causæ probabiles, quas dictus Valois adfert, mihi omnino videntur, tum inprimis, cum iam horrenda idololatria omnes terræ partes occupasset; Nobis autem sermo est de prima origine occultationis mysteriorum inprimis Eleusiniorum; Quam si ex omnibus circumstantijs consyderemus, prima et secunda antè narratæ causæ, vix tertia, locum hic inuenient: Quod eiusmodi hominum mactationes, eorumq; viscerum inspectiones per deterrimum abusum Ethnicis quibusdam vsitatæ, et sub arcano tectæ fuerint, negari non potest, at in his sacris, quæ arcanissima habebantur, cõmissas esse, non est rationabile: Saturnus, qui per allegoriam suos liberos devorare fingebatur, fortè à superstitiosis et idololatris Ethnicis, hoc sacrificio placatus est, vt, Baal, & alia eiusmodi Idola, vel Mars sanguine humano delectari creditus; At de Cerere, Dionyso, Venere, vix est credibile: Præterquã enim quod Cereris sacra seu Eleusinia à castis, immaculatis personis, vt pòst audiemus, non ab alijs celebrata sunt, innotuit tandem, quid illis contineretur; Quod, tale non est, vt vel à ratione humana vel bonis moribus abhorreat, vt pòst subijeiemus: Existimamus igitur non immeritò primam & secundam causam occultationis in Eleusinijs reperi, tertiam nullo modo: pro qua nos addimus; Quod nempe tertia ratio fuerit inuoluendi et sub silentio

Ratio tertia occultationis Eleusiniorum.

lentio

lentio retinendi ea sacra, ne & artificium de quo ea omnia essent introducta, vulgo innotesceret, vt suprà sæpe monuimus evidentibus argumentis ducti, quæ hic prætermus: Atque hæc triplex causa innuebatur simulachro illo Harpocratis, digitis ori impressis: Theocriti enarrator ex sententia Thelyti Methymnæi de hac solennitate ejusq; personis selectis ita scribit: *Lex fuit Atheniensibus vt hac Thesmophoria quotannis celebrarent virgines mulieres & vitæ honestæ, quæ per solennitatis diem legitimos sacrosq; libros super vertice gestantes tanquam supplicantes Eleusinem contenderent.* Ad ista sacra non patebat aditus, nisi initiatis, præcoq; abesse prophanos jubebat, atq; hinc sumpsisse Virgilium versiculum istũ, *Procul ô procul este prophani,* author est Servius: Et Alcibiadi tantum negocij facessitum scribunt, quod profanus interfuisse sacris Cereris diceretur: Nec verò cuidam illis interesse licebat, qui sibi sceleris perpetrati conscius esset, id præcone conclamante: Quibus nec ausus est interesse Nero Imperator, quod impius esset, & initiari voluit Antonius princeps, vt probaret se innocentem: Dicuntur autem posterioribus illis temporibus bina Eleusinia sacra Athenis fuisse, parva, quibus hospites reciperentur, & magna; de quibus ibidem vetus lex erat, ne hospes vllus ad ea admitteretur, vt commentator Aristophanis meminit: Cum enim plures magni viri exteri Athenas venirent, ijsque sacris initiari peterent, non ob alias causas repulsam passi sunt, nisi quod nollent illa naturæ arcana alijs innotescere; Ideoque parva quædam sacra illis tanquam superficialia adjunxerunt, quibus advenæ initiati sunt, & ipse Antonius Princeps, non magnis illis, receptus creditur: Hinc veterem legem prætendebant, atq; ipsum Herculem, cum tantus heros esset, advenã, non admissum, quasi aliquando Hercules Athenis fuisset, aut ista petijsset: Magna illa Cereris & parva Proserpinæ ad differentiam vocàrunt: Ex quibus satis apparet in his sacris nõ libidines aut cædes aliud vé quid horrendum peractum esse, sed causas occultissimas fuisse, cur sub silentio servarentur: Multis quidem, vt fateor, ex Christianis suspiti-

Eleusinia sacra bina.

onem præbuit, quasi turpitudo & nefaria scelera in illis exercerentur; Hinc ita *Gregorius Nazianzenus* in Epiphaniis, de hac solennitate; *Neq; nobis*, inquit, *virgo aliqua rapitur, nec Ceres errat, nec Celeos adducit & Triptolemos & dracones, partimq; agit, & partim patitur: nam pudet me diem afferre sacrifi ijs nocturnis & ex mysterio turpitudinem efficere: Scit Eleusis hæc & spectatores rerum, quæ tacentur, & certè silentio digna sunt: Et Theocritus; Beatum arbitrantur Iasiona, qui tantum assecutus sit, quantum prophani non facilè crediderint; in quo occultè perstringit concubitum Cereris & Iasionis:* At illis aliter judicare non licuit, cum tot idololatriæ apud Ethnicos occurrerent, ac veræ causæ sive internæ, sive externæ non paterent: Videmus insuper omnibus gentibus sua mysteria fuisse, quæ in vulgum spargere nefas erat: sic apud Romanos valdè erant clausa mysteria deorũ. Nam refert Valerius lib. . cap. 1. quod Tarquinius rex Romanorum Marcum Duũmvirum culleo insutum tanquam patricidam in mare proijci jussit, eò quod librum suæ custodiæ commissum, in quo continebantur secreta sacrorum civilium Petronio Sabino transcribendum dedisset, & addit Valerius, quòd iustissimè id factum sit; quia pari vindicta parentum ac deorum violatio expianda sit: Secreta autem illa quod à Sibylla seu anu quadam incognita libris conscripta Tarquinio oblata sint, Gellius lib. 1. testatur his verbis: Anus quædam incognita ad Tarquinium regem Superbum adijt novem libros ferens, quos esse dicebat diuina oracula, eosq; se vendere velle; sed cum judicio regis precium excessivum peteret, ab ipso irrisa est: Tunc illa igne coram rege facto, tres ex illis libris combussit, interrogans, si rex sex libros residuos æquali precio vellet emere, qui dixit anum illam delyrare, quæ ita iam tres alios combussit, interrogans regem de tribus residuis libris, sicut de sex fecerat, qui mulieris videns constantiam tres libros emit non minori precio, quam petitum erat de omnibus: Mulier verò illa postmodum à rege digressa nunquam cõparuit, libri verò tres illi appellati sunt Sibyllini, & in sa-

Secreta revelantium pœna.

cra-

crarium condiri, ad quos quasi ad Oraculum quindecimviri adierunt, cum dij immortales publicè consulendi essent. Cum verò humana curiositas tanta sit, vt etiam illa, quæ arcanissima habentur, inquirere conetur, tandem quoq; quid Eleusinijs sacris contineretur à Philosopho quodam Numenio dicto, indagatum & literis proditum est: Vnde Macrobius in somnium Scipionis de eo tanquam occultorum curioso perscrutatore narrat, quod cum Eleusinia sacra, id est sacra oppidi Eleusini interpretando vulgasset, quæ fuerant sacra Cereris & Proserpinæ, de hoc postmodum in somnis acriter correptus sit: *Nam Deæ*, inquit, *Eleusinæ apparuerunt ei in somno habitu meretricio & ante apertum lupanar stantes, cumq; admiraretur, quia hoc non videbatur conveniens numinibus & causam quæreret, responderunt ei deæ iratæ, se ab ipso habitu pudicitiæ suæ vi abstractas & passim abeuntibus prostitutas*: De hoc somnio super somniũ narrato mirum est quod Socrates dicatur arguisse in hunc modum, vt Ludovic. Vi. in l 7. c. 20. Aug. de Ciu Dei recenset, quod profectò judicium est meretricia illis contineri: Nam si honesta & sancta, nunquam eas puduisset evulgari; Obliquè, inquit, hæc perstringit Socrates, & alia permulta apud Socratem, cum jubet turpia, fædaque à dijs commissa sacris secretissimis occultari, & qui minatur se Isidis, quæ eadem est Ceres, sacra recondita editurum, quo dicto cogit Isidem ipsam, quæ is jubeat, facere, satis declarat nefaria illa esse & pudenda. Verum hoc judicium nimis calidum aut callidum dicerem, quia inde nihil contra Eleusinia sacra concludi potest: Nam si dicatur in somnis deas castissimas, vt meretrices prostituisse Numenius, non sequitur, quod deæ castissimæ illæ meretricia continuerint; Est sanè ratiocinatio contra omnem rationem instituta; ne quid dicam, quod Allegorica sit vtrobique locutio & tractatio, deinde in somnijs, quasi cõcepta. At quid tandem illis abditissimis sacris occultatum fuerit, quærere quis posset? Id sanè quæsiverunt multi sapientissimi viri, at præter initiatos & sacerdotes nullj aut pu-

Eleusinia sacra à quo primò revelata.

Iudicium præposterum.

paucissimi resciverunt: Nos qui & loco & tempore ab illis remotissimi sumus, judicabimus de illis ex ijs, quæ vere cognovimus vt possumus, & ex vngue, quod dicitur, leonem æstimabimus, hoc est ex parte totum, ex signo signatum, & ex causis effectum: Hæc sacrificia cum prius Eleusini celebrarent, primus EVMOLPVS, Deiopes & Triptolemi filius ad Athenienses detulit, vel vt alij quintus ab illo Eumolpus: Antea meminimus lib. 1. Eumolpidarũ ab Ægyptijs Sacerdotibus oriundorum, qui cum colonias in Græciam duxerint ex Ægypto, simulq; Sacerdotes & arcani Ægyptij non ignari fuerint, horum sacrorum non immeritò authores existimantur; Cuj & illud, vt argumentum sat firmum astipulatur, quod omnes Sacerdotes, qui præerant illis sacris Eumolpidæ erant, & ab vno proavo descenderint: Sic enim Acesidorus; Habitasse, inquit, in Eleusine pr us indigenas narrant, at deinde Thraces qui Eumolpo suppetias tulerunt per bellum quod fuit cum Erechtheo. Et Androtio l. 2. de sacrificijs: Nam Eumolpum, inquit, fuisse præconem, ex quo nascitur Eumolpus, ex hoc Antiphemus, ex hoc Musæus Poëta, ex hoc Eumolpus, qui ritũ sacrorũ demonstravit, atq; functus fuerit Sacerdotio, Hæc ille: Quod verò ista fuerit consuetudo, vt idcirco Eumolpidæ sacris Cereris initiarentur, essentque eorum sacrerum Sacerdotes, testatur Sophocles in Oedipode, in Colono, his verbis:

ARCANA.

ὧν ϗ χρυσέα
Κλῂς ἐπὶ γλώσσα βέβακεν
προσπόλων Εὐμολπιδᾶν.

Hoc est, quorum & aurea clavis in lingua constitit sacerdotum Eumolpidarum. Sic in Eleusinio agro locus ostendebatur, vbi *Pluto Proserpinam* rapuit, & vbi Eleusiniorum fœminæ primum chorum in honorem Cereris instituerũt, non procul ab Agelasto Petra vocata, super qua sedit Ceres audito casu Proserpinæ, cui *Petræ* propinquus

quus fuit locus vocatus Callichorus. Verum Eleusiniorum vulgus, ne fabula videretur, & vt ipsi certiores essent de tam memorabili *Plutonis* facto, in sua terra id contigisse dixerunt, & monumenta saxea monstrare ausi sunt: Quibus tamen multi *Poëtarum*, vt Ovid: lib. 4. Fast. alijq; contrarij sunt, & dicunt in Sicilia id accidisse, cum *Proserpina* flores colligeret: At vtriq; & Eleusinij & Siculi pro hystoriâ acceperunt, nos pro fabula agnoscimus, quicquid de raptu Proserpinæ toti orbi occantatum est; ita tamen, vt rem quasi gestam demonstret sub figura; *Pluto* enim qui rapuit *Proserpinam* á mythologis pro terra exponitur, & *Proserpina* pro semine vel radicibus segetum; Cumq; sex feré mensibus sub terra semen occultetur, tanto tempore dicitur esse apud *Plutonem*, & per totidem menses supra terram in aëre, apud Cererem: Hæc quidem conveniunt explicationi, sed an hæc arcana sunt an non omnibus notissima? an hæc festa, occultationem & tot & tanta requirunt? De semine, ejusq; expositione accipimus; at de Philosophico nostro arcanissimo, quod rustici jgnorant, soli *Philosophi* sciunt, quod occultandi causas habet; Hinc illa sacrorum institutio, hinc ordo sacerdotalis in vna familia, hinc aurea clavis in sacerdotum lingua: *Nec* quis adeò insanus sit, vt credat, quòd Eleusini primò acceperint frumenta à Cerere, & docuerint cæteros, quomodo panem pinsere & comedere debeant, aut Thebani à Dionysio vinum: Non, non; longè ante ea tempora panis & vinum in vsu mortalium fuerunt, vt ex sacris literis, tum etiam ex prophanis antiquissimis constat: *Petra* propè Callichorum ostenditur pro Hieroglyphico, quia nobis Petra semper aliquid ominis ostendit, si animadvertamus: Sic Saturnus saxum voravit; sic Cadmus, Iason & Mercurius, cum saxo hic Argum, illi terrigenas trucidârunt: sic *Pyrithous* in saxo sedens apud inferos relictus, ne quid de *Sisyphio* saxo dicam: At nunc tandem audiemus, quantum de sacris illis Eleusinijs quibusdam ex Christianis innotuerit: *Eusebius* ex Clemente docet

Hieroglyphicum signum proprium.

de ijs, vt sequitur: *Quidam*, inquit, *aiunt Melampodem Amythaonis filium ab Ægypto in Græciam luctum Cereris solenniter celebratum reportasse: Ceres peperit, educatur puella, Perephatten nonnulli appellant, cui Iupiter qui genuit, Draco factus coniungitur: Inde in Savationum mysterijs Draco in spiram involutus in sacrificijs ad factorum memoriam, imo verò in testimonium tantæ turpitudinis, vt ego dixerim, adhibetur. Peperit & Perephatte tauriformem filium; Vnde Poëta quidam taurum laudant Draconis patrem, & Draconem rursus tauri patrem, & in montem arcana hac facta, ducentes pastoralem stimulum celebrabant: Pastoralem vt puto, stimulum, ferulam, quod genus ligni bacchantes ferunt. Nequeo latius huius Perephattæ sacra enarrare, quasillum, rapinam, Idoneræ terræ hiatum, sues Eubolci, quas eodem hiatu simul & duas deas absorptas aiunt fuisse: Vnde & Megareum in Thesmophorijs suis immittunt, quæ sacra varijs modis mulieres, quoniam hæc fabula variè narratur, per civitates Græciæ celebrant, Thesmophoria, Scirophoria, Inephabiliphoria vocantes, & multis modis Periphattæ rapinæ complorantes*: *Tantum* Clemens interprete Georgio Trapezuntio: Ibidem ad Aug. de Ciu. Dei, lib. 7. c. 20. Ludoicus Vives, Ferebantur, inquit, cistæ opertæ à Sacerdotibus puellis, altera florum, qua ver significatur, altera spicarum, qua æstas: Virgines istas vocabant κανηφόρους, id est, canistriferas; quarum Cicero meminit in Verreni de signis: Tametsi Porphyrio super illo versu Horatij, velut qui Iunonis sacra ferret, Canephoros Iunonis dicit esse Athenis: Orgia quoq; hæc sacra nominabantur, sicut idem Clemens ait, ab ira quam adversus Iovem concepit Ceres: Catullus;

Pars obscura
cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia quæ frustrà cupiunt audire prophani.

Strabo lib. 10. & Servius 4. Æneid: omnia ferè sacra orgia esse à Græcis dicta perhibent: *Imagines in illis sacris deorum hæ fuerunt*, CREATORIS, *quam gestabat Antistes*

ARCANISSIMA

stes

stes Hierophantes: SOLIS, *quam facifer*; *LVNÆ quam minister ad aram*; MERCVRII, *quam præco sacrorum*: Et quemadmodum in sacris *Dionysi* circumferebatur Priapus, ita et in Isis natura muliebris, vt Theodoritus testatur, qui etiā affirmat Iovem cum Cerere matre & cum Proserpina filia concubuisse: Hucusq; Ludoicus: Hæc sanè non sunt adeò obscura, vt Delio natatore egeant; sed quatuor illis simulachris plus dicitur, quam multis de eadē re scriptis voluminibus: siue fingatur ab ignaris in sacris illis obscæna & teterrima tractata esse, ideoque occultata sive Iovem cum matre & Proserpina concubuisse, ac taurum Draconis patrem, ac Draconem iterum tauri patrem fuisse, sive alia hujusmodi, rei veritati nihil detrahit; Hæc enim simulachra, quæ sunt quasi muta Poësis & scriptura *Hieroglyphica*, aliud loquuntur, quàm vulgo existimatum est: Verum quid dicam, an hæc ficta sunt? Nullo modo sed ab authoribus fide dignis, & omni exceptione majoribus proferuntur etiam ijs, qui hujus rei, quam nos innuimus nullam cognitionem aut respectum habent: An igitur Ethnici illi sunt Christiani facti in huius arcanis symbolis, quòd Creatoris imaginem gestent? An illis creatio nota fuit? An Moses illorum doctor, an Deus ipse ex creaturis? Sanè Arcanissima hæc esse, & supra captum Ethnicorum vulgarium clarissimè patet: Si quis prima illa paradoxa, monstrosa & naturæ adversa (nempe de Tauro & Dracone sibi vtriq; vt invicem parentibus & filijs, alijsq; hujusmodi) excipiat, ab his simulachris expositionem petat; quod & nos, paucissimis, quoad licet testimonijs recentiorum adductis, breviter præstabimus: Circa authorem primum Eleusinæ solennitatis institutæ, variationem animaduertimus; cum alij vt Clemens, Melampodi, alij Eumolpo, nonnulli Eleusio principi vrbis ejusdem nominis, quidam Danai filiābus, alij Triptolemo id adscribant: Quicunq; author sit, originem ab Ægyptijs ducere non est dubium; Quan ū ad me, ego Eumolpo assentior, eâ ratione, quod Eumolpidæ sacer-

Nota.

Scriptura Hieroglyphica.

Ab Ægyptijs Eleusinia sacra oria.

sacerdotalem dignitatem & scientiam illorũ arcanorum in sua familia diutissimè obtinuerint; tum quod primus Eumolpus Triptolemi filius, vt hic Eleusi, statuitur: vt Eleusus pater, Triptolemus filius & Eumolpus primus, nepos fuerit; ex quo deinde cæteri Eumolpidæ descendunt: Ceres peperit, educatur puella, cui Iupiter, qui genuit, Draco factus conjungitur; Et quidam taurum laudãt Draconis patrem, & Draconem rursus tauri patrem: Hæc verba nebulosa & obscura sunt; causa est, quia involucra rerum sunt; nam si vt sonant, intelligenda essent, aut si sonarent, vt intelligenda sunt, facilè ab omnibus perciperentur: Sic in occulta Philosophia Rosino teste dicitur; *Ars Astronomia & Phisices legentibus patens est; Ars verò nostra, non nisi à sapientibus sciri potest:* Et hoc ideo, inquit author Auroræ in prologo, *Ne stolidi & insipientes naturã ignorantes, legere tamen scientes a. b. c. d. ipsis attraherent & vsurparent: Quamobrem cupientes hanc scientiam oportet intellectũ valdè subtiliter & ingeniosè acuere, sæpè & persæpius, intus & extrà, antè & retrò volvere & revolvere dicta sapientũ. Non est enim sapientũ stolidè loqui, cum intellectus verborũ ipsorũ maximè literarum sono contrarietur; qui enim sonũ verborũ acceperit, & intellectum interiorẽ non habuerit, nihil sibi prodest, quoniã illi dicitur id quod scriptũ est; legere & non intelligere, est negligere.*

Taurus draconis pater, & Draco rursus Tauri pater.

At quid mirũ quod Ceres peperit Proserpinã, ex Ioue patre & patruo; Si Iupiter Osiris et Ceres Isis, Proserpina Orũ refert, vt nonnunquã accipitur; sed per Iovẽ hic intelligimus fortem et tauriformem genitorem, qui vim Martis in igne repræsentet, qui Semelen suo fulmine comburere possit, et fœtum eius maturare; Nempe agens nostrum primum, quod vbicunq; sit, quærendum est; quod si in Tauri signo inueneris, fac vt ad Leonis violentiam accedat, et erit Sol in Leone, sicq; secundus gradus erit completus: Ducatur ad Sagittarium, & in hoc tertio gradu pater suscipit filium, hoc est, terra recipit spiritum, et à modo ipsum fugere non permittit: Iovẽ si agnoveris, ex agnatione et Cererem non ignorabis; Et sic Gabricum Beiæ coniunges, fratrem sorori

rori, nec opus est ad hæc authorum testimonijs, quia singulæ eorum paginæ ea inculcant: Hermes cap. 4. *volens*, inquit, *dominari, artemq́; custodire, iunge bubæ aquæ filium, qui est Iupiter, quod est occultum arcanum*: Et mox: *Ex homine non fit, nisi quod ei simile est, vt ex Tauro idem*: Et si quod animal cum aliena specie cubet, nascitur quod neutro simile est: De Dracone, Theophilus in turba; *Simili modo*, inquit, *illa mulier fugiens generos, quibus per se, quamvis irata domestica fit, vt non dedignetur se superari, vt eius coniunx suum habeat decorem, qui furibundus eam diligit, ac iugiter pugnat cum ea, donec suos concubitus cum ea peragat; & deus pro voluntate filios multiplicat; Cuius porrò decor igne consumitur: Termino enim finito, reuertitur ad eam: Dico etiam vobis, quod draco ille nunquam moritur; Tamen illam mulierem suos interficientem coniuges philosophi neci dederunt; Illius enim mulieris venter plenus est veneno. Fodiatur igitur sepulchrum Draconi, illicq́; sepeliatur mulier cum eo, qui illi mulieri fortiter iunctus, quanto magis eam nectit, & voluitur circa eam, tantò magis corpus eius in mulieris artubus mixtum ad mortem declinat, & totus vertitur in sanguinem: Quod cum vident philosophi in sanguinem versum, ponunt eum ad solem, quousq́; lenitudo consumatur, sanguisq́; arescat: Et tunc apparet venenum, & occultum manifestatur*: Et in allegorijs: *Sume taurum cum carne & sanguine, cornibus, pedumq́; calciamentis & verte eum in aquam, & cum sanguine misce, totumq́; trahe, postea assa, donec rubescat*; Atq; sic patet, quod Iupiter & Ceres, seu Osiris & Isis, seu Taurus & draco concumbant, atq; ex se tauriformem filium seu filiam, Orum aut Proserpinam gignant: Nam filius genitus postea propriæ suæ matri iungitur, seu filia genita patri; ac frater sorori, auus nepti, avia nepoti; Ita enim in sola arte philosophica contingit, et non alibi; Sic taurus est draconis pater, generans generati, et draco tauri eodem modo, mutatis nominibus, rebus conuenientibus: Hoc vt manifestum fiat, consulantur authores chymici; Rosarius philos: inquit: *Me igitur & filio meo*

coniunƈto, nil melius ac venerabilius in mundo fieri poteſt: Et alius philoſ: Tol: Author Roſarij: *Me igitur meæ matri & ſuo pectori iunge; Quia ſum ſubſtantiam facio continere: Noli ergo alienum nobis introducere, nec ab opere ceſſare: Nam omnis natura cum ſua adunatur ſocia, & per eam perficitur; Mater me genuit & per me gignitur ipſa; Ipſa enim primò dominabatur mihi; De cætero autem dominabor illi, quia perſequutor matris meæ factus ſum; Priuſquam ab ipſa accepi volatum; Ipſa tamen meliori, quo poteſt modo, ſicut mater pia fouet & nutrit filium, quem genuit, donec ad ſtatum peruenero perfectum.* Id: *Liga ergo mulieris lactantis manus, vt non fugiat Gabricum, id eſt virum, apponite ſibi filium, quem genuit, vt lactet eum; Quoniam cum mulier mortua fuerit, erit bufo groſſus de lacte:* Et Flamellus. *Tum fætus matrem devorat patremq; ſuum: &* Idem: *Matrem infige ventri ſui fætus quem antea peperit, tum demum ſibi pater erit, ac filius ex duobus ſpiritus perfectus:* Et Lull: Codicil: c. 14. *Oportet enim matrem, quæ prius generat filium, inhumari in ventre filij, & ab eo generari:* ſic Ænigma Phil. 6. *ſuper matrem pregnantem ſeruum rubicundum æqualiter conde &c.* Quorſum et ſpectant ante dicta lib: 1. de Iſide & Oſiride, eius fratre, marito & filio; Si itaq; filius cum matre copulatur, ipſe ſibi pater eſt & filius, & reliquos cognationis & affinitatis ordines ſeu gradus recipit: Eodem ſpectat Ariſlei ænigma de fratre ducente ſororem; Et quod Roſarius, alijq; ſæpe repetunt; *Coniunge ergo ſeruum noſtrum ſorori ſuæ odoriferæ & inter ſe filium gignent, qui non aſſimilabitur parentibus:* Erit enim nobilior & dignior illis: At cùm hæc ſatis conſtent, reliqua ſingula, à Clemente repetita, de quaſillo, rapina & alijs per ſe ſequuntur: De virginibus caniſtriferis ſub Dionyſi feſto diximus; Supereſt vt de ſimulachris illis aureis aureæ philoſophiæ parum adijciamus: Deus vnus creator omnium eſt omnia in omnibus, et ante et ſuper omnia; Ideoq; à ſapientiſſimis eius ſolennitatis authoribus, vt ſumma cauſa efficiens, et à quo vis et potentia deſcendit ad operis perfectionem conſequendam, ad quem quoq; omnis honor, laus et gratia, vt fluvij

ad

ad mare immensum, omnium bonorum et donorum largitorem benignum regurgitare debeat, respicitur et per simulachrum, quatenus humanitùs licet, præfiguratur: Absq; eo enim nihil fit; Ideo Hermes cap: 2. *Fili mi*, inquit, *ante omnia moneo te Deum timere, in quo est nisus tuæ dispositionis*; *Qui idem* fatetur cap: 1. quod artem et scientiam hanc habeat solius dei viui inspiratione, qui ipsi famulo suo pandere dignatus est: Solis deinde, Lunæ & Mercurij simulachra singula à singulis gestata sunt, non tanquam dij, aliàs Creator non adesset, qui Deus deorum est, sed vt creaturæ; Non vt cælestes planetæ, quia in illis Mercurius insensibilis est operationis præ reliquis Ioue, Saturno, Marte, et Venere; et hi potiùs cum illo iuncti tunc essent; Sed vt planetæ terrestres seu subiecta vnius artis homogenea: Iam inde autem ab antiquissimis temporibus vsu receptum fuit apud Ægyptios per planetas seu stellas errantes cæli adumbrare virtutes seu partes operis philosophici, hoc est per nota lumina et visibilia, ea quæ essent & esse deberent arcana; Per signa signata, per imagines res ipsas: Vt enim in arte memoratiua pars pro toto, et econtra, continens pro contento, instrumentum pro opere, effectus pro causa, verbum pro sententia, & litera pro verbo vel vice versa, pro arbitrio fingentis artificis ponitur & significatur; Ita et sapientissimi arcani philosophici inuentores et possessores suis notis et signis seu imaginibus hieroglyphicis, à rebus notis desumptis, vsi sunt: Nisi enim res essent notæ, quæ ignotas repræsentare debent, vtræq; manent ignotæ; Nihil autem notius, quo ad visum, sole et luna, ideoq; hæc duo lumina ad illustrandum suas res obscuras et occultas sæpissimè vsurpârunt; quibus tertium adiungunt, vt ministrum, Mercurium; Nec verò existimandum est antiquiores per signum Solis, aurum metallum notum, aut per Lunam, argentum, per Mercurium, hydrargyrum, per Saturnum plumbum, per Iouem, stannum, per Martem ferrum, communia intellexisse; Hoc enim non esset magnæ subtilitatis et minoris vtilitatis; Siquidem illis ad opus philo-

Planetarum simulachra denotant partes operis physici.

Per planetarum nomina & signa nil vulgare intelligi.

coniunctio, nil melius ac venerabilius in mundo fieri potest: Et alius philos: Tol: Author Rosarij: *Me igitur meæ matri & suo pectori iunge; Quia suam substantiam facio continere: Noli ergo alienum nobis introducere, nec ab opere cessare: Nam omnis natura cum sua adunatur socia, & per eam perficitur; Mater me genuit & per me gignitur ipsa; Ipsa enim primò dominabatur mihi; De cætero autem dominabor illi, quia persequutor matris meæ factus sum; Priusquam ab ipsa accepi volatum; Ipsa tamen meliori, quo potest modo, sicut mater pia fouet & nutrit filium, quem genuit, donec ad statum peruenero perfectum.* Id: *Liga ergo mulieris lactantis manus, vt non fugiat Gabricum, id est virum, apponite sibi filium, quem genuit, vt lactet eum; Quoniam cum mulier mortua fuerit, erit bufo grossus de lacte*: Et Flamellus. *Tum fætus matrem devorat patremq; suum*: & Idem: *Matrem infige ventri sui fætus quem antea peperit, tum demum sibi pater est, ac filius ex duobus spiritus perfectus*: Et Lull: Codicil: c. 14. *Oportet enim matrem, quæ primo generat filium, inhumari in ventre filij, & ab eo generari*: sic Ænigma Phil. 6. *super matrem prægnantem seruum rubicundum æqualiter conde &c.* Quorsum et spectant ante dicta lib: 1. de Iside & Osiride, eius fratre, marito & filio; Si itaq; filius cum matre copulatur, ipse sibi pater est & filius, & reliquos cognationis & affinitatis ordines seu gradus recipit: Eodem spectat Aristei ænigma de fratre ducente sororem; Et quod Rosarius, alijq; sæpe repetunt; *Coniunge ergo seruum nostrum sorori suæ odoriferæ & inter se filium gignent, qui non assimilabitur parentibus*: Erit enim nobilior & dignior illis: At cum hæc satis constent, reliqua singula, à Clemente repetita, de quasillo, rapina & alijs per se sequuntur: De virginibus canistriferis sub Dionysi festo diximus; Superest vt de simulachris illis aureis aureæ philosophiæ parum adijciamus: Deus vnus creator omnium est omnia in omnibus, et ante et super omnia; Ideoq; à sapientissimis eius solennitatis authoribus, vt summa causa efficiens, et à quo vis et potentia descendit ad operis perfectionem consequendam, ad quem quoq; omnis honor, laus et gratia, vt fluvij

ad

ad mare immensum, omnium bonorum et donorum largitorem benignum regurgitare debeat, respicitur et per simulachrum, quatenus humanitùs licet, præfiguratur: Absq; eo enim nihil fit; Ideo Hermes cap:2. *Fili mi*, inquit, *ante omnia moneo te Deum timere, in quo est nisus tuæ dispositionis*; *Qui idem* fatetur cap:1. quod artem et scientiam hanc habeat solius dei viui inspiratione, qui ipsi famulo suo pandere dignatus est: Solis deinde, Lunæ & Mercurij simulachra singula à singulis gestata sunt, non tanquam dij, alias Creator non adesset, qui Deus deorum est, sed vt creaturæ; Non vt cælestes planetæ, quia in illis Mercurius insensibilis est operationis præ reliquis Iove, Saturno, Marte, et Venere; et hi potius cum illo iuncti tunc essent; Sed vt planetæ terrestres seu subiecta vnius artis homogenea: Iam inde autem ab antiquissimis temporibus vsu receptum fuit apud Ægyptios per planetas seu stellas errantes cæli adumbrare virtutes seu partes operis philosophici, hoc est per nota lumina et visibilia, ea quæ essent & esse deberent arcana; Per signa signata, per imagines res ipsas: Vt enim in arte memorativa pars pro toto, et econtra, continens pro contento, instrumentum pro opere, effectus pro causa, verbum pro sententia, & litera pro verbo vel vice versa, pro arbitrio fingentis artificis ponitur & significatur; Ita et sapientissimi arcani philosophici inuentores et possessores suis notis et signis seu imaginibus hieroglyphicis, à rebus notis desumptis, vsi sunt: Nisi enim res essent notæ, quæ ignotas repræsentare debent, vtræq; manent ignotæ; Nihil autem notius, quo ad visum, sole et luna, ideoq; hæc duo lumina ad illustrandum suas res obscuras et occultas sæpissimè vsurpârunt; quibus tertium adiungunt, vt ministrum, Mercurium; Nec verò existimandum est antiquiores per signum Solis, aurum metallum notum, aut per Lunam, argentum, per Mercurium, hydrargyrum, per Saturnum plumbum, per Iovem, stannum, per Martem ferrum, communia intellexisse; Hoc enim non esset magnæ subtilitatis et minoris vtilitatis; Siquidem illis ad opus philo-

Planetarum simulachra denotant partes operis physici.

Per planetarum nomina & signa nil vulgare intelligi.

Philosophicum non egeamus; sed consensus omnium verè Philosophantium testatur sua metalla non esse vulgaria, vnum genere, duo numero, plura potentiâ & virtute, homogenea essentiâ & concordia, diversissima & discordia qualitate; varia colore, vnita fine: Solis itaque imago vim activam nostri subjectj denotat, Lunæ, passivam, & Mercurij, receptaculum vtriusque: Sic Rosarius Phil: *Sol*, inquit, *est masculus, Luna fœmina & Mercurius sperma, eaq; tria vocat aquam illorum trium*; & addit: *Sed vt fiat generatio & conceptio, oportet vt masculus coniungatur fœmina, & vltra hoc requiritur semen*: Et Lullius Theor: test. c. 47. *Coque aequaliter opus tuum cum residentia, constantia, existentia, atq; compone istud secundum compositionem illorum, de quibus vult componi, scilicet Sol & Luna & Mercurius noster*: Rosar. quoq; ex lumine luminum: *Et scitote, quod eadem sunt quæ dealbant & rubificant intrinsecus & extrinsecus, scilicet* Sol, *Luna, Mercurius: quæ tria dissoluta & fermentata appellat argentum vivum dicens, argentum vivum habet in se corpus, spiritum & animam*. Et pauló antè, *vtraq; medicina incipitur cum Sole & Luna; sed ad rubeum fit fermentum cum Sole, ad album cum Luna: Sol capitur dupliciter; vno modo pro aqua Solis, alio pro corpore Solis: quia aqua Solis, inquit, est volatilis & corpus eius fixum, & econverso de Luna*: Hermes hæc ad duo reducit, quando ait: Pater eius Sol, mater verò Luna; Item cum dicit, quod est superius, est & inferius, id Hortulanus ita explicat; *Hic per superius intelligitur dignius, & per inferius indignius, vt scilicet fiat vnum ex illis tribus, vel ex Sole & Luna fiat vna res, cuius partes sint aequales, & appellatur hæc coniunctio sublimatio Philosophorum: & dicitur sublimatio, exaltatio, sive dignificatio, quia Luna dignificatur & Mercurius. Nam cum facta est vnio in tanta dignitate est Luna, sicut Sol & Mercurius.* Vocârunt & Mercurium Draconem, vt ibidem Rosar. *Et amplius notifico, quod Draco non moritur nisi cum fratre & sorore sua interficiatur, & non per vnum tantum, sed per duos simul. Frater est Sol, Soror est* Luna: Atq; hinc patet, cum hæc forma loquendi recentioribus sit frequen-

Sol quid et Luna quid in opere.

frequentissima, non solum Solem, Lunam & Mercurium intelligi per ista simulachra respectu hujus artis, sed etiam per *Dr*iconem tauri filium & patrem, easdem res significari: quod copiosius demonstrare hoc loco necessarium non esse arbitramur. Bacchi itaque & Cereris sacris sufficienter explicatis ad Veneris amasium Adonim accedemus, de quo primo libro, cum de Syris ageremus, nonnulla, quæ ad eius solennitatem spectant, tractavimus, ideoque hic brevius percurremus; Non solum in Syria Adonia cum luctu & gaudio celebrari sunt solita (vbi fabulantur fluvium Adonim dictum circa hos dies festos in cursu sisti) sed & Phœnicia & Ægypto, vnde hæc primitùs originem duxerunt: *Planctus* & querela, quæ ob Adonim mortuum creditum magnâ animi deiectione & tristitia vulgum exagitavit, cum luctu & ejulatione Cereris *Proserpinam* quærentis aut Ægyptiorum Apim extinctum deplorantium ac novum desyderantium, in causa & principio convenire manifestè cernitur: Nam cur hi populi amentes lugerent seseq; macerarent, nisi quid fundamenti in rei veritate haberent? Scimus autem Adonim nunquam fuisse hominem, nec Venerem ejus Amasiam deam, nec ipsum Martis instinctu occisum, multò minus cũ mortuũ sex menses in complexu *Proserpinæ* apud inferos & sex menses apud Venerem fuisse aut esse: Eadem de raptu Proserpinæ, quæ ijsdem vicibus temporis alternatim apud Plutonem & Cererem matrem manere fingitur, dicimus: At cur Ægyptij brutum, quod ipsi extinxerãt, luxerũt? Ratio nulla fuit, nisi vt sacra sua posteris summa curâ & vigilantiâ traderent propaganda; cumq; sacerdotes, causam rei scientes, in morte Apis tristiores visi sint, propter novi scilicet indagationem solliciti, vulgus, vt fieri solet, tristitiam in ejulationem convertit, diligentiam in amentiam; idem circa amissionem *Proserpinæ* & Adonidis mortem, allegoricè intellectam, factum apparet: An Ceres filiam *Proserpinam* amisit, quam non habuit? An raptam dolet à *Plutone*, qui nunquam fuit, vti nec ipsa?

Adonia.

Adonia apud Syros celebrata.

Demus quod Ceres fuerit & Proserpina atq; Pluto, & ab hoc illa rapta, ista tristis, quid hoc ad homines vivos & rationales? Demus, quod fuerit Adonis, Venus & Mars, ac ille hujus dolo sublatus, à Venere ut vivus ita mortuus in delitijs habitus, id neq; luctûs neq; gaudij causas hominibus præbere posset, nisi ipsi sibi fingere velint: At fatemur in his mentes humanas ad superstitionem pronas, & diaboli nebulis occæcatas, in perniciosissimos & detestandos errores facilimè labi, nisi Sol ille æternus Deus sui Verbi, quod ipsa veritas est, radijs eas gratiosé illustret: Ideoq; non admirandum est, Adonia cũ tanto luctu per Syriam, Phœniciam & Ægyptum, absque manifestâ causâ peracta esse: Cum verò Adonis, Sol, Osiris & Pluto, ipseq; Iupiter habeatur, vt hactenus demonstratum est, pro vno eodemq; subjecto, & vulgariter pro magno mundi lumine acceptus sit, cognito eorum vno & reliqua illa nomina quid significẽt, innotescunt, de quibus diversis locis copiosè egimus: Dicimus itaq; Adonim esse Solem Philosophicum, à Venere verè amatum, cujus illecebrosâ pulchritudine ille irretitus ab apro furioso Martis vim habente interimitur; mortuus lactucis plantis frigidis et humidis apponitur, perq; sex menses apud Ditem aut ejus conjugem Proserpinam detinetur; ac totidem apud Venerem: Ibi nigredinem, qui color Ditis proprius est, acquirit, hic rubedinem, quia ipsa Venus Rosea est; ideoque Rosas albas suo cruore purpureas efficit; de qua Veneris tincturâ venustè quidam Poëtæ canunt, ex quibus inprimis Ioh. Iov. Pontanus suo loco videatur. Orpheus, vt etiam aliàs insinuavimus, in hymnis suis semper ad vulgarem intentionem, vulgi captui accõmodatam respicit, ideoq; Adonim pro Sole videtur interpretari, dum ita eum describit.

Adonis quis.

Adonim allegoricè Solem esse non cœli sed Hermaphrodytum operis physici.

Qui cunctis alimenta refers, prudentia cujus
Plurima, qui vario lætaris nomine Adoni,
Germinum & idem author, pariter puer atq; puella,
Extinctæ atq; iterum splendens labentibus horis.

Quibus

Quibus versibus affirmat plurima nomina Adonidi tribui, vt antea recensuimus, alimenta qui cunctis rebus, hoc est, Philosophicis præstat, et germinare omnes colores in opere facit, qui nigredine extinguitur, et iterum splendescit successu temporis, qui pariter est mas, et fœmina semper juvenis: Vt hactenus de Iove, Osiride, Dionyso, Apolline, Sole, qui vnum quid sunt, demonstratum est: Quæ omnia soli Soli philosophico conueniunt, non cælestj: quis enim, nisi insanus, sexum hermaphrodyticũ soli communi attribueret, aut illum extinctũ diceret, cum sui respectu idem semper maneat, nec quoad nos extinguatur? Quis eius prudentiam iactaret nisi imprudens? Demus autem quod Græci divinitatẽ soli asscripserint, vt patet de Atheniensibus, qui Anaxagoræ solem lapidem ardentem esse, non deum, affirmanti, venenum dederint, vt & Socrati contra eorum deos sentienti; hoc potius tamen ex brutali affectione & irrationali persuasione factum est, quam ex Orphei vel Ægyptiorum traditione: Elephanti enim in Africa orientem Solem salutare, et quasi devotione quadam adorare scribuntur, et agrestes seu feri quicunq; populi absq; doctrinâ vllâ cœlestia lumina Solem et Lunam pro dijs semper coluerunt, nec opus fuisset Orphicâ institutione, seu ex Ægypto sacrorum translatione; Deinde de caussis solennitatum primis et vero vsu, non de supervenientibus et abusu hìc nobis sermo est: Hoc modo Solẽ pro Deo cultũ, eiq; sacra facta esse à vulgo cõcedimus, illo à sapiẽtibus nequaquam, sed occultũ quid (non omnium oculis expositũ cœli Solẽ, optimam creaturam, at non deum) sẽper denotatũ esse: Quibus et Lãpadophoria in *Promethei, Vulcani* et *Minervæ* gratiã observata annumeramus, quippe quæ singularem communitatem cum præcipuo Ægyptiorum Deo, *Vulcano*, Chymiæ non ignoto, nec non *Pallade* Atheniensiũ tutrice, sapientiæ dea, habeant; Præter hæc enim innumera quoq; alia apud varias gentes festa fuisse non ignoramus, tum etiam apud Ægyptios et Græcos; sed cũ hæc & proposito nostro sufficiãt & explicata per se alijs lucẽ præ- *Lampadophoria.*

stent, paucis illis hoc loco contēti, cæteris supersedebimus: Erat autem Athenis consuetudo, vt nonnulli accensas faces deferentes in vrbem decurrerent, alij post alios, easq; extinctas servarent, cujus verò fax extinguebatur, sequenti victoriam concedebat, qui ardentē ad metam attulerat, victor erat; si nemo, victoria in medio relinquebatur: Quod institutum licet quidam ad cursum vitæ humanæ accōmodent (vt fieri posse non diffitemur) tamen si nos consideremus causas, cur Prometheo, Vulcano & Palladi ara cōmunis fuerit in Academia, longè aliter sentire cogimur: Quis enim Vulcanus? an non ignis, aut circa ignem operarius? Quis Prometheus? an non Medicinæ, aliarumq; artium, vt & metallicarum inventor perhibetur? De eo enim sic Æschylus: *Quid proferam*, inquit Prometheus, *quot commoda educta per me sunt humi latentia? Ferrū vel argentum vel aurum, vel quis æs, ni mentiatur, repperit, quis me prior? Nemo profectò, ni velit mentirier: Artes repertæ quæq; sunt Promethei:* Hæc ille: Hic est, qui scintillā ignis ex Sole mutuatus humanis mentibus infixit; Hic est qui viam Herculi monstravit ad aurea mala Hesperidum: hic est, cujus statua in dextra manu cum sceptro erigebatur: De hoc Orpheus in hymno ita canit: Rheæ conjunx alme Prometheu, quasi ipse esset Saturnus; *De* Vulcano & Pallade superius satis: Ex quibus apparet revera mysticam causam fuisse, cur his dijs creditis ara communis erecta, ac solennitas lampadiferorum in eorundem honorem institutā sit: Cuius rei cum antehac meminerimus, hic eam cuilibet intelligenti saltem consyderandam relinquimus: Ab hoc more Græcorum ignis æterna nutritio apud Romanos videtur originem duxisse, quæ in Vestæ Deæ virginis reverentiam fiebat; Interdū enim Vestam pro terra, sæpius pro igne, ignisq; numine interpretati sūt, cujus colendi ritus hic traditur: Ovid. 6. de Fastis, Vestam apud Romanos nullam imaginē aut simulachrū habuisse, vt alia numina credita scribit, quia ignis in se non potest bene effigiari; ideoque in templo ejus sovebatur ignis, & dicebatur æternus,

Ara communis quibus dijs fuerit.

Mystica causa.

Ignis Vestæ sacer.

nus, cuius curam virgines Vestales habebant, quibus negligentia fovendi hunc ignem crimen capitale erat: Vnde dicit Valerius lib: 1. c. 1. quod Licinus pontifex Max: Virginem vestalem id est, deæ Vestæ consecratam, iudicavit igne cremandam, quod quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset. Et Titus Livius lib: 8. de secundo bello Punico ponit inter prodigia, quod ille ignis ex negligentia fuit extinctus: Ex his nemo non videt, quod si in Ægypto adeò Vulcanus, Vulcaniq; artes in precio fuerint, vt Lemnius ille ac claudus, ab alijs populis despectissimus deorum, maximum ac preciosissimum templum cum consecratione et nutritione Apis, totq; Sacerdotum (ex quibus et reges electi sunt) meruerit, inde quoq; apud Græcos Lampadophoria, eius honori attributa, et apud Romanos Vestæ solennia, originem duxisse, quomodòcunq; pòst in abusum et oblivionem venerint: At hæc de festis, nunc de certaminibus et ludis: Horũ etsi varia genera apud diversas quoq; gentes fuerint, tamen nos saltem quatuor eaq; præcipua, Græcis celebrata, pervoluemus: Finis, vt dictum, institutionis festorum fuit, vt arcana sub illis latentia sapientibus nota, alijs ignota manerent, ac præterea vt vulgus sub religionis forma, deorum metu, in ordine polytico retineretur; Idem et in certaminibus et ludis, tanquam à dijs ipsis confirmatis cernitur; Ac præterea, vt animosiores ab otio ad negotium, in pace ad bellum, ad corporis robur et sanitatem comparandum, nec non gloriam et nominis celebritatem aucupandum exercerentur et incitarentur: Novimus qua intentione ludi Equestres iampridem apud Germanos, (quos Torneamenta vocant) inceperint, et quo authore, nempe Imperatore Henrico Saxonico, primo, seu Aucupe cognominato, quibus vrbibus et personis celebrati sint, eorumq; finem vtilissimum toti huic genti fuisse non est dubium; Sic et antiquissimos ijsdem ferè rationibus motos esse verisimile est, dum certamina diversis temporibus instituerint: Verùm quid hoc ad chymiam spectet,

Vulcanus in Ægypto deorum præcipuus.

DE Certaminibus & ludis insignioribus Græciæ.

Ludi equestres Germanorum, Torneamenta.

traduntur, sed nos, quia nec dij, nec heroës illi revera extiterint, heroicum appellari posse agnoscimus, ideo, quia tum tot heroum et deorum fabricatores vixerint, nempe Orpheus, et longè ante ipsum Hermes cum tot Ægyptijs sapientissimis Philosophis, Sacerdotibus & Regibus, post eum verò alij Græci, quos ante recensuimus, Linus, Melampus, Musæus, Amphion, Eumolpus et reliqui; Ab his enim tota deorum & heroum progenies orta & propagata est: Ab his quoq; aut eorum sequacibus primum certamen Olympicum in Dei omnipoten- 1.
tis honorem, proximi commodum, inchoatum & ordinatum esse si opinabimur, vix fallemur; Eius initium, vt suprà quidam collocant in annum mundi 3189. (alij, 3187. vnum inclusivè, alterum exclusivè intelligendo) Vrbis verò Romæ conditionem in annum Mundi 3213. hoc est, 24. annis Olympiadum initium antiquius Româ: 775. annis circiter ante æræ Christianæ (seu Nativitatis Christi) initium: quod tempus coincidit in regnum Sabaci Æthiopis Ægyptij regis, quem Sethon Vulcani sacerdos & rex secutus est, & hunc Psammitichus, qui peregrinos prior admisit: Agebatur illud certamen quinto quòq; anno, vel quinquagesimo quoque mense, eoque mense qui Parthenius vocatus est, aut Α'πενταέτης, hoc est, quatuor annis expletis, quinto incipiente, ita vt Olympias spatium quatuor annorum comprehenderit: Incipiebatur die Lunæ decimo quinto transacto, hoc est in ipso plenilunio, peractis ante solennibus,, vt mos erat, sacrificijs, atque per dies quinque, totidem quoque ludorum generibus, nempe cursu, palæstra, disco, saltu & pugilatu celebrabatur: In quibus præmia victoribus coronæ ex oleastro proponebantur, atque ingens honos illis habitus est donaque à concivibus dabantur et à magistratu immunitates et privilegia plurima: Olympica dicebantur certamina ea, quia Olympus mons isti loco, vbi fiebant, vicinus erat, nempe in Eliensium regione non procul a Pisa civitate, et Alpheo flumine: Strabo lib: 8.

Certamina Olympica. Mercator Olymp: in A. M. 3154. Romæ condit: in A. M. 3178. Nativ: Christi in A. M. 3929 transfert.

Olym-

goram ex proportione pedis ad corpus humanum indagasse magnitudinem corporis Herculei, vt habet A. Gell. in initio noct. Att. Ex his quatuor opinionibus tres fabulosæ sunt, et vna saltem hystorica fide niti videtur, nisi tot adversarias haberet, à quibus & ipsa convulsa concideret: Nam Idæi illi Dactyli seu Curetes sive Corybantes dicti, qui Iovem nutrijsse dicuntur, ac cymbalis suis vagitum eius, ne à Saturno audiretur, occultasse, si vixerint, Iove ætate majores erunt & Saturno coævi, quod tempus Ægyptij vsque ad 20. milllia annorum retrò extendunt: Quod si verò ab Hercule Alcmenæ & Iovis filio deducere velint, eòdem res redit; multo magis, si ad Iovem ipsum authorem, qui cum Titanes vicerit, longè amplius spacium est, quod se in ipsum Nunquam exerit: Restat itaq; Iphitum ea instituisse: At quis ille? Rex non legitur, nec princeps; Vnde si ille est author, homo privatus est, literis & armis instructus; Verùm cum tot & tantæ allegoriæ primæ origini affictæ sint, non abs re putamus, poëtas philosophos innuere voluisse, de qua re, & à quibus authoribus isti ludi incepti essent: Si Apollo cursu vicerit Mercurium, de vtrisq; certiores sumus: Novimus enim Apollinem & Mercurium ex sua genealogia, quam antè tradidimus: Hic pedibus, ille armis valet; Hic Argum saxo, ille *Pythonem* sagittis confecit: Hic talaria gestans volatilis, ille aureis calceis ponderosus & firmus: Nihilominus Apollo Mercurium superavit cursu: Si verò Herculi Alcmenæ filio huius certaminis instituti gloria asscribatur, non repugnamus: Quia ipse & Iovi Olympio, tanquam patri, tantum honoris debebat, et ex tantis spolijs, nempe Solis filij, præstare poterat: Sol enim inter cæteros deos aureus putabatur, curru aureo incedere, ac omnia aurea habere, vt antè diximus sub *Æetæ*, Solis filij, aureo vellere; Ideoq; ditissimus, qui propria armenta, boves et oves habuit in Trinacria: Sed de Augiæ huius bobus et Herculis stabulario labore inferiùs dicemus: Vndecunq; igitur Olympicorum ludorum initium derive-

Apollo vicit Mercurium cursu.

tus, semper sub fabulis aliquid Veritatis Chymicæ, de eorum authoribus testimonium perhibens, delitescit: 2. *Pythia.* Idem de *Pythijs* loquendo locum inuenit: Hæc proximè post Olympia et antiquitate et celebritate fuisse ex hystoricis et poëtis constat: In honorem Apollinis, quod ille *Pythonem* in Delphis sagittis confixerit, qui postea insepultus ibi contabuit, vnde ita dictus, instituta dicuntur: Alij Pythonem pro latrone, alij pro dracone ingenti accipiunt, ijq; ex Ethnicis; Cum enim Ethnici Apollinem deum in terris versatum, armis et sagittis, vt pingitur, multum valuisse crederent et præsupponerent, nec negare possent vel auderent, ac interim irrationabile ipsis videretur tantum deum ob serpentem interfectum tantos honores adeptum, cum qualis serpens esset, aut qualis Apollo, non intelligerent, ideo explicârunt, vt potuerunt, nempe fuisse latronem vel draconem insignem: At nos Christiani, qui talem Apollinem non agnoscimus, contenti nè erimus illo responso? Minimè; Ideoq; non adeó inconsyderatè hæc exponamus, vt dicamus Apollinem hominem fuisse, qui latronem vel draconem interfecerit: Quid enim novi esset in hisce, hominem sagittis confixisse serpentem? An hoc tantâ poëtarum memoriâ dignum foret? An tantorum ludorum celebratione? Ne credamus quæso: Nam si à tam vili principio ludi isti incepissent, Authores primi abiectissimæ mentis et iudicij fuissent; De initio celebrationis loquor, non de successu: Fingunt autem poëtæ Pythonem prius Typhonem (transpositione literarum) dictum, fuisse serpentẽ non procul à Cephiso fluvio, qui fluit ad radices montis *Parnassi*, vt quoq; ait Dionysius in libello de situ orbis, natũ è terra à Iunone pugnâ percussâ, (de quo jam antè meminimus, quantæ numerosæ sobolis pater sit) quem Apollo interfecerit; Cumq; putredine tabe factus fuisset, *Pythonem* appellatum: Celebrabantur hi ludi vere ineunte ab omnibus Cycladum insulis, vt idem Dionysius tradit: Nonnulli ad Diomedem authorem referunt à Troia redeuntem, cum effugisset tempestatem, quæ Græcis ab Ilio

Ilio redeuntibus immissa est, apud Træzenios templum Apollinis Incensoris dicauisse & *Pythicos* ludos in eius honorem instituisse : In quibus antiquissimus mos erat, vt pulchrior ex omnibus hymnis, qui afferrentur, in honorem Apollinis caneretur : *Postea* veró cantus ad Cytharam fuit institutus & aulædorum atq; tibicinum certamina : Deinde variationes aliæ secutæ sunt, quas hic præterimus : *Præmia* sublata & coronarium duntaxat propositum ex lauro, quæ Apollini sacra habebatur : Et fuêre eadem ferè ludicra in *Pythicis*, quæ erant in Olympicis, quadrigis exceptis : Alij dicunt palmam eius ludi fuisse præmium, quam, vbicunq; essent victores, manibus gestabant, alij æsculum, nondum inuentâ lauro; Alij poma quædam Deo consecrata victoribus donari solita, vt scripsit in libro de Coronis Ister. *Primum* nono quoq; anno, postea ad quinquennium *Pythia* à ctasunt, quia tot Nymphæ dictæ sunt Parnasides dona Apollini, cum feram trucidasset, obtulisse : *Primâ Pythiade*, in quâ certârunt dij, vicisse Castorem stadio, *Pollucem* pugilatu, cursu Calaim, armatum Zetem, disco *Peleum*, lucta Telamonem, Herculem pancratio, eosq; ramo lauri coronatos ferunt : Pæanes ab his hymnis dicti sunt, qui in laudem Apollinis compositi canebantur : Erat autem rythmus eorum ille plærunq; qui à Sophocle seruatur in hoc Carmine, in Oedipode Tyranno : [illegible]

[illegible]

Ἰήιε Δάλιε παιάν,

Hoc est, Ieie Delie Pæan : Hinc Apollo cepit dici Ieius, vt Bacchus, Eueius ; ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, hoc est à medendo & *Pæan* ἀπὸ τοῦ παίειν à feriendo : Eius dei laudes & res gestæ canebantur idcirco ad illum placandum, quod ijs delectari putaretur, cum primus is, vt fama est, Iouis victoris laudes Saturno de regno depulso cecinisset carminibus. Cithara sumpta magnificisque vestibus indutus & coma mirificé ornata, vt

ait in secundo Elegiarum Tibullus:

Sed nitidus pulcherq́, veni, nunc indue vestem
Purpuream, longas nunc bene necte comas:
Qualem te memorant Saturno rege fugato,
Victoris laudes tunc cecinisse Iovis.

At nos omissis Ethnicorum nugamentis, scimus Apollinem talem nunquam extitisse in rerum natura, sed Orpheum ejusque sequaces Poëtas Hieroglyphicum nostrum Apollinem antea sub Genealogia aurea deorum satis descriptum intellexisse, non Solem Cœli, vt alij putant, nec hominem terræ; Ille noster heros jaculis & armis fortissimus incedens Typhonem, serpentem immanissimum interficit, qui cum superiùs declaratus sit, hîc non repetitur: *De* putrefactione hujus Typhonis, vnde Python & Pythia nomen acceperunt, Bernhardus comes noster ex Morieno, *Nisi*, inquit, *putrefiat & nigrescat, non dissolvetur, & nisi dissolutum fuerit ab aqua sua non poterit penetrari, vnde nulla coniunctio, mixtio nulla & per consequens nulla prorsum vnio:* Et Rosar. Philos. ex eodem Morieno: *Hæc terra cum aqua sua putrefit & mundificatur; quæ cum mundata fuerit, auxilio dei totum magisterium dirigetur.* Hermes quoque ait, *Azot & ignis Latonem abluunt & nigredinem ab eo auferunt*; Vbi addunt alij per ignem, ignem putredinis intelligi: Rosarius Phil. *Draco non moritur nisi cum fratre suo, & sorore sua, id est Sole & Luna, id est sulphure extracto habente in se naturam humiditatis & frigiditatis ratione* Lunæ, *cum illis Draco moritur, id est argentum vivum ab eisdem corporibus extractum à primordio, quæ est aqua permanens Philosophorum, quæ fit post putrefactionem & post separationem Elementorum, & aqua illa alio nomine dicitur aqua fætida.* Hæc satis elucidare possunt quis sit Apollo, nempe Sol noster, quis Draco, serpens aut Python, nempe illa aqua fætida quæ putrescit; Id clarissime Lullius Theor: Test. C. 10. testatur: *Et hac*, inquit, *ratione allegoricè oportet dicere, quod magnus*

Draco

Draco de quatuor est Elementis, & non intellectu literali, quia sit terra, aër, aqua vel ignis, sed sola natura est & una quæ continet in se naturam & proprietatem 4. *Elementorum.* Hic Draco ad *Parnassi* montis radices trucidatus legitur, quia ex *Parnasso* Apollo noster prodijt, inq; ejus vertice habitat cum sororibus Musis, & sic in eius radicibus serpentem telis conficit: Sanè digna fuit hæc bestia, quæ á tam nobili venatore interficeretur, cum habeat tot triformes fœtus, quos suprá numeravimus, qui inexpertum facilè tãquam parricidij reum de medio tollerent: Ovidius narrat à diluvio Deucalionis terram ob humiditatem putridã produxisse hunc *Pythonem*; idq; ratione non caret: Quia à Deucalionis & *Pyrrhæ* seminijs lapidosis Magnæ parentis ossibus jactis, Sole calefaciente terram suis radijs putridum hoc animal Typhon exoritur; De Diomede quod dicitur á Troja reduce, hystoriam sapit, nisi fabula subesset; de eo inferius: *Quod si Pythia à Diomede supponerentur instituta, longè Olympicis essent antiquiora; imò vel hoc mundo ante nondum sex millenaria à Creatore condito, quo Osiris, Isis, Apollo, Castor, Pollux, Calais, Zetes, Peleus, Telamon, Hercules, ab Ægyptijs longé statuuntur, vtpote dij, & à dijs oriundi antiquiores, si dijs placet: Ex hymnis quoq; apparet, Poëticam esse introductionem, & à literatis potius, quam armatis profectam: Musicus enim deus musico honore afficiebatur à sui amantibus *Poëtis*; Hinc laurus & in hunc diem hymnisonis merces & præmium: *De* pomis pro bravio propositis verisimile, at ex Hesperidum hortis deprompris, aliàs ridiculum fuisset poma obtulisse heroibus tantis, quæ pueris dari solent. *Quod nymphæ Parnasides novem, hoc est, Musæ, Apollini, cum feram trucidasset, dona obtulerint, verissimum est; Nam decima pars terræ cum novem aquæ partibus manere in fundo traditur, iuxta numerum 9. Aquilarum, vt habetur in figura Senioris: Hæ novem Nymphæ, quæ & lymphæ videntur, dona offerunt Apollini: sed non antequam ille *Pythonem* trucidârit:

Qui hæc aliter exponit, quam ipsa res patitur, in abditis literis nihil intelligit, imò vix primas ternas, licet in alijs vndequaq; doctus sit: De primis victoribus aliàs dictum est & dicetur in sequentibus: Cur Ieius dicatur Apollo, ex Etymologia desumitur, quia medicus est; cur Pæan illi sacer, quia miles; nempè cum medicinâ bellator, qua ille expugnat morbos: Medicina enim Philosophica omnium morborum humano quocunque modo sanandorum expugnatrix est: Ratiò quæ additur, cur Apollo hymnis decoretur, scientibus probabilis est, quia ille cecinerit laudes Iovis Saturno depulso; Nisi enim Saturnus deijceretur è regno in Tartara, hoc est, prima nigredo, Iovi nihil imperij aut laudis esset; Ideoque jure Saturnus depositus, imò vel exenteratus à Iove filio, quia ita decuit in arte Philosophica, non in Polytica: Ibi nullum est impietatis crimen, at scientiæ præmium, hic parricidium detestabile et horrendum: Vestes quas Apollo induit purpureas, nos maximè suspicimus: quia ijs indutum esse oportet, si Pæan sequi debeat: At nos non Apollini, qui nusquam est, nisi apud Philosophos, *Pæana* canimus, sed Apollinis datori; (quo nato obmutuit ille Ethnicus Apollo, (spiritus tenebrarum) hoc est Christo victori omnium falsorum numinum & triumphatori maximo: Nunc ad tertium ludorum genus trāsibimus, in honorem Neptuni, ad imitationem Herculis qui Olympia Iovi consecravit certamina, institutum à Theseo, vt Plutarchus scripsit in vita Thesei: Alij in memoriam Melicertæ à Sisypho Æoli filio primitus Isthmia peracta esse dicunt, vbi ille Melicertæ sui propinqui cadaver agnovisset, Athamantisq; filium: Nonnulli in Scironis mortem expiandam à Theseo inventa volunt, alij ob alias causas: Celebrata autem sunt in Isthmo Peloponnesi, ad Neptuni templum ibi celeberrimum quinto quoque anno: Archias *Poëta* non in Neptuni sed *Palæmonis* honorem Isthmia fieri solita scribit Epigrammate Græco, quod ita Latinè sonat.

3 *Isthmia.*

Quatuor


Quatuor in Græcis certamina, quatuor illa
Sacra: duo Superis, sunt duo sacra viris:
Sunt Iovis hæc, Phœbiq; Palæmonis, Archemoriq;,
Præmia sunt olea, pinea, mala, apium.

Fuerunt autem Melicerta & Learchus Athamantis Thebanorum regis & Inûs filij: Athamas furore percitus Learchum cecidit, quem mater in lebetem bullientis aquæ jecit, atque ipsa quoque mente capta, verita iram Athamantis e Petra Moluride vocata cum Melicerta in mare desilijt: Facta est Ino vna è Nereidibus, quæ Leucothea vocata est; at Melicerta Deus Palæmon: Melicertæ corpus à Delphino delatum est in Isthmum, quod vidit Corinthi rex Sisyphus: Inde Isthmia in honorem Melicertæ iussu Nereidum á Sisypho cepta sunt celebrari: Alij alias causas adducunt: Hæ nobis sufficiunt, quæ cum similiter ex arcanis Chymiæ depromptæ sint, de authoribus horum ludorum non dubitabimus, quin eos hujus Philosophiæ admodum gnaros fuisse: Nam Melicerta & Leucothea filius & mater, quæ personæ sint, Etymologia, nisi fabulæ contextus, satis doceret: ne quid de bullitione Learchi in lebete matris consilio facta moneamus; sic Progne Ityn, Tantalus Pelopidem, Isis Osiridem, mater semper filium coxit, eaque omnia sunt ex arcanis Ægyptiæ Philosophiæ deprompta & magisterio Hermetico maximè convenientia: de quibus cum alibi latius dixerimus, ad Nemea properamus: Hæc in Sylva quadam ita vocata, quæ fuit inter Phliuntem & Cleonas Achaiæ civitates in Archemori Lycurgi filij honorem celebrata sunt: Alij alias opiniones de institutione horum ludorum diversissimas adducunt: Nos posthabitis cæteris, illorum placita, qui maluerunt ab Hercule fuisse instituta, quia Nemeæum leonem ibi occiderit, amplectimur: Erat hoc certamen Epitaphi- 4. *Nemea.*


um

um sive funebre, in quo victores apio coronabantur, quæ funebris erat planta, idque ad perpetuam Archemorj memoriam: Post triennium duodecimo die mensis, qui πάνεμος dictus est, agebantur: quia eo mense Theseus Amazonas debellârat: Nemeam verò quidam volunt vocatam fuisse regionem Argivorum à bobus Iovis & Lunæ ibi pascentibus: Syluam quoq; Nemeam fuisse, in qua leo, ab Hercule prostratus, vagabatur, sub Herculis laboribus dicturi sumus; ad quos libro sequenti enarrandos, iam nos conferimus.

Finis Libri Quarti.




Liber



Liber Quintus.

DE HERCVLIS Laboribus.



Ama de virtute, robore, & laboribus Herculis immensis adeó increbuit per totum terrarum orbem, vt ne angulus quidam extiterit in quatuor mundi cardinibus aut partibus, vbi non innotuerit, in omnium ore & honore fuerit: Vnde cum quidam in consessu clarissimorum virorum Herculis laudes decantandas sibi sumpsisset carmine, alius Laconico hoc dicterio ipsi silentium imposuit dicens: Quis ignorat laudes Herculis? Inoportunum itaq; & quasi absurdum, imò impossibile, esse existimamus, Herculem tot seculis retró, vt Heroa præstantissimum receptum & agnitum, vel non fuisse omninó, vel saltem in mente Poëtarum & Philosophorum extitisse, tanquam ideam laboriosissimi monstrorum & tyrannorum domitoris, demonstrandum sibi sumere: Per nos licet, vt maneat, si quis fuerit Hercules, quomodocunque vocetur vel Ægyptius, vel Idæus vel Alemannicus, aut alterius nationis, cum noverimus omnem ætatē, omnemque mundi plagam suos Hercules & Marte & arte laboriosissimos exhibere, vt non o-

pus ſit commenticios aut ſicticios alios & remotiſſimos ab inferis revocare: Verum illum ipſum Heroa, cui tot, tales ac tanti labores imperati dicuntur, vix vnquam extitiſſe facilè convinceremus, non quidē hyſtoriarum monumentis, quæ vix vlla, niſi Poëtarum allegorica adſunt, ſed ex conſideratione ipſius ſubjecti & laborum, quos perpeſſus traditur: Hi enim cum ejuſmodi ſint, vt partim non deceant virum adcò magnanimum ob levitatem & vilitatem, partim quia hominis vires, omnemq; rationem longè ſuperent, inq; omnibus aureæ genealogiæ dijs deabuſq; antedictis conveniant, magis quàm vlli vnquam ſcriptores, Herculem ſuis vivíſq; coloribus depingunt. Nam vt picturæ artificioſiſſimæ muta aliqua Poëſis dicuntur, ſic ipſa facultas Poëtica loquens pictura æſtimari non immeritò poteſt; Ex qua, nempe Poëtarum antiquiſſimorum figmentis, quicquid his vltimis ſeculis de Hercule ſcimus, hauſimus; ſcribant hyſtorici, qui poſt Herculis tēpora vixerint, quid velint, cum vix vllus eorum Homeri, multò minus Orphei Poëtarum Coryphæi, ætatem attigerit; qui tamen ipſi Herculi nullo modo coætanei, vt de ejus rebus geſtis hyſtoriam abſq; fictionis ſuſpitione condere potuerint, fuiſſe reperiuntur: Orpheum omnium primum figmenta & allegorias de dijs & heroibus ex Ægypto in Græciam tranſtuliſſe certiſſimum eſt; atque inter cætera condidiſſe opera, quæ ipſe in initio Argonauticorum recenſet, de laboribus Herculis: quemadmodum & de gigantibus cum Iove pugnantibus, de raptu & luctu Proſerpinæ, de Cereris erroribus, de luctu Ægyptiorum Oſiris cauſa, de Veneris & Minervæ ſacrificijs, alijſque ejuſmodi, quæ deinde ad Græcos pro factis deorum & heroum propagata ſunt: Si itaque Orpheus horum primus author eſt, nec ante ipſum Græcus Scriptor, niſi forte fictitius extet, multò minus aliarū gentium, (Iſraëlitas ſemper excipio) quid nugentur illi, qui de Heroico ſeculo multa dictitant, quæ perſonæ deorum & heroum tum vixerint, quid perpetrârint, quæ ſanda

Muta Poëſis Pictura loquens.

Orphei opera.

Ante Orpheum vix vllus Græcus ſcriptor extat.

fanda nefanda effecerint, quanto temporis ſpatio ante nostram ætatem in vivis fuerint, & his ſimilia; Taceant illi præpoſteri rerum, quas non intelligunt, iudices aut alios ſcriptores Orpheo antiquiores nobis reverá producant; Nec ſatis eſt quem in medium protuliſſe, qui ætate minor ſit longé Orpheo & Homero, figmenta autem ſua ſeu Chronologias & perſonarum fictarum res geſtas extendat longiſſimè ſupra Orpheum; quemadmodum multos ejuſmodi inter Græcos inventos eſſe illis temporibus non eſt dubium; nec ſolum apud Græcos, ſed etiam alios: Quæ non ideo dicta velim, quaſi omnia illa antiquiſſima Ethnicorum in dubium revocem, ſed vt ſaltem quorundam ſcriptorum errores agnoſcantur, qui vt ſuæ civitatis vel gentis ortum à dijs demonſtrarent, ſedentes domi, magnas genealogias regum à dijs ortorum, eorumque res geſtas ſupra mille annos retrò reſpicientes effinxerunt: Novimus Beroſum ſatis antiquum eſſe ex Ethnicis, ac ſimiliter quāplures alios ſcimus Abrahami, Iſraëlitarū patris, mentionem facere, verū illi vel ex Patribus & Chaldæis, aut Iudæis multa per traditionē acceperunt, quæ verò de dijs & heroibus illis habent, ex ſuis ſcriptoribus, rarò oculatis teſtibus, ſæpiſsimè ex ſeipſis tanquā aranei hauſerunt: In hoc genere Ægyptij palmam præripuerunt alijs, nec non exemplum vanæ gloriolæ de antiquitate contendendi reliquerunt; quorum nonnulli recentiores ſcriptores impudenter affirmant in Ægypto per octodecim millia annorū deos & heroas regnaſſe; nec id ſatis, ſunt qui centū millia annorū tribuant Ægypto, quod Aſtronomiæ & Geometriæ ſcientiā habuerit: Quis hic riſū teneat? quis non naſū Rhinocerotis habeat? quis puer ſenes illos delyros præ ſenio nō ludat? Sed non noſtrū eſt ad aperta mendacia reſponſum reddere, cū hæc ſe ipſi, tanquam Polypi in fame ſuos pedes corrodant: Si Orus eſt vltimus deorum, qui regnavit, cum pater eius ſit Oſiris, & huius Saturnus, huius Cælus, quis huius erit pater? nullus, quia Cælus

Beroſo ſtatua aureâ linguâ poſita, teſte Plinio. l. 7. c. 37.

Vana gloria Ægyptiorum de antiquitate.

Horus ab Ægyptijs dicitur Sol, Bocatio teſte

Cælus est absque patre: Tota erga deorum series est, secundum Ægyptios, Cælus, Saturnus, Osiris, Orus, atque hi sunt Dij qui regnârunt tot mille annis; post hos narrantur homines regnasse reges numero 475. ad *Alexandrum* vsque quorum singulis si deni attribuantur anni, fient 4750. anni, quibus homines in Ægypto regnaverint, cum tamen à mundi creatione ad Alexandrum saltem 3629 à diluvio 1973. à Nimrodi primo regno 1842. ad eundem Alexandrum numerentur anni: quo exiguo temporis spatio, nondum bis mille annorum quomodo 475. reges Aegyptij regnâsse poterunt, nisi singulis quaternos attribuamus annos? Si veró quatuor menses pro integro anno numerent, vt soliti dicuntur, longé minor erit annorum summa, quàm prior, sed numerus regum non correspondebit; At si mensem pro anno lunari cōputent, concedimus ad Alexandri tempora 20000. annorum spatio ipsos habuisse reges; De numero non sumus solliciti valdè; Herculis vt monstrosa facta, ita & ortus incredibilis narratur; de quo Orpheus in Argonauticis scribit hoc modo.

Mercator A. M. 3474. ad Alex. numerat.

Hic prius Herculeum robur mihi cernitur: olim
Hunc Alcmena Iovi peperit coniuncta superno,
Cum latuit Phœbus longas tres ordine noctes
Continuas, caruitq́; die Sol, lumine Soles.

Nā cum Alcmena ex Amphitryone prægnans esset, tamen vt ex se etiam conciperet, dicitur Iupiter tres noctes in vnum conjunxisse, quod spacium totum in exprimendo *Hercule* absumpsit. Quo Poëtarum figmento non solum contra rei ipsius veritatem, sed pietatem in deos, naturam eiusque ordinem, bonos mores & vitæ civilis institutionem peccatum est: sed excusandi videntur, si mens illorū respiciatur, non verba, cum enim effectum non vulgarē, sed optimum exprimere voluerint, optimam causam elegerunt, cum hominum fortissimum

Figmenta somniantium.

mum

mum, non ex homine sed deo natum finxerunt, idq; non communi modo, sed tanto temporis interuallo, quo vel mille alij propagari possent: Sic Palladem ex Iovis Cerebro natam finxerunt, præternaturali partu, vt pote summã sapientiã & ingenij subtilitatem innuentes: Hercules itaq; cum robur & constantiam secum ferre debeat & denotare, á robustissimo, nempe Iove, & longiori tempore progenitus fingitur: Poëtæ enim seu primi authores Ægyptij non curant naturæ aut morum rationem communem in suis fictionibus, si saltem id, quod velint, commodé exprimant: Hinc tot adulteria, libidinum formæ & vitiorum monstra etiam á Iijs, quos finxerunt, commissa ab illis etiam cum laude decantantur & per oppida hymnis celebrantur; Quasi dicerent ac faterentur, non esse reverà deos, de quibus tot & tanta fingant, sed homines fuisse, (vt nonnulli sacerdotum confessi sunt,) aut deos existimari hominum manibus fabricatos, de quibus Hermetem in Asclepio Dial: differentem agnovimus: Natus deinde Thebis est Hercules, Iove patre & Alcmena matre, vt dictum: Fratrem habuit Iphiclum vnâ nocte iuniorem Amphitryonis filium miræ celeritatis & pedum levitatis: Vt autem causa manifesta esset tot laborum ab illo vno exantlandorum, finxerunt, hos fato quodam illi impositos hac ratione: Cum nonum mensem ageret Hercules in vtero, & septimum Eurystheus Stheneli, Mycenarũ regis & Archippes filius, Iupiter ex his duobus, illum alteri imperaturum, qui prius in lucem ederetur, dixit: Hinc Iuno septimestrem Eurystheum produxit, cum Hercules primo die mensis decimi postea nasceretur: Iuno autem Herculem, vt pellicis filium iam recens natum omnibus modis inuisum habuit: Eumolpus autem ille, qui librum de mysterijs composuit, scripsit, Herculem primum quidem fuisse inuisum Iunoni propter matrem pellicem, at placatam fuisse à Pallade, cuius etiam hortatu Iuno lac præbuerat paruulo, eumq; fecerat immortalem: Tumq; fabulantur, viam lacteam in cælo factam ex lactis effusione, cum Hercules *Eumolpus de mysterijs.*

commisiſſe, cum multorum regum & deorum filiabus cōcubuiſſe & ex illis liberos ſuſcepiſſe, ex quibus & Herculem vnum, in quem omnes ſui corporis ac roboris vires contuliſſet Iupiter, putârunt; Cumq; Iupiter potentiſſimus deorum & quaſi omnipotens præſupponatur, non illi factu difficile aut impoſſibile exiſtimârunt filium, tot monſtrorum domitorem & rerum aliàs incredbilium effectorem, mundo producere & offerre: Ideoq; illi omnia Herculis facta pro factis & non fictis acceperunt; Vnde autem hæc opinio in vulgi mentem peruenerit, ex circumſtantijs partim ante dictis colligi poteſt: Nomen Iovis à Iehouah remanſiſſe apud ethnicos non eſt dubium; Cumq; Iehovah ſit omnipotens, qui filium ſuum in mundum miſſurus eſſet, vt Diaboli monſtroſa opera, hoc eſt, Cerberum, Inferos & huc ſpectantia alia deſtrueret, quemadmodum ſub vmbris, aut etiam, vt dicitur, ex apertis Sibyllarum vaticinijs apud ethnicos eruditiores conſtabat, hinc occaſionem præbuiſſe potuit figmento de Herculis, Iovis filij, robore & inuicta fortitudine: quorſum & videtur ſpectare, quod idem Hercules fingatur tres dies ac noctes in ventre ceti degiſſe, velut de Iona in ſacris legitur, qui fuit imago Chriſti, per tantundem temporis in gremio terræ olim permanſuri & pòſt reſurrecturi; Cumq; Hercules ab alijs dicatur tempore Sampſonis vixiſſe, forte ab hoc multa ad Herculem afficta credi poſſunt; Sampſon autem robuſtiſſimus heros haud dubia fuit figura & typus Chriſti victoris ſuper diabolum omneſq; ſuos hoſtes triumphaturi; Talia, inquam, à vera Iſraëlitica hyſtoria petita occaſionē fortè præbuerunt, multa Herculis laboribus afficta fuiſſe, vt & ipſi Ægyptij vel alij ethnici tantum Heroa habere viderentur: Sive hæc ita ſe habeant, ſiue non, nos exiſtimamus primam originem fictionis huius allegoriæ de Herculis laboribus aliunde produci, et antiquiorem eſſe ipſo Sampſone, vel etiam Hermete: Cum enim hic Herculis mentionem faciat, nempe ipſum vna cum Prometheo et Mercurio Iſidi vt Ægypti præfectum, ab

Fr: Iun: in præf. Gram: Hebraa.

Multa Herculis laboribus afficta.

Aurea perpetuo depectunt vellera Nymphæ:
Quæ prima Heroum pubes rate sancta petivit,
Nec timuit tantos per fluctus quærere summis
Tum ducibus ditem sub Iasone & Hercule Colchon;
Alter inauratam noto de vertice pellem,
Principium velut ostendit, quod sumere possis,
Alter, onus quantum subeas, quantum'q; laborem *Iason.*
Impendas crassam circa molem & rude pondus,
Edocuit; Neq; enim quam debes sumere, magnum *Hercules.*
Inuenisse adeò est, habilem sed reddere massam,
Hoc opus hic labor est, hic exercemur inanes
Artificum curæ, varijs hic demiq; nugis
Sese ipsos aliosq; simul frustrantur inertes.

Præter hos duos, in Vlysse quoq; errores artificis varij tanquam eius magistri describuntur, de quibus circa finem sexti libri agetur: Si quis autem existimet, Herculem ac Iasonem, vt & Vlyssem, ad Chymicos artifices referri non posse, propterea, quod hi sint heroës armis clari, rebus gestis insignes, principe loco nati, & econtra Chymiæ dediti plæriq; abiecti animi, humilis originis, nullius celebritatis, nisi fortè quod carbones multos consumant, et non pauci ob fraudem; Imó quod Chymia non sit ars, nisi astutia, nec vtilis, at damnosa, nec difficilis aut adeó laboriosa, sed facilima tot libris prostituta vulgo & operarijs vilissimis; Huic ita censenti velim censoriam illam virgulam ademptam tam diu donec ipse censeatur an eâ dignus sit: At à quo censeri debeat? Sanè à mortuis, qui dicuntur, vt consiliarij, sic censores iustissimi; qui absq; assentatione Veritatē falsitati præferunt: Eat itaq; talis immaturus cēsor ad authores mortuos, non fabros aut lanios, hisue similes, sed ad literatos, non geometras, aut iurisconsultos, aut alios artium trivialium magistros, sed ad Chymicos, nec eos quoscunq;, qui rosaceam distillant, aut absynthiten faciunt, verum ad artifices opere et effectu probatos, quos si aliquot habemus centurias: Nos hic vnius aut alterius ex illis dicta citabimus, quibus probabitur, sanitatem et robur corporis,

Consiliarij mortui optimi censores.

corporis, nec non manuum operationem in artifice vero et perfecto requiri; Geber in sum: perfect: cap: 4 *Dicimus igitur*, inquit, *quod si quis non habuerit sua completa organa, non poterit ad huius operis complementum peruenire per se, velut, si caecus fuerit, vel extremis truncatus, quoniam non iuvatur à membris, quibus mediantibus ars hac perficitur, tanquam naturae ministrantibus: Si verò fuerit artificis corpus debile & agrotum, sicut febrientium vel leprosorum corpora, quibus membra cadunt, & in extremis vitae laborantium, & iam aetatis decrepitae senum, ad artis complementum non perueniet:* Haec ille: De constantia & perseuerantia idem cap: 5. & 7. *Oportet etiam*, inquit, *ipsum sedulum operi vsq; ad consummationem ipsius insistere, vt non opus detruncatum dimittat; Quia nec scientiam proficuam ex opere diminuto acquireret, sed potius desperationem & damnum.* Caetera huc non adducemus; Quam difficilis verò haec ars sit, licet vera, id raritas verorum artificum demonstrat, praeter eorum testimonia; Quibus asserunt ad huius artis perfectionem assequendam plura praesupponi; Sic enim Arnoldus Rosar: l: 2. c. 5. *In ipso ergo tria sunt inquirenda, puta subtile ingenium artificis, opera manuum et arbitrium; quod quidem requirit divitias, sapientiam & libros:* Similiter Lull: theor: test: c: 31. *Et idcirco fili tibi dico*, inquit, *quod tria requiruntur, scilicet, ingenium subtile, naturale, non sophisticum, manuum operatio, et liberum arbitrium, et hoc requirit sapientiam, divitias et libros: Sapientiam, ad sciendum facere: Divitias, ad habendum potestatem faciendi; Libros, ad intellectum aperiendum diversum, qui est in multis gentibus:* Haec Lullius: Quae sanè Iasonis pericula & Herculis labores videntur requirere, nec absq; Vlyssis erroribus perfici posse; Si quis de difficultate chymiae plura desyderet, consulat aliorũ de hac re libros: Nobis hic sufficiat, Herculem quem in cunis reliquimus, (iam in tenellâ aetate serpentem philosophicum constringere se exercentem) aut apud tot suos magistros instituendum, pro artifice laboriosissimo operis philosophici intelligi, demonstrasse: Praeter patrem & agnatos Herculis aureae genealogiae agnitos, ipse Osyridi coaeta-

Coaetanei Herculis.

coætaneus statuitur, ab eoq; Præses Ægypti relictus, qui Nili impetum compresserit, Busiridem, Antæum, Prometheum & Mercuriũ, collegas, præfectos officijs certis habuerit, vt primo libro docuimus; Quorũ priores duos ipse fingitur trucidasse ob tyrannidem; Atq; hic vixit Hercules Saturni, Osiridis, Iovis & cæterorum deorum tempore, imo Argonauticæ expeditionis & Troianæ, cuius si habetetur ratio, forte ad aliquot millenaria annorũ, iuxta Ægyptiorum traditionem se extenderet; At quales sunt eius socij Argonautici & Troiani, item Mercurius & Prometheus, talis & ille: De illis omnibus & singulis sub cuiusq; tribu actum est: Magistri quoq; Herculis discipulum depingunt & ignaris ob oculos ponunt; Inde vt apud Gell.ũ habetur facilè ex Protagora de Euathlo iudicium fieri potuit, quod proverbio locum fecit, Mali corui malum ovum; Hæ autẽ sunt artes, quibus eruditus traditur, Iaculatoria, Poëtica, Musica, lucta, curruũ agitatio, equitatio, armaturæ instructio & astronomia: Hi præceptores: Rhadamantus, Linus, Eumolpus, Harpalycus, Autolycus, Amphitryon, Castor & Chiron; Ijs artibus ab his præceptoribus Hercules instructus tot & tantas res illustres perfecit: Ita Marte & arte inclytus Heros evasit, virtute duce, labore comite: At de his alij iudicẽt ex antè relatis, nunc labores Herculeos aggredimur, quorum præcipuos, etiam vltra duodenos illos delibabimus: Iuno itaq; Herculi infestissima fingitur ipsi hos labores per Eurystheum imposuisse, vt vniversum terrarum orbem monstris horrificis expurgaret: Primum omnium laborum Herculi fuisse memorant Leonem Cithæronæum, à monte Cithærone ita vocatum, occidere; Fuit autem hic leo non Asiaticus aut Africanus, sed planè cælestis prosapiæ, vt de eo Chrysermus lib: 2. rerum Peloponn: sic scribit, Iunonẽ supplicũ de Hercule sumere volentẽ, Lunã in auxiliũ, carminibus magicis vsam accivisse, quæ cistã spuma implevit, è qua natus est hic leo: Hinc Anaxagoras asserit hunc leonem ex orbe lunæ decidisse in terram; Qui penitus invulnerabilis erat, nec sagittis

Gell: lib. 5. c. 10.

Artes, quibus eruditus Hercules.

1. Leo Nemeæus vel Citæronæus.

 confici

confici potuit; Quidam dicunt, quod Iris, Iunonis nuncia istum leonem gremio stringens in montem Opheltam deportârit. Hanc itaq; beluam Hercules, cum vix decimum octavum ætatis annum attigisset, aggressus, cum sagittis lædere non posset, ad clavam, quæ multo ferro gravis erat, ventum, cuius crebris ictibus ipsum prostravit, deinde nudis manibus diripuit & dissecuit, pelle ipsi detractâ, quam pro tegumento corporis in posterum gestavit. Heroicum sanè hoc est facinus & Hercule, tanquam altero Sampsone, dignum quod hystoriæ fidem cum admiratione impetraret, nisi adderetur signum hieroglyphicum leonis, ipsum inuulnerabilem ex Luna, eiusq; spuma procreatum, decidisse; At quid hoc, dices, ad chymiam, leonem prosternere? Maximè, inquam; Quia artifici Chymico cum leone congrediendum est, penè invulnerabili, qui quoq; ex spuma lunæ natus sit; Audiamus vnum & alterum testimonium de vtrisq;: De Leone viridi notius ferè est, quam quod probatione egeat: Huius meminit Morienus: Cum inquit, *Sume fumum album & leonem viridem & almagra rubeum & immunditiam mortui*: Et paulo post: *Leo viridis est vitrum, almagra quoq; est laton*: Rosar: ephæx tabula scientiæ maioris: *In primo habetur, in leone nostro viridi vera materia; & cuius coloris sit & vocatur adrop, azot aut duenech viride*: Riplæus; *Nullum corpus*, inquit, *immundum ingreditur excepto vno, quod vulgariter vocatur à philosophis leo viridis*; In Epistola Solis; *Beatus, qui cogitat in eloquio meo, nec dignitas mea ipsi negabitur, nec vilescet per carnem infirmatus leo*: Et in parabola de Venatione leonis, apud Seniorem; *Dixit ergo Marchos matri suæ; Quomodo venaris leonem? & admirata est mater eius, & dixit: Ego respicio in eum &c: Cum autem apportavero illum super ignem, facit odorem, quem diligit leo; Cum vero leo odorat Lapidem illum, venit velox, vt intret thalamum illum vitreum &c: Et hic lapis, quem diligit leo, est fœmina: & quæ sequuntur*: Author quoq; consilij solis & lunæ explicans Epistolæ solis ante dictum: *Leo*, inquit, *id est, sol inferius, vilescit per carnem, hic*

Hieroglyphicum signum leonis.

hic est Metaphora; sicut Leo fortis & rex animalium vilescit per infirmam carnem suam, die enim quarto in quartum, quartanam naturaliter patitur, ita Leo natura per carnem suam sibi contemperaneam lunarem vilescit & eclipsatur: Hæc ille: Ex quibus satis apparet quid Leo sit in arte, & quod sæpenumero pro subjecto ejus vsurpetur; Dicit quoq; hic vltimó citatus author, leonem esse Solem, qui habeat sibi lunarem naturam adjunctam; vnde patet, cur hic leo dictus sit ex Luna decidisse; Nam reverà Leo seu Sol artis ex Luna decidit: At quod dicitur de sputo Lunæ, fortè peregrinum æstimari posset vnde Leo ille generatus est; sed si authores nostrates consulantur, manifestè constabit ipsos sæpius sputi Lunæ mentionē facere; sic Author Auroræ, cap. 12. *Aliqui,* inquit, *Philosophorum posuerunt esse totum arcanum in eo & vocaverunt ipsum diversis nominibus propter naturæ suæ excellentiam; vt in libro Turbæ Philosophorum scribitur, quia quidam vocârunt ipsum à loco, vt gummi, sputum Lunæ, quidam à colore, vt sanguis:* vbi notandum, quod dicit author à loco vocari sputum Lunæ; quo videtur respicere ad Leonem in loco Lunæ generatum ex spuma; sputum enim pro spuma dicitur & habetur: Si Turbam consulamus, in multis locis quoque invenietur sputum Lunæ; Nam Astratus, *Qui veritatem,* inquit, *vult assequi, capiat Solis humorem & sputum Lunæ:* Item *Pythagoras, Intelligendum vobis ô turba, quod Sulfur, & calx & alumen, quod ex pomis & Kuhul, & sputum Lunæ ac sputum combustibile, omnia illa scilicet nihil aliud esse, quam aquam sulfuris & aquam ardentem.* Et Anastratus: *Præter hæc dico, quod nihil est precisius arena maris rubea, & est sputum Lunæ, quod Solis lumini iungitur & congelatur:* Belus quoque, *Quidam sputum Lunæ, quidam cor Solis eandem aquam nominaverunt.* Ex quibus pro exemplo adductis satis elucescit qualis sit leo, & qualis sit Luna, ex cujus spuma seu sputo generatus ille dicatur; item, quis labor Herculeus in hoc trucidando, nempe Philosophicus; Non enim eminùs sagittis, sed cominus clavà, quam post Mercurio consecrat, & manu

cum prosternit & diripit, donec pellem ipsi detrahat pro insigni victoriæ: Sic enim Basilius Valentinus; *animal de oriente*, inquit, *pelle sua leonina spoliari debet, eiusq; alæ euanescere atq; tum simul ingredi magnum Oceani salum, cumq; pulchritudine iterum egredi.* His rebus gestis de Leone auditis, Rex Bæotiæ, qui quinquaginta filias habebat, sperans fortissimam ab Hercule sobolem suscipere, seq; numeroso nepote avum reddere, eidem omnes subjecit simul, quas ille vnâ nocte prægnantes fecit, exemplo naturæ, vt rarissimo, sic stupendo; quod quidam pro decimo tertio labore eoq; durissimo his versibus testatur:

2 *Quinquaginta virgines vna nocte gravidæ factæ.*

Tertius hinc decimus labor est durissimus, vnâ
Quinquaginta simul stupravit nocte puellas:

Niholominus constat Theophrastū Græcum authorem antiquum & fide dignum scribere suâ ætate Indum quendam vsu vnius herbæ vel radicis Venereos actus septuagesies continuasse, sed authorem cum remedio interijsse: Quomodocunq; sit, Allegoriam in his rebus, vt & alijs, præsumimus, licet forte quid tale per artem præstari possit, non tamen ideo censemus adeó memorabile, vt Herculem dijs annumeret: De Proculo Cæsare, quemadmodum ipse sibi testis est, scribitur, quod centum Sarmaticas virgines, bello captas, spacio quindecim dierū, quantum in se fuit, omnes mulieres fecerit, forté Herculis exemplo instigatus: At Herculeæ istæ pellices omnes mares peperisse narrantur, quod vim ejus summè calidam arguit; Nos vt factum accipimus, sed non imitandum Proculo, sed Philosopho in arte occultâ, quâ masculus cum fœminis conjungitur, si pondus observes, quinquaginta; Nec enim absq causa ab Arnoldo rosl. l. 2. c. 16. dicitur; *Cum autem terra exhauserit de aqua quinquagesimam sui partem, tunc illam sublima fortiori igne*; Cuius & meminit Lullius in codicillo, Paragrapho, *Partus verò terræ*, c. 53. & alij permulti; Terra enim & aqua sunt masculus & fœmina: Præter dictos filios Hercules innumeros alios ex Megara Creontis filia, alijsque concubinis suscepit, ab ipso patre trucidatos

Virilia sanè facta.

cidatos aut in ignem conjectos; Dicitur autem Creon fuisse rex Corinthi, cujus filiam Glaucam Iason quoq; post Medeam duxit, sed illa ab hac veneno infecta interijt: Hinc Hercules ab Eurystheo vocatur, vt hydram immanem & formidabilem plura capita habentem, in palude Lerna Argivi Mycenæiq; agri versantē interimeret: Hæc sub platano ad fontem Amymones amplissimâ educata erat, septem, vt alij, 9. vt alij, 50. capitum, quorum si vnum cædebatur, priorum numerus duplicabatur continuò, nisi quis concisum reliquum colli thyrsum igne statim combussisset. Hydræ venenum fuisse pestiferum hominibus, & aquas & aërem infecisse, ipsamq; campestria loca impetu facto devastasse aiunt: Hercules cum torribus accensis ad eam accederet ab Iolao auriga adjutus, Hydræ cancer à Iunone missus subvenit, at tandem ab eo suppressa est: De Cancro & Hydra in Cœlum à Iunone translatis ex fabulis constat; Vbi notandum Astrologos signo Cancri, quod & situ & magnitudine signo cælesti impar est, nempè extra suum locum, nimisque exile existens, multa à natura Cancri retrogradi piscis desumpta assignare, et sic de leone, tauro, ariete, virgine, geminis, et reliquis omnibus constellationibus, vt et Planetis singulis pro suo judicio facere, cum tamen illos respicere oporteret, an Deus illam naturam & denominationē dictis stellis imposuisset, an verò homines pro suo arbitrio; si homines, ex qua causa, an eâ, quæ conveniat earum stellarum naturæ, an ex alia? Atque sic invenirent omnes illas denominationes á fabulis profectas esse; fabulas à rebus terræ, non cœli, nec quicquam significare de stellis firmamenti aut Planetis superioris Mundi, at de rebus alijs occultis effictas et introductas esse; Geometria quoque Cœlum dividere potest in duodecim signa cælestia æqualia secundū polos Zodiaci vel in totidē domicilia secundum æquatorem & polos Mundi, vel secundum horizontem et Zenith; at quid hæ divisiones effectuum stellis impertiri possunt? Nihil

3 *Hydra Lernæa.*

Astrologia ab Ægyptiorum et Græcorum fabulis orta apparet.

Erectio Cœli figurarum vnde dependeat.

hil opinor, quicquid ab experientia petatur probatio, quæ nulla est: Hæc monere volui ideo, vt abusus Astrologiæ, qui ab Ethnicis vnà cum tot superstitionibus derivatus est, caveatur, verus & legitimus vsus Astronomiæ probetur: Nam veteres Ethnici, qui reverà putarunt Hydram illam à Iunone vt & Cancrum sy̆deribus illatum esse, & sic etiam alia quæcunque animalia in deorum naturam sy̆deream migrasse, suo quasi jure istis constellationibus vim & potestatem illorum animalium, vel in illa attribuerunt: Nam si Achelous fuit Taurus, & postcà in Cœlum translatus, inque certas stellas dispositus, aliquid taurinæ virtutis obtinebit; & ita de reliquis; Hoc fuit fundamentum doctrinæ Astrologicæ ab Ethnicis ad nos propagatæ, quod nisi ex his animadverti posit, vel integro libro, si opus esset, facile demonstrari liceret: Sed vt ad rem redeamus, hydram esse aquaticum Serpentem, vel in aquis degentem, ipsum nomen indicat; at multorum est capitum, quorum vno resecto, priorum numerus crescebat, solumque remedium fuit combustio cum igne; Si Hercules talis fuisset, qualis fingitur, nihilominus appareret hanc esse Allegoriam; Quid multis? noster Serpens in arte ex aqua concrevit; Libri nostrorum pleni sunt hujus descriptionis; Basilius Valentinus de occulta *Phil*: cap. 1. Quomodo Mercurius natus sit, inter cætera Allegorica tradit, ex aquis serpentem seu hydram, Orcades dictam, ejectam, ex cujus faucibus vapor & fumus igneus expirârit; & quæ addit, huc non adducenda; Prætereà infinita loca sunt hydram nostram attestantia, quæ præterimus, & saltem vnius Lullij vnicum testimonium propriè & ad rem huc transferemus; qui Theor: test: c. 3. *Quartum est*, inquit, *quædam substantia procedens ex minera sua, & infrà ipsam magis propinqua naturæ metallorum, quæ calchantis & azot vitreus ab aliquibus nominatur, quæ est terra & minera metallorum, & alio nomine vocatur Vrsinus, lucens et album, in occulto rubeum, nigrum et viride publicè, habet colorem lacertæ venenosæ, immediatè generatus*

Causa cur certis stellis certæ vires adscriptæ sint apud Ethnicos, ex allegorijs patet.

neratus ex argento vivo, materia supra dicta, impregnata ex dicto vapore calido et sicco sulphureo in sua resolutione congelata in lacertam, ex quo est forma et species Spiritus fœtentis in mixione, cuius est calor mineralis multiplicatus, qui est vita metalli: Hæc lacerta & serpens & hydra nostra est; quæ si non rité occiditur, reviviscit, hoc est, volatilis fit, & viva permanet; Draco enim non occiditur nisi suo fratre & sorore simul: Comburitur autem extremitas eius colli igne; Nam cum igne tota res perficitur: Quæ intelligenti sufficiunt: ne quid dicam de veneno ejus, quàm multis pestiferum existat artificibus eam occidere frustrá tentantibus: Post hanc Hercules aggressus est Cervam aurea cornua & æreos pedes habentem, de quibus superius, lib.2. satis egimus. A Centauris deinde irritatus, cum apud Pholum vini potione exciperetur, magnam eorum manum occidit: Per Centauros autem, Titanes, Satyros, Silenos, agrestes & heterogeneas partes admixtas denotari non dubitamus; Excipitur autem Centaurorum iustissimus & sapientissimus, quia Saturni filius, Chiron, Herculi ab institutione Astrologiæ: At quæritur, quid hæc Herculi profuerit? Responderi potest, quia ad Atlantem montem, & Astrologum, cœliferum tendens, eâ opus habuit, vt cœlum sustineret, donec ille de aureis malis Hesperidum percunctaretur; vel quod verius ego arbitrer, vt stellas centrales & subterraneas agnosceret, vt Solem, Lunam, Mercurium in conjunctione simul observaret, Saturno in Capricorno, Venere in Tauro, vel vice versa positis; Ad Aprum mox Hercules sese accingit capiendum, qui in Erymantho Arcadiæ monte natus à Diana Phocidis agro immissus erat, vbi cum omnia vastaret, propter altam nivem defessus ex fruticeto quodam extractus & vinctus ab Hercule ad Eurysteum deductus est: Locum natalem hujus beluæ non ignotum fuisse constat, nempè montem Arcadiæ, ex cuius quoque monte Cyllene prodijt Mercurius, qui idcirco isti apro popularis est: *Fili*, inquit Calid: cap. 10. *vade ad montes Indie*

4 *Cerva aurea cornua & æreos pedes habens cursu capta.*

5 *Centauri deleti.*

6 *Aper Erymanthens.*

dia & ad suas cauernas, & accipe ex eis lapides honoratos: Rosinus; *Rebis nascitur in duobus montibus:* Et mox, *Dant Rebis montes, dracones, terraq; fontes:* Rasis, *Contemplare altissima montana; qua sunt à dextris & à sinistris, ac ascende illuc, ibi lapis noster invenitur, & in alio monte, qui fert omne genus pigmentorum & spiritus, vel species ibi similiter est:* Morienus; *Conscendite alta montana arboribus consita, quia ibi lapis noster invenitur & absconditus est:* Hermes, *Recipe lapidem nigrum, lapidem de montanis Indiæ, quod est intus, mitte foras, & quod foras est, mitte intus:* Et Maria; *Accipe herbam albam, claram, honoratam crescentem super monticulis;* Idem testantur omnes Philosophi ex montibus nostram materiam depromi; Ita & multæ feræ ab Hercule domitæ à montibus cognominantur, vt antè dictus Leo Cithæronæus, Heliconius, sic aper Erymanthæus, quod hic semel monuisse sufficiat. Postmodò cum Augias, rex Elidis, Solis filius stabulum trium millium boum fimo refertissimum haberet, jubet Eurystheus Herculem hoc vno die purgare; cumq; eò accessisset Hercules, pactus fuit Augias, se decimam partem omnium animalium esse daturum, si eodem die stabulum illud purgasset; quo purgato cum Hercules mercedem flagitaret, negantem dare sagittis confecit; E cujus spolijs, vt diximus, certamina Iovi Olympico instituit. Maximum hunc licet vilissimum, nec tanto heroë dignum, fuisse laborem, ex proverbio, cui de re summi studij, operæ & curæ, locum fecit, apparet: *Quis enim maior Hercule Iovis filio? quid vilius, fimetum purgasse?* Nihilominus illi hoc oneris imponitur, eâ quoq; necessitate, vt vnico die, quod pluribus facilius fuisset, perficiat; Ne quis autem existimet pauca fuisse animalia, numerus trium millium asscribitur; Et sunt, qui addant, multis annis id stabulum non fuisse purgatum, adeò vt in suprema parte seu tabulato boves congesto fimo jam starent; Vnde concludi posset hunc laborem ter mille hominibus alijs nimium fuisse vni Herculi imperatū & peractum: Ad impossibilia nemo obligatur,

Stabulum Augiæ purgatum.

vt

vt dici solet, at Hercules solus incredibili labore astringitur: Sic ejusmodi nocturnum laborem iã ante susceperat vnâ nocte conficiendũ, quem pluribus repudiasse non poterat; Imò & cervã cursu defatigandam & leonẽ manibus diripiendũ subierat, quos iaculis aut sagittis prostrasse majoris artificij quàm laboris fuisset: Ita semper conditio & lex addita laborum Herculeorum magnitudinem videtur auxisse, ne satis fuerit eos factos, sed & vtiliter & tanto tẽpore: Boves hos fuisse Augiæ Solis filij fabulantur, quos ille absq; dubio ex patrimonio suo accepit; Quia Solẽ boves & oves in proprijs pascuis quamplures habuisse, memoriæ proditum est; Quid autẽ per boves intelligatur sub Apis declaratione & alibi diximus, nempè materiã Philosophicã, quæ cum in fimeto reperiatur, hoc est, vilis sit aspectu, ac multis superfluitatibus circumdetur, à quibus purgari debet à Philosopho, non inconcinnè traditur Herculi hunc laborem stabularium impositum esse; Nec enim id absque labore ac fœtore fieri existimandum est: De vilitate & inventione eius sub Stercutij muneribus seu sterquilinio cõsentiunt omnes authores, quorũ paucos adducemus; Morienus inquit, *Sapientes antẽ disposuerunt & dixerunt quid si hoc quod quæris in sterquilinio inveneris, illud accipe, si vero in sterquilinio non inveneris, tolle manũ à marsupio: Omnis enim res quæ magno emitur precio, in huiusmodi artificio mendax & inutilis reperitur.* Sic Avicẽna dict. 1. c. 2. de anima: *Invenimus scriptũ in lib: Aristotilis, quẽ fecit de lapidibus, vbi dicit; Duo lapides iacẽt in stercore, vnus fœtens & alius bene odorans, parum appreciati in oculis gentium, si scirent gentes eorũ valetudines, tenerent eos honorificè, sed quia nesciunt eorum valetudinem despiciunt & dimittunt eos super stercora in locis fœtentibus, & qui coniunget eos, ibi est magisterium*: Et Gratianus: *Et si hoc in stercore inveneris quod tibi placet vel expedit, nihilominus tolle*: Et Merculinus apud Rosar: *Est lapis occultus et in imo fonte sepultus, vilis et eiectus fimo vel stercore tectus*: Vilem esse & parvi precij nec rarum; Ardoldus novo lum: c. 1. *Venditur*, inquit *palàm minimo precio*. Et Bernhardus Comes: *Versatur ob oculos toti mundo, nemo tamen cognovit eorum, qui sunt in* Stercutius.

Gg 2 mundo;

mundo; Rosar: Phil: *Et si vero nemine nuncuparem, insipientes enim esse non crederent*; De odore ejus, inquit Morienus, *Ante confectionem nimis est gravis & fætidus, & post confectionem est eius odor bonus, iuxta hoc quod sapiens dicit: Ista quidem aqua è corpore mortuo & iam inanimato tollit odorem: Nam & eius odor est malus & odori sepulchrorum assimilatur*. Et Calid. ca, 9. *Et est lapis vilis, niger, & fœtens non emptus precio*: De vilitate & despectione eius Scites, Mundus, Zeumon, & alij Philosophi in turba attestantur, quorum dicta non opus est citare; Cum itaque boves Philosophici sive Solis in tanto fimo stabulentur, ab eo purgandi sunt Herculeo labore, quod quilibet ipse præterquam quod omnes authores id inculcent, imaginari potest, cum ex hac re vilissimâ fætidâ & abjecta preciosissima Mundi medicina fieri debeat, id absque labore non contingere; Solus testis S. Thomas de Aquino sufficiens, qui se artis veritatem quidem invenisse, eiusque medicinam perfecisse tradit, sed tantum laboris & fætoris perpessum esse, vt non nisi certa causâ inductus artem denuó incipere velit; Porrò cum apud Stymphalum Arcadiæ lacum aves essent Stymphalides ideo vocatæ, quæ carnibus humanis vescerentur, Hercules ad eas abigendas iussu Eurysthei profectus, quas ille crepitaculorum æneorum à Pallade acceptorum tinnitu fugasse memoratur: Instrumentum illud Crotalum dictum à Vulcano fabrefactum erat, quo solo aves illæ Ploides quoque vocatæ, non sagittis, abigi poterant: sic enim Apollonius libro secundo Argonaut: de illis scribit:

In Secret. c. 9

8\. *Aves Symphalides fugatæ.*

Crotalum Vulcani opus.

Sed neq; vt Arcadiam petijt vis Herculis arcu
Ploidas inde lacu volucres Symphalidas vllâ
Pellere vi potuit: namq; hoc ego lumine vidi,
Ast idem vt manibus Crotalum pulsavit in altâ
Existens speculâ prospectans, protinus illæ
Cum clamore procul linquentes littus iêrunt:

Hunc Herculis laborem si quis ad literam, vel etiam ad mores, vulgaremve physicam interpretetur, nugas esse

esse nugacissimas, imo ineptias & tricas pueriles, nemo non videt: Quid enim tantus Heros crepitaculo Archytæ aues pellere diceretur, quæ sagittis abigi non poterant? Hoc naturæ adversum, illud rationi haberetur: Si quis verò ad opus philosophicum, quó vnicè spectat, accommodet, omnium laborum est pulcherrimus & evidentissimus; Imò asseverare audeo, apud omnes ferè authores recentiores, vix arcanius & præclarius exemplum fundamenti artis extare, hoc ipso, per tot ætates mundi non intellecto & ad nos vsq; derivato; Testes appello eos, non imaginarios (& ex tabula nautas, aut cortice nantes aut codice vno per transennam salutato scripturientes) sed qui Crotali illud genus à Vulcano fabrefactum, nec non Stymphalidas aues reverà agnoscant: De his, nempe avibus, meminerunt plurimi philosophi, iam vocantes eas partes volatiles, facilé fugituras, nunc aves volantes; Vt & de Crotalo seu ære philosophico, fixo, figente eas: Author consilij con: sol: Constans in turba dicit, *Nihil aliud curate, nisi quomodo duo sunt argenta viua, scilicet fixum in ære, et volatile fugiens in Mercurio*; Et Invidus dicit, *quod hoc sulfur, id est, argentum vivum consuevit fugere, et sublimatur, sicut vapor: Oportet enim alio argento vivo sui generis, id est æris retinere et fugam cohibere, quod si cum albo vel rubeo sulphure sui generis non misceatur, id est auro vel argento, procul dubio fugiet:* Hæc ille; Qui paulo pòst: Et Eximidius dicit; Dico vobis veraciter non est tinctura Veneris, nisi in ære nostro: Et ad figuram Senioris; *Duæ*, inquit, *aues sunt homogeneæ, id est vnius naturæ, et sunt lapis sapientum, masculus est sine alis, id est non potest volare, quia de se ignis non potest ipsum corrumpere, nec exhalare in igne, vel nullum salium, vel spiri. uum aut aluminum, nisi aquila nostra dicta; Avis verò alata est fæmina, quæ cum corporibus corrumpentibus consumitur.* Lullius optimè theor: test: c. 57. *Ideo tali aqua, inquit, fixamus aviculas in aëre volantes, virtute lapidis nostri:* Vulcani itaq; arte & Palladis instinctu Hercules seu artifex adiutus, Crotalo aves Stymphalidas, ex putredinoso lacu exortas, fugare potest; Fugatæ

gatæ dicuntur, quando non amplius apparent volantes: Addunt nonnulli, inter quos est Timagetas, his avibus alas & vngues ferreos fuisse, vt Harpyijs aureos; Quod mirandum est, & genus avium facile declarat; nempe metallicum, licet potius ad violentiam earum, quàm substantiam in hoc respiciatur: Hinc in Cretam Hercules,

9. *Taurus furiosus Cretæ captus:* cum ibi taurus furiosissimus, Neptuni irâ agris immissus ignem efflans naribus & quosvis obvios interimens, omniaq; vastans vagaretur, Eurysthei iussu se contulit; Quem mox captum ad eum adduxit. Quid per tauros significetur, iam sæpè repetitum est; Etsi verò hic ignem spargat naribus, tamen eiusdem census est, cuius & illi Iasoni domiti, alijq; plurimi: Mox ad Diomedis equos domandos missus est:

10 *Diomedis equi cum ipso trucidati:* Erat autem Diomedes Thraciæ rex Cyrenes Martisq; filius, ferocissimos equos habens, quibus captos hospites laniandos exponebat: Hunc Hercules captum equis suis lacerandum, talionis lege, crudeliter exposuit, ac pòst ipsos equos trucidavit. Mirum est Herculem contra Martem, eiusq; filium quid tentasse, cum videatur omnino Marti dicatus ob strenuitatem & fortitudinem; Verùm notandum, illum à Pallade & Vulcano, nec non Mercurio quid opis & auxilij accepisse, à Marte nihil: A Mercurij enim filio eruditus multis artibus, et à Pallade sæpè monitus, à Vulcano instrumenta adeptus est; Ne quid de Lino Apollonio aut Chirone Saturnio dicam; Ideoq; post laborum suorum finem non Marti, sed Palladi aram et Mercurio clavam dedicat et consecrat: Per equos idem subiectum philosophicum denotari certissimum est; Cum enim id omnia mundi nomina ferè habeat, cur non et equus noster dicatur? Sic Rhasis in epistola; *Coopertorium,* inquit, *equi pallium nostrum album, & equus noster leo fortis sub pallio coopertus:* Diomedes quod sit Martis filius et Iovis nepos, aureæ genealogiæ particeps videtur: ideoque propter Iunonem aviam Herculi infensus fingitur; Eius equi dicuntur hospites seu advenas ignotos discer-

discerpere; Quod an fiat in Chymia illis, qui ignoti habentur vero subiecto, non opus est probare, cum sit in oculis & querelis ferè omnium: Signum quoq; roboris Herculei est, quod traditur in agro Epidauriorum oleam manu capiens circumduxisse, quæ illam figuram accepit, vt versilis vocaretur, non procul à templo Dianæ Coryphææ: Hoc etsi quis ad hystoriam flectere possit, cum videamus eiusmodi arbusculas sæpè numero inflexas, & Milonis illius Crotoniatæ, aliorumque veteris & recentis ævi, plus quàm humanum robur audiamus, tamen ad eadem, ad quæ reliqua eius opera, spectare non abs re arbitramur: Nisi enim hæc fiat inflexio seu circumductio vasis philosophici, non continebit spiritus volatiles, vt multis in locis philosophi innuunt; Nempe Morfoleus, Mundus, Astratus & alij in turba & alibi: & quidam expresse ignito gladio vel forcipe id fieri debere asserunt; Cum itaque sit hoc opus arti necessarium, meritò quoque antiquissimi per similitudinem alicuius Herculei laboris id expresserunt: Olea autem Palladi sacra est, cui et ars: *Quis*, inquit, *Armoldus* in novo lum: c:8. *ergo faciet talem aquam? Certè dico, quod ille, qui scit facere vitrum: Hac enim materia nihil aliud est, quàm de se ipsa vult sibi adiungi; Nam omnia, quibus indiget, in se habet.* Quibus verbis innuit, illam materiam nil requirere, quam sui solius inclusionem in vitro; Imperauit deinde Eurystheus Herculi, vt Hippolytæ Amazonum reginæ baltheum, quem pulcherrimum esse audiverat, ad se adferret: Idcirco Hercules navi ad Amazonas traiecit; Cumque Mygdon & Amycus fratres in Bebrycia iter impedire ipsi conarentur, obtruncati sunt, & vniversa Bebrycia occupata: Cum Amazonibus deinde congressus multas ex his superavit, donec reliquis in fugam versis, Hyppolitam reginam earum ceperit, quam Theseo expeditionis illius socio concessit, baltheo ad Eurystheum delato: Amazones aliquando fuisse quis dubitaret, cum tot & tanti scriptores de

11. *Olea arbor circumflexa:*

12. *Hyppolitæ Amazonum regina baltheus detractus.*

de eo testentur, at quæ de Herculis cum ijs pugna narrantur, allegoriam potius, quàm hystoriam, sapiunt: Viragines sunt illæ notæ philosophis, fæminæ, si sexum; pugnatrices & masculæ, si animum spectes; Cum his congrediendum est Herculi artifici, earumq; reginæ preciosissimus baltheus detrahendus, qui constat adamante & carbunculo, carissimis & rarissimis huius mundi, Medicinis, inquam, albis & rubeis, auro millies preciosioribus: Eodem itinere ad Amazones contendens Hercules reperit Hesionem Laomedontis filiam Ceto immani expositam, quam à Ceto liberavit; Ob quod beneficium cum Laomedon ipsi equos præstantissimos promissos non daret, ob hominis fallaciam Troiam aggressus, regem obtruncavit, Hesionemq; Telamoni socio dedit, & Priamum, Podarcim ante dictum, ab Hesione è captis emptum, vt pote fratrem, Hercules regnare postea permisit. Et hæc fabulosa esse & omnino allegorica ex sequenti libro patebit; Cetus astris illatus traditur in rei perpetuam memoriam, & Priamus regno restitutus, vt esset causa Troiæ denuó occupandæ et destruendæ; Hesione Telamoni, vt Hyppolita Theseo, expeditionum socijs, concessa pro bravio, ac sola Herculi gloria retenta est: Iussit deinde Eurystheus puniceos Geryonis Hispaniæ regis boves, qui hospites vorarent, ad se adduci; Ad quos profectus Hercules, boves rege, eiusq; custodibus, Orthro, cane duorum capitum, dracone 7. capitum, et Eurytione ministro, cæsis impetravit: Quos ex Oceani insula Gadira ad Tartessum per id temporis celeberrimam Iberiæ civitatem abegit: Quibus locis duas columnas Hercules erexit, tanquam suorum laborum terminos, quarum alteram Calpen, alteram Abylen vocavit, posuitq; eas infinibus Libyæ et Europæ, quemadmodum Bacchus columnas duas magnas erexit in Oriente. Hæc alij pro hystoria accipiunt, ab Ethnicis edocti, qui omnia, vt dictum, Herculis facinora verissima habuerunt, vt et Iovis aliorumq; deorum: At parcius ista viris tamen objicienda memento: In reliquis, Ethnicis scripto-

13. Hesione liberata à Ceto:

14. Laomedon trucidatus.

15. Geryonis boves abducti: Pomp: Mela l. 2. et Liv: l. 8. dec: 3. Carteiam pòst dictam scribunt, Silius l. 3. et eius interpres eà esse colligit vadiani testimonio.

16. Calpe et Abyle columnæ positæ.

Nota:

ſcriptoribus credimus, non in illis, quæ dicuntur Heroico illo ſeculo contigiſſe, longè antequam mundus à Creatore noſtro conderetur: Ideoq; pro nunquam factis, ſæpiſſimè dictis & fictis & ſemper creditis ea accipimus: Ægyptij antiquisſimi ab his locis valdè remoti hæc finxerunt, ſuisq; ſcriptis inſeruerunt, à quibus Græci, & ab his cæteri mutuati ſunt: Antea narravimus hæc loca, verſus occidentem & Heſperum ab illis ſita, celebrata fuiſſe ob metallicas fodinas, ideoq; à Phœnicibus maritimis populis omnium primò petita & occupata; Idq; allegoriæ de bobus ex Iberia abducendis fictæ locum dediſſe: Contemplemur autem hos boves penitùs, cuius ſint poſſeſſoris aut domini, cuiuſve coloris et excellentiæ, et facilè agnoſcemus: Geryon ille tricorpor, Chryſaoris filius, hos boves habuit; Quem fingunt aliqui fuiſſe Iberiæ ſeu Hiſpaniæ regem, ideoq; trium corporum dictum, quia terni eſſent fratres in regnis vniti et concordes; Fateor hæc dici, at neutiquam probari poſſe; Ita Ethnici expoſuerunt, qui nunquam Tricorporem viderant in rerum natura, ne fabulæ viderentur res geſtæ Herculis: At cur Geryon eſt Chryſaoris filius, hic ex Meduſæ ſanguine natus? Cur ipſi fuit canis duorum et draco 7. capitum, cur boues punicei? Hæc omnia allegoriam, præter ante dicta, oſtendunt: Et ne longius hic morer, Geryon eſt ille, vt antè quoq; ſparſim meminimus, de quo dicit Author coniugij Ex Hermete; *Tres facies, id eſt, ſpiritus vidi, ex vno patre natas, id eſt vna progenie, quia ipſorum eſt vnum genus, quarum vna eſt in igne, altera in aëre, tertia in aqua:* Quia ſcilicet Hamuel commentator Senioris dicit: *Eſt aqua vitæ triplex, quia eſt, vnum, in quo ſunt, ſcilicet aër, ignis & aqua, in qua eſt anima exorta, quam vocant aurum, & vocant eam aquam divinam: quas ſcilicet facies, pater eorum coniunxit, pater, ideſt, genus vnum, quia homogenea ſunt:* Hæc ille: Idem habetur in cuiuſdam philoſophi rythmis; Qui de tribus illis faciebus ita vnitis, inquit; Sed gratia Dei ſemper manent ſimulque in magnifico regno triumphant

Geryon quis.

H h Pater,

Pater, cum filio vna in sede residens, senisque magistri facies in medio apparet, pallio sanguineo visibilis: Ex quibus quoque vltimis verbis de colore puniceo seu purpureo & summè rubro ac Tyrio boum Geryonis iudicare liceat: Hic enim color convenit illis bobus, cum iam adultæ ætatis sint; custos est illis adhibitus canis & draco, Typhonis & Echidnæ soboles; De quibus antea satis: Si quis dicat Herculem revera boves illos abduxisse taliq; colore, ille sibi placeat, mihi non item; Nam si Hercules in rerum natura fuisset, & tantus heros, an abactor boum extitisset, an ideo regem voluisset aut posset cum suis obtruncare? An boves per tantum locorum spacium per maximam terræ partem egisset? An ideo purpureos fuisse credemus tum temporis, & iam desijsse? Nugæ nugarum æstimantur, si hystoria spectetur; Si allegoria, seria rerum series sese offert; An quoq; credamus, vt ijdem Ethnici scriptores addunt, Herculem tum Libyam ab Europa separasse & mari mediterraneo dedisse ingressum? Si in cunis iaceremus omnes, persuaderi possemus ab illis, quasi aniculis garrientibus, paganismi antiqui scriptoribus & poëtis; Eiusdem veritatis habentur Herculis, cuius Dionysi seu Osyridis columnæ; Sic enim Ægyptij domi manentes et Vulcano suo litantes, totum mundum subiugârunt, tam ad Occidentem ab Hercule Ægyptio, quàm ad Orientem ab Osiride, columnis et terminis suæ peregrinationis et victoriæ erectis: Nec satis erat ob boues tam preciosos in Iberia Herculi pugnasse & obtruncasse regem, sed in itinere quoq; multas aduersitates passus est: Alcyoneus enim gigas ad Corinthi Isthmum occurrit, qui trucidatur; Dercylus & Alebion Neptuni filij eos in Hetruriam egerunt, à quibus cum taurus aufugisset & tranasset in Siciliam, Italiam postea nominârunt, cum Tyrrhenorum linguâ taurus, Italus dicebatur: Erycem Veneris & Butæ filium, Siciliæ regem, boues quoq; appetentem, & regnum suum pro ijs deponentem victor interemit: Siculos

Rex spoliatus bobus & vita ab Hercule.

17. *Alcyoneus gigas.*

19. *Eryx.*

quoq;

quoq; impetum facientes in boves, fugauit: Hos tandem Mycenas ad Eurysthcum deduxit, quos omnes ille Iunoni immolavit. Satis sané est, si non nimium, ob boues mactandos tantum laboris subijsse; Hinc author auroræ, *numquid,* inquit, *non legistis multoties, quod arcanum arcanorum & thesaurus thesaurorum praeuntibus in via non ponitur? Quod si sic publicè poneretur, arcani nomine priuaretur, testante Beato Gregorio: Depradari desyderat, qui aurum publicè in via portat: Nam arcarum eò quod in arca clausum esse deberet, dicitur.* Quod in abactu horum boum patet, qui ab omnibus appetuntur, deprædantur, vi, fraude, precio, depositoque regno, & difficilimè ab Hercule toties rapti recuperantur & custodiuntur; Tot deorum filijs interemptis, vt Terræ, Neptuni et Veneris; Sed hæc satis ex præcedentibus intelliguntur: Antequam verò Hercules ad boves contenderet, solis radijs nimium calefactus, arcum vel in ipsum solem intendit; Quare Sol eius vires et animi magnitudinem admiratus AVREVM POCVLVM illi donavit, in quo Oceanum ad boues capiendos traiecit, vt ait Pherecydes, in 3.lib: hystoriarum; Atque vbi per Oceanum nauigaret, poculumque magnoperé fluctuaret, iratus Hercules vel contra Oceanum arcum intendit: Nauigij hoc genus, quo vtitur ad boves iturus, nunc esse desijt, quia viliora ligna, quam metalla sunt; Attamen illi antiqui hystorici id inter hystorias referre non dedignati sunt; Donum Solis aureum quód amplexus sit Hercules, se muneribus placabilem ostendit; Iuxa illud eorundem: *Placatur donis Iupiter ipse datis:* Rasis in Epist: *Et hic,* inquit, *& hic navis nostra in mari nostro plena gigantum:* Quæ de minis Soli et Oceano intentatis dicuntur, invictam animi virtutem arguunt, quæ virum magnanimum decet, (dum tamen absit iactantia Xerxis Persici regis, qui Pontum certo verberum numero castigauit, Athum montem loco submovit & fluuios exiccavit) iuxta illud Horatij:

20. *In solem arcum intendit.*

21. *In Oceanum arcum intendit.*

Lib. Car. 2. Oda. 10.

Non si malè nunc, & olim
Sic erit, quondam Cytharâ tacentem
Suscitat Musam, neq; semper arcum
Tendit Apollo:

Rebus angustis animosus atq;
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Post hæc ad aurea mala ex pomis Hesperidum auferenda profectus est, de quibus superius lib. 2. copiosé tractavimus: Cygnum quoq; sibi resistentem aggressus est, à quo
22. fulmine cœlesti diremptus est: Deinde Antæum terræ filium obvium habuit, qui 64. cubitorum longitudinis in omnes peregrinos inhumanus erat: Hic ad luctam pro-
23. vocavit Herculem, à quo cum sæpe prosterneretur in terrâ, pristinâ virtute auctâ resurrexit fortior, quod cum intelligeret Hercules, eum comprehensum sublimem á terra tã
24. diu sustinuit, donec expiraverit maximâ vi brachiorũ Herculis: Cui fabulæ Natalis expositionem mox addit huiusmodi; *Quam rem ego*, inquit, *sanè nihil aliud significare crediderim, quàm medicorum quoddam dogma, contraria scilicet contrarijs esse curanda, vt nomen Antæi videtur significare, quod tamen potest ad multas polyticas transferri actiones & iudicia, & ad vtilitatem universæ humanæ vitæ: Cum enim Hercules Sol existat, terræ frigida contacta recreat quæ nimio calore fuerint exusta, quapropter revocat in vitam ipsum Antæum; sic namq; docemur calidis ægritudinibus refrigerantia medicamenta esse adhibenda, at non violenta tamen, ne propter antiperistasin fiat apostema:* Hæc ille: Quæ quidem per se vera arbitramur, & in schola medicorum vel parùm institutis notissima, sed non esse eiusmodi dogmata, quæ occultari debeant sub vmbris allegoriarum, tum quia vulgaribus per se absq; fabulis pateant, nec magnæ subtilitatis inveniantur (asinis quoque & ovibus, stupidissimis brutis, nimium

Aurea mala Hesperidum.

Cygnum aggressus.

Antæum prostravit.

calorem

calorem & frigus declinare, vt & humiditatē & siccitatē callentibus, & vnius immoderationi alterius contrarietate succurrere, naturæ instinctu conantibus) tum, si non paterent absq; fabulis, per fabulas multó minus innotescerent: Inde stultiores stultis videntur, qui has fabulas de ijs rebus effictas credant & ebuccinentur; Quis ex Hercule faciat Solem cœli, qui in ipsum Solem cœli intendit arcum, vt modó diximus? Satius esset fateri se non perspicere res sub illis fabulis latentes, quàm ita emendicare expositiones nec rei, cui applicant, nec à qua sumuntur, convenientes: Omne quod dicitur, scribitur, fingitur, pingitur, ad locum communem vel Ethicæ, vel Physicæ, vel fabulosæ hystoriæ accommodari potest; nec hoc est artis magnæ, sed potiùs memoriæ, at res arcanas suæ propriæ naturæ, veritati & homogeneitati restituere, hoc est ingenij & veritatis amantis: Vna res autem de vna veritate, & veritas vna de vnâ eâdemq; re prædicatur, & non de alii, propriè loquendo; Quomodo igitur Hercules nunc erit Sol cœli, nunc heros terræ, aut Rex Ægypti, aut alius quivis? quomodo nunc contrarietatem in Physica, mox quid in Ethica, paulò póst in hystoria personam significabit? quomodo erit Iovis filius, Ægypti præses, monstrorum domitor, virtutis specimen, tot vitiorum & adulteriorum, furtórum, rapinarum & homicidiorum perpetrator? Hæc omnia vni veritati non conveniunt, sed adversissima sunt, nisi quis velit omnia de omnibus, vera et falsa simul dicere et credere: Quicquid hic de Hercule dicitur, idem et de Iasone, et tota deorum, dearum q; genealogia, omnibusq; allegorijs et fabulis hactenus explicatis, intelligi debet: Nos novimus & ad nauseam ferè inculcando probauimus, vnam, vnam, inquā, vnam esse rem occultè habitam ab antiquissimo huc vsque tempore, de qua omnes illæ fabulæ et allegoriæ fictæ, & in medium mundi, hoc est, scripta Ethnicorum et Christianorum, productæ sint; Cum illa vna re conveniunt mirè non solum ad vnam omnes de Hercule fabulæ, sed et pleræq; a-

Diversissima Herculi attributa in expositione.

 liæ,

liæ, ita vt non opus sit, has nunc ad morum, nunc ad vulgaris Physicæ, paulò pòst ad alterius scientiæ doctrinâ intricatissimè & alienissimè exponere: Sileant igitur & Harpocrati Ægyptio liteent, qui sibi declaranda sumunt, quorum ipsi ne vmbram capiunt, ac docere ea alios non erubescunt, quæ nunquam didicerunt, interim tanquam ingrati muli, matrem omnium scientiarum, post Dei sacrosanctissimam doctrinam, antiquissimam et genuinam, calcitrando & conviciando petentes, & nullo modo agnoscere inter scientias etiam communes volentes, Chymiam puta, Medicinæ generi humano vtilissimæ genitricem & reliquarum artium Reginam; Quid? si fallerentur suo judicio illi putatitij & putidi censores Dej donorum, qui quæ ipsi non acceperunt, ex Dei manu convicijs tanquam vulpes ex corvi rostro caseum blanditijs, si possent, extorquerent, cum ita scribunt;

Mater scientiarum Chymia.

Ars fallax invisa bonis dulcedine captos
Iucundè vt perimis? dementibus improba Siren:

Et quæ idem author plura eructat, de inscitia ejus ac canina facundia potiùs quàm de doctrina in arcanis aut de voluntate benevola testimoniũ perhibentia: Antæi personam esse fictitiam, nullo etiam demonstrante, patet, Est enim Terræ filius, hoc est, absq; patre & matre obscurissimus, ex Poëtarum cerebro progenitus, qui faciè 20. alios communis staturæ homines exæquaret, turri ingenti comparandus; Ejus quoq; mentio fit in administratione officiorũ Ægypti, vná cum Busiride, Hercule, Prometheo & Mercurio, Isidi relictis velut præfectis ab Osiride, in Indiam profecturo: Significat autem lapidificam virtutem in se transmutandi matrem suam, quotiescunq; tangat eam, quæ vis inde provenit, si summa fixi superet summam volatilis, vt alibi copiosè à nobis dictum est; In Ægyptum posteà pro-

25. fectus Hercules Busirim, Neptuni & Lybies filium, quia ille advenas Neptuno patri immolârat, cum filijs interemit.

Busirim interemit.

Busiridis

Busiridis iam antè l. 1. meminimus; hujus laudes scripsit Isocrates, Virgil. autem Georg: l. 3 ipsum non laudari dignum vocat, cum inquit;

Quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Strabo l. 17. Busiris, inquit, nullus nec rex fuit nec tyrannus. Per Arabiam deinde Hercules transiens Tithoni filiũ immanissimum in peregrinos obtruncavit. Mox ad Caucaseos mõtes & Hyperboreos profectus aquilam, Typhonis & Echidnæ filiam, Promethei jecur vorantem sagittis transfixit, & Prometheum solutis vinculis oleastri liberavit. Hinc cũ Acheloo, qui tauri formam sumpserat in Calydone colluctatus, cornu ejus fregit, pro quo redimendo Achelous Amaltheæ, Harmodii filiæ, cornu Herculi largitur, quod ille omnibus fructibus refertum Iovi consecravit. De Busiri iam antè egimus; Tithonus Laomedontis frater ab aliis fingitur, pater Memnonis amasij Auroræ, estq; eiusdẽ classis cum reliquis; Prometheus à Mercurio, Iovis jussu, Caucaso adalligatus fingitur, quia ille ignem ex solari lumine in ferula accensum ad homines attulerat, ac Pandoræ donum, vt Hesiodus habet, recipere noluerat, cui Aquila jecur quotidie renascens exedat; Hæc ab Hercule confixa dicitur: De Prometheo jam sæpe meminimus qualis sit, cujus prosapiæ & nominis; Aquilam pro materia volatili & penetrante ad interiora accipimus, cuius Philosophi plurimis locis meminerunt; Aquilam quasi aquam interpretantes, vt Senior in figura decem aquilarum aliique, et rationem addunt, quia, inquiunt, vt pennæ aquilæ aurum facilè assumunt, si deaurentur, ita et hæc aqua facile fit aurea, imò alias pennas corrodit aquilina penna vt aquila ipsa aves, & sic aqua Philosophica: Hinc Basilius Valentinus; *Permix*, inquit, *avis de Meridie potenti fera de Oriente cor ex pectore eruit*: Hæc Aquila ab Hercule figitur sagittis,

26. *Tithoni filium quoq;*

27. *Prometheum è vinculis liberavit.*

28. *Acheloi cornu fregit.*

hoc

hoc est, fingitur Philosophicis armis et Vulcanijs: Aquila ob parentum claritatem satis inclaruit, de quibus suprà aliquoties: Aquila enim volans per aërem (vt Avicenna in Port: Elem: tradit, eumque secuti ferè omnes) et Bufo gradiens per terram, est magisterium, quod Philosophicum Symbolum et Hieroglyphicum Insigne Rudolphus 2. Imperator piæ memoriæ, Medicinæ chymicæ amãtissimus ob singulares causas nostro clypeo vnà cũ duplici Galea superimposita insculptũ voluit, concessis insuper Privilegijs Palatinatûs, vt vocant, et exemptionis fori amplissimis: Achelous, Ætoliæ fluvius est in taurum conversus, vt à Poëtis fingitur; De cornu Copiæ et Amaltheæ, vnde dicatur, sub Dionyso, lib: 3. ex Ægyptiorum traditione narravimus; per quod Medicinam auream Philosophicam omnis generis fructibus refertissimam intelligi, et nihil præterea in mundo, nisi impropriissimè, pro certo novimus; Idem Hercules Cacum Vulcani filium tricipitem latronem in Aventino monte oppressit; Duodecim dijs aras erexit, vtpote Iovi, Neptuno, Iunoni, Palladi, Mercurio, Apollini, Gratijs, Baccho, Dianæ, Alpheo, Saturno et Rheæ: Et post è gigantibus victoriam aiunt Herculem suam clavam Mercurio cognomento Polygio consecrasse, quam asserunt ex oleastro fuisse et repullulasse, actisq; radicibus insignem arborem factam esse. Ferunt eum, antequam ad inferos descenderet, ad Oetam accessisse, atq; ex fonte bibisse, qui inde labebatur, ob cujus vim cum omnium præteritorum esset oblitus, fontem illum Lethium nominavit, vt ait Demophatus in rebus Ætolis: Iussus deniq; est Hercules ab Eurystheo Inferos adire, et maximè horrendum inferorum canem Cerberum ad se adducere: Hic fingitur 50. habere capita, trina canina, reliqua et caudam Draconis: Dijs itaq; sacrificijs ritè peractis, in Tænaro promontorio antrũ subivit, trajectoq; Acheronte et reliquis inferorum fluminibus, Theseum super saxo sedentem et Pirithoum invenit, sed quia sponte et consultò Pirithous eò accesserat, illum

Armorum insignia & privilegia Authoris.

29. *Cacum latronem oppressit.*

30. *Duodecim dijs aras erexit.*

31 *Mercurio clavam dicavit.*

32. *Ex fonte Lethio bibit.*

33. *Cerberum ex Inferis eduxit.*

34. *Theseum liberavit.*

lum ibidem reliquit, Thesеum, quia necessitate coactus fuerat Pirithoum ad rapiendam Proserpinam comitari, liberauit; Menætium inferorum bubulcum repugnantem interemit, omnia eius ossa confringendo; Cerberum, cuius morsûs nullum erat remedium, cepit: In ripa Acherontis albam populum invenit, ex qua coronam sibi fecit, cuius exterior foliorum pars nigra est ob fuliginem: Hinc ista arbor Herculi putabatur postea sacra: Demum Cerberum per Træzenem ad Eurystheum deduxit, cuius spuma per vomitionem eiecta, aconitum præsentissimum venenum esse fingitur: Cumq; Cerberus ex inferis adductus videatur summum Herculearum virium, cætera si quæ sint eius facta, volentes hic prætеrimus & Herculem ideam perfectissimi artificis, seu philosophi seu medici chymici nunquam non esse, ex his quæ dicta sunt, agnoscimus; faciliusq; ex ipsius Herculis manu clauam extortam iri, quam philosophicam hanc interpretationem fabularum de ijs & heroibus prolatam, ex intelligentium mentibus exemptam & deletam fore non iniuria nobis promittimus & pollicemur: Cacum, Vulcani filium ob furtum Hercules interemit; Nisi enim temperies ignis adsit, malum evenit, (quod Cacus sonat) & furtum seu spolium committitur in bobus philosophicis; Hinc Mundus in turba: *Moneo*, inquit, *caueatis, ne compositum fumiget & fugiat*. Et Author consil: *Qui me miserculam offenderit, & à quiete mea dispserserit, do plagam in faciem suam, per quam fugam capiam*; *Per hoc*, inquit, *tangit euitare excessum caloris*; Inde in hoc conveniunt omnes, vt ignis in solutione & coagulatione sit lenis, in sublimatione mediocris & in rubificatione fortis: Omnium optimè Lullius theor: test: c. 33. *Ignis naturalis, in quo est virtus actiua, non sit superatus per Elementalem ignem: Et in operatione prima sua corruptionis obseruare debes, quod ignis contra naturam superet calorem naturalem innatum in mobili subiecto, vno gradu tantũ, & non vltra illum numerum. Quia spiritus indiuiduus, qui est speciei conseruatiuus,*

35. *Menætium interemit.*

36. *Ex populo coronam sibi fecit.*

Nota.

desyderans similem generationem recto instinctu suæ naturæ, corrumperetur per suæ destructionem essentiæ, & tunc amplius non haberet appetitum similem generationem faciendi: Quia natura exiret per corruptionem & destructionem quæ contra naturam sunt & terminum acciperet & finem consummationis: Hinc Hermes, c.4. *Et facite,* inquit, *quod fugiens non volet à non fugiente, & quod super ignem quiescat, licet sit ignis æstuans:* Ex quibus causa patet, cur Cacus vt furcifer et latro, qui Herculi partem boum surripuit, occisus sit: In antro suo occlusus dicitur; Et reverà Cacus Vulcani filius, qui spolijs delectatur, vt pote malus, in sua spelunca occludi debet, vt saltem vnus ad eum aditus etiam cum custodia & cura detur, vt Basilius Valentinus, alijq; circa ignis regimen admonent: Quibus dijs aras erexerit Hercules ex quorundam superius positâ traditione patet, quorum jam antè suo loco meminimus: De clava verò Mercurio, præ omnibus dijs, consecrata non parum ominis quis eliciat, in ejus honorẽ, nempè Mercurij, omnia Herculis opera perfecta & dicata esse, siquidem clava sit instrumentum, quo animalia & monstra non fugacia aut volatilia, sed resistentia & fixa cominùs postraverit, vt sagittis eminùs fugientia & volantia petierit: Quod si Mythologi huius rei veram rationem reddere deberent, aliquid miri absque dubio effingerent, nempè de eloquio vel furto, vel nescio quo officio Mercurij, quo Hercules valuerit: Nos rationem omnibus hactenus dictis & pòst dicendis consentaneam vnam damus, quadratam & immobilem, Omnia Herculis opera, laboresq; circa philosophorum Mercurium fuisse, non vulgi illum furacissimum liquorem, ideoq; meritó clauam eius Mercurio consecrari, gigantum, centaurorum & aliorum monstrorum sanguine cruentam; Quæ ex oleastro fuisse fingitur, quæ arbor Palladi sacra est, in arborem germinantem de nouo conuersa; Quod ex Letheo fonte biberit & omnia mala oblitus fuerit credibile; Quia vt authores tradunt, Est in Chymia corpus quoddam nobile, quod mouetur de domino ad dominum, in cuius initio


initio est miseria cum aceto, in fine autem gaudium cum lætitia: Et Hermes Cap: 3. *Venite*, inquit, *filij sapientum ex nunc gaudebimus & delectemur simul, quia mors consumpta est & filius noster iam regnat ac rubeo ornamento ac carne indutus est*. Quod Cerberũ adducere cogatur, ex Ægyptiorũ figmẽtis est, à quibus, vt meminimus lib: 1. hoc Homerus & alij poëtæ transtulerunt: Ægyptij autem nihil aliud intellexerunt per Cerberum, quam Typhonis & Echidnæ filium, nempe monstrum horrendũ, informe, ingens, trinis capitibus & caudis vel capitibus draconum permultis; Cũ verò antehac de eius fratribus & sororibus sæpè dixerimus, hic illum mittimus, hac admonitione adiunctâ, per omnia illa monstra quid intelligi vile & despectum præ vulgo, ferarũ & serpentũ naturã habens, quod tamen in rem preciosissimam, si bene tractetur, redigi possit: Pirithoũ in saxo sedentem reliquit, qui videtur esse inconsyderatus quidam operarius eius artis, cuius & Sisyphus saxũm reuolubile versat; Theseus etsi quoq; Rex Atheniensiũ statuatur, Ægei nempe filius, (Pandionis nepos, Cecropis pronepos, Erechthei abnepos, Pandionis atnepos, qui filius Erichthonij, vt hic Neptuni creditus est) circa annum mundi 2731. ante natiuitatem Christi 1231 & ante initium Olympiadum 458. post Nimrodi regnum 942. tamen Herculis ætatẽ, quâ hic vixisse fingitur, ille Theseus attingere non potuit; Inter Thesei enim Atheniensiũ regis crediti ætatem & Neptuni (qui nunquam vixit) ab eo octaui in ordine, trecenti ferè sunt anni; Aut igitur Theseus Atheniensium rex, (etsi alij eius vitam describant) totus fabulosus est cum suis proavis, aut si hic verus, falsi tamen ipsi parentes asscribuntur & res gestæ, Cum Hercules ille fingatur vixisse Saturni & Osiridis tempore, de quo antè satis egimus: De populo alba ab vna parte à fumo denigrata in folijs ideoq; Herculi dicatâ nihil addimus, nisi quod à carbonum puluere & fumo ita euenerit; cum non sit fuligo apud inferos, nisi forè Vulcani officina ibidem fingatur fuisse: Hercules igitur invictus monstris inferis ac superis, salo, soloq; triumpha-

tor artifex satis innotuit, de quo si ex recentioribus authoribus proprietates, requisita, circumstantias, quoad corpus & ingenium, fortunam & constantiam, nec non improbos in inveniendo labores & in perficiendo sedulitatem et curam, adijcere vellem, vereor ne nimis hoc opus excresceret; Illis autem alibi legendis, hic prætermissis, in hoc quoq; studij genere, vt in alijs arduis negotijs omnibus, sudorem ante gloriam hominibus à Deo immortali positum esse asserimus; Nam vt poëta inquit.

Cass: Parmensis.

Non levis adscensus si quis petat ardua, sudor
Plurimus hunc tollit, nocturnâ insomnis olivâ
Immoritur, delet quod mox laudauerat in se
Qui cupit Æterna donari frondis honore.

Ita et Calid, *Intellige,* inquit, *eius virtutem & valorem, atq; honorem, & operare; Et dixit quidam sapiens: Non est tibi datum à Deo hoc magisterium solùm pro tua audacia, fortitudine & calliditate, sine omni labore: Nam laborant homines, et Deus tribuit fortunam hominibus. Adora ergo deum Creatorem, qui tibi tantam gratiam suis operibus benedictis voluit exhibere:* Avicenna veró testatur de sese quód tantum laboris et studij in hanc diuinam artem posuerit, vt plus in oleum ad elucubrandum noctu, quám alij in vinum ad bibendum, collocârit, ideoq; sciat ea, quæ sciat præ reliquis; Idem in artis veritatem probandam dict: 1. cap: 2. de anima, adfert tria argumentorum genera, vnum dialecticum ex philosophia, alterum ex sophisticis, tertium ex ratione visionis et oculorum deductum; De quorum vltimo, Si, inquit, *aurum & argentum non viderem, dicerem, quod nihil erat magisterium, sed quia video, credo & scio, quod magisterium est:*



LIBER SEXTVS.

DE TROIANA Expeditione.



Rojanæ vrbis excidium cum nonnullis velle retexere, aut in dubium revocare, cum tot civitates, quæ se à Trojanis post bellum profugis authoribus extructas asserunt, extent, esset Æthiopem dealbare aut oleum & operam omnino perdere; Propterea tantum nobis non sumimus: Attamen succinctè & validè tanquam digito demonstrare nos posse opinamur, quàm propinquum hoc sit fabulæ aut hystoriæ nunquam factæ, hac protestatione, nos cuilibet suum iudicium liberè relicturos, præsertim cum id absq; cuiusq; conscientiæ læsione credi possit, aut non: Nec verò Criticorum plus quàm naturali acumini ea, quæ dicturi sumus, lubentes subijcimus, qui hæc & similia, veritate tamen rei immotâ, facilè verborum ventis dissiparent; at candidatis Physicæ secretioris amatoribus dijudicanda proponimus & relinquimus. Dictys quidam Cretensis cretizat se Trojano bello, dum gereretur, interfuisse: At quia tantam antiquitatem, quæ vltra Hesiodi & Homeri ætatem sese extenderet, non sapiat, sed ab illis omnia sua mutuatus videatur, vt fictitium ac fabulosum scriptorē, qui ficto nomine aliaq; intentione id scriptum edidit, o-

Christianorum Civitates quæ hoc asserunt, ab Ethnicismo, eiusq; falsis hystorijs hauserunt & inconsideratè proferunt.

I. Ratio: A fundatoribus fabulosis.

mittimus. *Prima ratio,* quâ Troianum excidium fabulæ adfine cernitur, est; Quia omnes fundatores Troiæ sunt fabulosi & è Deorum ficticiorum genealogia originem ducunt, vt Tros seu Laomedon, cui Neptunus & Apollo, (ex iussu Iovis, quod vnà cum cæteris dijs Iovem ligare voluerint, aut hic Cyclopes sagittis interemisset) in ædificandis mænibus operam suam certâ mercede dicârunt: Sic Ovid: in epist: *Paridis* scribit, mænia Troiana Apolline lyram pulsante ædificata esse, his versibus:

Ilion aspicies, firmataq; turribus altis
Mænia Phœbeæ structa canore lyræ.

Virgilius tradit ea mænia quondam Vulcani fabricata manu: Quod si ita est, vt esse subolfecimus, Vulcanijs artibus id factum erit, quæ absq; igne non existunt; Vulcano Neptunus, qui deus aquæ habetur, opem tulit; Quia aqua & igne communiter egemus in rebus humanis, vt sine illis ferè nihil præstare possimus: Inde, quibus interdicebatur aqua & igne, quasi civilis vita & conuersandi ratio inter homines adimebatur; Sic in eo artificio, quod Homerus absq; dubio in Ægypto resciuit & ad posteros transmisit, saltem ignis & aqua requiruntur, vt pote Vulcanus & Neptunus, seu eorum munera; Quia Aros & Calib; In toto nostro opere, inquiunt, mercurius (qui aquam refert) & ignis tibi sufficiunt, in medio & in fine: Sed non in principio; Quia & alia adsunt, quæ per Vulcani vim remoueri debent: Nec verò incredibile est saxa accurrisse ad ipsa mænia, cum fundarentur, seq; ipsa in ordinem disposuisse, postquam Apollo ad numerum Cytharâ caneret, quemadmodum Orpheo cantante saxa & feræ, ipsæq; arbores loco suo motæ & stupefactæ accurrerunt, ac navis Argo cursum suum directè tenuit, silente autem fluctibus aberravit, vt superius traditum est: Hæc Ethnicis articuli suæ fidei erant, nobis veró non item: Sit ita, quod scriptores illi primi allegoricè ita scripserint, veluti & Athenarum meminerunt, illam vrbem partim à Neptuno, partim à

Pallade

Pallade fundatam esse, quibus fortè intelligere voluerunt, quod floreret artibus Palladijs, & Neptuni donis, quia maritima esset, multasq; naues per mare mitteret; Verum longè alia est ratio Troiæ, alia Atheniensis Civitatis; Hæc enim aliquamdiu domina Græciæ fuit & multa præclara ingenia fovit, satisq; nota fuit armis & literis, dum floreret, vt patet ex hystorijs; At Troia tum esse disijt, cum nondum inceperat; De excidio eius percrebuerunt multorum scripta, at de regno, rebusq; gestis regum nihil omninó, nisi quod ad perniciem eius spectet; Ille ipse enim fingitur extruxisse Troiam tam celebrem & populosam civitatem, cuius filius eius excidium vidit; Quasi possibile sit, polyticè loquendo, permagnam civitatem ab vno fundari posse, quæ tantarum sit virium, vt tam valido exercitui Græcorum tamdiu resistere potuerit; Nam ad incrementum magnarum vrbium sedes regia longó tempore frequentata plurimum valet, præter alia commoda regionis; Vnde vix quicquam ab initio magnum incepit, sed quod durare debet à paruâ origine sæpissimè prouenit; Cum vulgo dici soleat, quod citó fit, citó perit: Sic Troia fingitur à Laomedonte fundata inq; tantam ciuitatem accrevisse tam citò, vt non solum populosissima & potentissima fuisse præsumatur, sed etiam in ea omnes artes subtiliores, fabriles et pictoriæ inventæ dicantur; Quod tantillo temporis spacio, nempe vnius regis, contingere non potuit: Verúm vt in sublime dignitatis fastigium evecta fuit, sic mox in cineres redacta, vno eodemq; authore, vt verè de eâ poëta dixerit; Est campus, vbi Troia fuit; Qui enim extruxit Laomedon, eius cineribus præsentibus deleta est, vt posteá demonstrabitur; Præterea ipse Laomedon, si bene de eius origine inquiratur, cum proavis omnibus suis fabulosus invenietur; Hoc est, quod ab illis ortum duxerit, qui nunquam in rerum natura fuerint, nempe maxima ex parte Dij crediti, ex Cælo et Terra descendentes, vt supra lib: 3. patuit: Secunda ratio est; Fabulosos quoq; esse et ficticios omnes, qui Troiam rexerunt et defenderunt tempore *2. Ratio:*

tempore

A regibus fictitys, qui rexerunt, defenaerunt & oppugnârunt Troiam.

tempore oppugnationis; Quorum genealogias et res gestas stupendas quilibet ipse considerare poterit, cum in omnium sint manibus: Quis enim post Homerum non meminit Troianæ cladis et reliquiarum? Quis non agnovit Priamum tot filiorum infælicem patrem, Podarcim antè dictum, et Hecubam eius coniugem? Ad cuius aures non peruenit somnium eius iam grauidæ cum Paride? Quis non Iliadem malerum legit aut percepit? Vbi et notabile tecmyrion occurrit, Phrygum linguam diuersissimam esse à Græcorum & aliorum populorum linguis, nihilominus omnium illorum Troianorum nomina inveniri purè Græca & græcæ originis: Quod autem aliud idioma fuerit Phrygibus, quàm Græcis constat, quia Phrygia in era vltima Asiæ minoris est, quam antiquo illo tempore Græci non incoluerunt, ante ætatem Alexandri Magni, sed potius Colchi & Ægyptiorum coloni, vt antea adduximus, qui diuersissima vtebantur à Græcis linguâ: Deinde ex hystoria id constat, cuius meminit Herodotus, regem quendam, (Ægyptium) cum inter finitimas gentes de antiquitate linguarum esset disceptatio, ac singulæ suam antiquissimam dictarent, Puerum recens natum pastori cuidam in desertis degenti enutriendum dedisse, mandasseq; vt nemo præsente puero vocem aliquam ederet, cumq; obseruare, quam vocem omnium primò pronunciaturus esset; Cumq; nutriretur lacte caprino, ac post sesquiannum pastor ad puerum iam esurientem accederet, incepit clamare, beccum, beccum, quasi comedere appeteret; Id cum regi renunciatum esset, inquisitum est, quid beccum sonaret, & inventum, Beccum Phrygum lingua panem denotare, quem puer petijsset; Atq; ita laus antiquitatis linguæ apud Phryges mansit: Verum Ægyptij responderunt obijciendo, non mirum esse eam vocem, beccum ab isto puero primam editam, quam à nutrice capra sæpè audivisset iterari, ideoq; præ cæteris sonis verborum didicisset: Cum ergo omnium Troianorum nomina Græca sint, facilè hinc patet á Græcis parentibus esse suis liberis indita,

Hystoria mira de antiquitate linguæ.

indita, nempe à poëtis & scriptoribus, & non esse nisi græcæ inventionis & fictionis; Præterea & eandem rationem confirmat, quod omnes Troiani, defensores Troiæ, cum Græcis oppugnatoribus, non solum à dijs primam origi- nem duxerint, & á principio, quod nunquam fuit, deriuati tradantur, sed etiam morte indignâ perierint & in nihilum quasi redacti sint; Exceptis ijs, qui petitis exteris oris progeniem suam permagnis & multis civitatibus extruendis dominaturam reliquerunt, prout á quibusdam traditur: Vt enim Iasonij & Cadmei fratres ex terra geniti repentino naturæ prodigio se ipsos confecerunt ad vnum omnes, ne vel esset, qui reliquorum cladem narraret alijs; Ita etiam Troiani & Græci ab vtrâq; parte hostes cum suis posteris breui interciderunt, ac deniq; mirabili fato extincti sunt; Causa hæc est, quod in natura rerum seu primis notionibus locum non invenerint, at saltem in figura seu secundis noëmatis. Tertia ratio est, quod causæ concurrentes ad Troiæ oppugnationem & deletionem sint ficticiæ & fabulosæ; Vt enim in ouo pullus potentialiter inest & in pomo pomus arbor, ita in pomo & ouo tota Troianorum & Græcorum expeditio delitescit & secundum virtutem exilit: Tollatur pomum & ouum, tanquam repotia seu bellaria & mensæ secundæ, aut fingatur illa duo non fuisse aut se ita non habere, et subuertetur tota expeditio Troiana: Si enim Ouum non fuit, Helena non erit, tantæ operæ precium, mulierum pulcherrima, quippe præter humanum morem ex ouo instar cygni filiæ candidi exclusa, lacte gallinaceo nutrita, et Iove patre oriunda; Et si pomum Eridos non fuit, nulla inter deas, Iunonem, Palladem et Venerem de pulchritudinis laude erit contentio; Nec Paris arbiter dearum, nec Venus pollicitationis Helenæ causa, nec ille huius raptor ac adulter, nec Menelaus cum Græcis raptæ repetitor, iniuriæ vindex ac Troiæ depopulator erit; In summa sublata causa, tollitur & effectus: *Quid?* Si deos ipsos & deas tollamus, Neptunum, Apollinem, Vulcanum, qui Troiam fundârunt, Iovem, qui

Troiani omnes Græca denominationis.

3. Ratio: A Causis sine quibus non, ficticijs & fabulosis.

Ganymedem Laomedonti ad incæstum rapuit, Iunonem, Palladem & Venerem, quæ suâ lite facem bello prætulerunt, Peleum, Thetin, & deam Erin, & reliquos, nihil supererit causæ, cur Græci concurrant cum Troianis ad arma, cur Æneas & Vlysses, hic Veneris, ille Iunonis ob iram tam longo tempore tantis fluctibus obijciantur? At iam antè superius, quid per deos & deas gentium primitùs intellectum sit, & cur in superstitionem hominum venerint, demonstrauimus, eosq; è medio sustulimus: Quid? Si somnium Hecubæ nil nisi somnium fuerit, hoc est duplici iure, an non omnia, quæ inde dependent, somnijs sunt simillima, vt est expositio *Paridis*, enutritio, iudicatio litis, promissio mulieris, expeditio in Græciam, meretricis seu adulteræ abductio, vnde incensio Troiæ secuta est? Iam antè diuersis locis ostendimus, fabulam esse, quicquid de Helena belli Troiani præcipuâ causâ, eiusq; fratribus Argonautis, dicitur, nempe ex supputatione temporis longissimi, quo vixisse traduntur: Verùm huic scrupulo Ethnici vt subveniant, Helenam omnino immortalem fuisse sibi persuasum habent, nobisq; per scripta sua inculcant, si modo illis fidem haberemus: Sic Servius ad 2. Æneid: Virg: Helenam, inquit, immortalem fuisse indicat tempus. Nam constat fratres eius cum Argonautis fuisse: Argonautarum filij cum Thebanis dimicaverunt: Item illorum filij contra Troiam bella gesserunt: Ergo si immortalis Helena non fuisset, tot sine dubio seculis perdurare non potuisset. Hæc ille: Nos immortalem illam negamus, nisi alio probent argumento: Ergo non perduravit: Et fabula agnoscitur quicquid de Helena et Troiano bello propter eam gesto dicitur: Quibus astipulatur, quod idem cum alijs tradat, Helenam prius à Theseo & in Ægypto commendatam Protheo: quem aliqui fingunt Aegypti regem fuisse, de quo superius. Quarta ratio est à tempore, cui nullus certus scriptor veritatem assignare poterit: Virgilius secutus Varronem, scribit Troiæ oppugnationem trecentis annis ante vrbem Romam conditam contigisse; quod tamen

4. Ratio. A Tempore, quod indefinitum est secundum Epocham vel personas indubitatas.

tamen ex nullo ſcriptore veteris æui probatum eſt: Ex Homero id non conſtat, quia hic certum temporis interuallum ab im nobili aliquo puncto, ſeu æra temporis non annotauit, ſed omnes perſonas, quas deſcripſit, ſiue deos, deas, nymphas, heroas, heroinas, indefinitè poſuit ita vt manifeſtè pateat, illas omnes eſſe fictas, & quaſi in immenſo Oceano fluctuare, nec agnoſci poſſe à circumſtanti, s immotis: Qui poſt Homerum igitur certi temporis, quo excidium Troianum acciderit, mentionem faciunt, vt authores veros producant neceſſarium habent, aut ipſi fictionis eius rei fient; Sic Varro, qui Ethnicorum theologiam ad rationem reducere conatus eſt, ſiue ad ciuilem, ſiue poëticam, (vt habet Auguſt: l 6. c 2. 3. 4. 5. de civ: dei,) aut fabuloſam, ſiue phyſicam aut naturalem, ab Homero tempus Troianæ expeditionis mutuatus certum annorum numerum primus abſq; dubio expreſſit, à quo contigerat, quem ex ſuo cerebro ipſe finxit, vt & plæraq; omnia, in quibus citatis locis á D. Auguſtino ſolidiſſin è refutatur: Hunc Livius, alijq; ſecuti Romanis confirmârunt hoc pro certo, quod nunquam in rerum natura acciderat: Quin de Homero ipſo, quando vixerit, cuias fuerit, vbi ſepultus ſit, controverſiæ apud ſcriptores habentur, nec quicquam certi, vt Thomas Valois in l. 3. c. 2. Aug: de civ: dei annotat, his verbis: Quo autem tempore fuerit Homerus, ſatis eſt incertum propter diſcordiam ſcriptorum, qui de tempore eius faciunt mentionem; Tamen omnes concordant in hoc, quod ipſe erat ante Romulum, vt de eo loquitur Auguſt: l. 22. c. 6. de civ: & Euſebius & Hieronymus in chronicis, & A. Gellius lib. 9. Ab Eutropio ſtatuitur Homerus vixiſſe tempore Agrippæ Syluij regis Albanorum, cui ſucceſſit Arenius ſylvius regnans annis . 9. cui ſucceſſit Aventinus Sylvius annis 34. regnans, cui Procas Sylvius regnans annis 22. Huic Amulius, cuius anno ſeptimo natus eſt Romulus, & ſic præceſſit Homerus Romulum per annos 82. Et Cicero pro Archia oſtendit ſeptem civitates Homerum ſibi ſuum conciuem aſſeribere, inter quos enumerat

Iul: Higinus in virgilio multa reprahendit, vt eſt apud Gellium l. 10. c. 16.

A. Gellius. l. 17 c. 21. ex Caſſio ait, Homerum vixiſſe annis poſt bell. Troian. 140. ante Romam cond: 160. idq; ex ſuppoſito, quod Troia deleta ſit 300. annis ante Romam cond:

Homerus quis, & cuias fuerit, & quando vixerit ignotum manſit.

Videatur A. Gellius l. 17. c. 21. & l. 3. c. 11.

Patria Homeri ignota fuit.

A. Gellius. l. 3. c. 11. *Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri, Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.*

enumerat Smyrnæos, Chios, Salaminios, Colophonios & alios. Sunt, inquit A. Gellius, qui Ægyptium dicant fuisse: Aristoteles tradit ex Insula Io natum: Vt ita omnia de Homero incerta relinquantur, licet conjecturis de tempore nonnulli verisimilibus usi sint: Si itaq; non ex Homero, aliové scriptore eo adhuc antiquiore, verissimé constet, quando Troianum excidium illud adeo celebre contigerit, fabulam esse non vetat, imò reverà convincit: Tempora enim temporibus, ut res rebus & personæ personis correspondere debent, si veritas elucescat; Exemplis res erit clarior: Ex hystoriis notum est, quibus regibus in Aegypto regnantibus, & quo anno Moses natus sit; Sic novimus, cum nasceretur Christus, quis dominatus sit mundo, & quid contigerit seu antecedentibus seu consequentibus Imperatoribus; Quibus consulibus Corinthus deleta, Carthago eversa & reliqua innumera omnia: Inde impossibile est, si Troia fuisset destructa, non extare certam temporis & personarum memoriam, quæ etiam ad sequentes se extenderint: Quod autem Homerus scripserit Aeneam ex Troia profugum Italiam petijsse, id Romanis scriptoribus ad amplificationem authoritatis suæ urbis maximè inservivit, cũ ex posteris eiusdem Aeneæ, si dijs placet, Romulum, quò ad matrem saltem, deducant, patrem longè nobiliorem homine, nempe ipsum deum, Martem ipsi assignantes; Cumq; Aeneas matre Venere natus dicatur, sic in Romulo maternum genus Venereum, ac paternum Martium lubentes agnoverunt; Tanquam præclarum aliquid sit præter humanũ morem natum urbis fundatorem habere, quem idcirco pôst inter deos quoq; numerârunt; Vt Augustin: l. 22. c. 6. de civ: dei meminit ex Cicerone, & Ethnicos vexat his verbis: *De Romulo autem, quod condidit Romam, in eaq; regnauit, auditur, legitur, non quia factum est, quod ante fuisset prophetatum, seu quod sit receptus in deos creatum tenent literæ, non factum docent: Nullis quippe rerum mirabilium signis, id ei verè provenisse monstratur: Lupa quippe illa fratrum duorum nutrix, quod videtur quasi magnum extitisse*

Romæ gentilitiæ adfictis sunt à dijs oriundi authores, ut nobilior esset.

tisse portentum, quale aut quantum est ad demonstrandum deum? Certè enim etsi non meretrix fuit lupa illa, sed bestia, cum fratribus portentum commune fuerit ambobus, frater tamen eius non habetur deus: Hæc ille: Nec solum ex Venere & Marte (antiqui concubitûs, cum à Vulcano vincti fuerunt, renouationem quærentibus) Romulus natus præsumitur, & à lupa nutritus, vnde diuinitatem meruerit, sed etiam ex virgine Vestæ, Vulcani cognatæ, dicatâ incæstu nefando, (si quidem vestales corruptæ pudicitiæ apud Romanos viuæ defodiebantur, vt patet ex hystorijs) qui à fratricidio regnum suum incepit, quod à quibusdam absq; ioco scribitur & demonstratur ab Aquila, seu eius augurio, fundatum & denominatum, (nempe Romuli & Remi initijs) ab ansere propugnatum & defensum, (scilicet irruentibus Gallis in Capitolium) & à gallina eiusq; pullis gubernatum & rectum; (vt pote quæ Liviæ in gremium ex aquilæ vnguibus deciderat, felix & sapiens adeò genus relinquens, vt Romani in bellum non exirent inconsultis illis gallinæ pullis) Nec solum id, sed Romulus idem suũ regnũ inchoatum, Asylo ibi constituto, à concursu audacissimorũ hominũ nobilitauit, & raptu mulierum *Sabinarum* amplificauit & stabiliuit; Qui tanquam tutelares dij ac penates Troiani, Marsq; Venusq;, semper propitij fuisse ab Ethnicis perhibentur; Contra quos Augustinus totis illis libris de ciuitate dei disputat, eosq; firmissimè cum paganismo et falsis effictis dijs refutat. Qui l. 3. c. 3. *Irridere fabulas,* inquit, *fortassis existimor, nec grauiter agere tanti ponderis causam: Non ergo credamus, si placet, Æneam esse Veneris filium: Ecce concedo: Sine Romulus Martis: Si autem illud, cur non et illud? An deos fas est hominibus fœminis, mares autem homines deabus misceri nefas? Dura vel potius non credenda conditio; Quod ex iure Veneris in concubitu Martis licuit, hoc in iure suo ipsi Veneri non liceret. At vtrumq; firmatum est authoritate Romana.* Et mox c. 4. *Dixerit aliquis: Itane tu ista credis? Ego verò ista non credo: Nam et vir doctissimus eorũ Varro falsa hæc esse, quamvis non audenter, neq; fidenter, penè tamen fatetur:*

Aquila fundavit.

Anser protexit.

Gallina gubernavit Romam gentilitiam.

Et ibidem: *Sed vtrum potuerit Venus ex concubitu Anchisæ Æneam parere, vel Mars ex Ilia concubitu filiæ Numitoris Romulum gignere, in medio relinquamus:* Hæc ille: Mirum itaque est in Christianæ fidei tantâ luce adhuc credi & pro vero assumi, Troiam eo modo, vt dictum, conditam, destructamq; & ex ejus reliquijs tantum regnum Romanum scilicet, tanquã ex cineribus Phœnicem novum prodijsse; cum omnia illa de Troja fabulosa sint cum dijs majorum gentium: Si veró quis credat Trojam fuisse aut extitisse, absq; tali conditione aut destructione, quæ cum dijs conjuncta est, ille sanè Ethnicis non satisfaciet, sed velut domũ in aëre constructam absq; columnis à ventorum injuria tueri conabitur: Nam fundamentum omnis illius extructionis & destructionis Troianæ dij gentium dicti statuuntur, absq; quibus nulla Troja erit, nulli authores ad extruendum aut destruendum: Hinc cæci omninò sunt ac lumine rationis privati, qui Christianam fidem verissimè amplectuntur, & Trojam à tot dijs extructam vel destructam fuisse interim præsupponunt seu credunt; Dum enim fideles Christiani reverà sumus, vel tacentes Trojam expugnamus & reuellimus, ac econtrà, si hanc cum Ethnicis asseveramus, tacitè quoq; eorum dijs assentientes Christianismo renunciamus: Quinta ratio desumitur à loco, qui nunquam fuit; vbi sciendum, alios accipere Trojam pro provincia, in qua fuerit Ilium civitas, alios pro civitate, quorum opinio prævaluit, & Ilium de arce dici, *Phrygiam* de regione, ac Trojam de vrbe; De regione nullum est dubium illam fuisse olim, vt sæpè ejus meminimus, et adhuc esse, licet alio nomine appellatam, At de Troia controvertitur: Non negamus interim locum designari fortè posse, vbi præsumatur stetisse Trojam, sed hoc ex Homeri descriptione innotuit; qui idem, vt & alij *Poëtæ*, mira scripserunt de certis locis, montibus, maribus, fontibus, fluvijs, sylvis, & insulis, quomodo dij in illis nati, quas res memorabiles ipsi peregerint, in quo saxo sederint, & eiusmodi quamplurima, quæ omnia Ethnici præ mentis

5. Ratio: A Loco.

tis

tia cæcitate pro veris acceperunt et amplexi sunt, præsertim illi, quibus aliquis deus à Poëtis Sympatriota fingebatur, vt de Thebanis, Rhodijs Delijs, alijsque antè memoravimus; At etsi loca supersunt, & quasi monumenta & vestigia earum rerum, quarum meminerunt Poëtæ, non propterea sequitur res esse verissimas dijs attributas, quia ipsi Poëtæ cum fingerent omnia, nempè personas sive deos sive homines, tempora et res gestas, tanquam essent facta & verisimilia, loca fingere non potuerunt aut debuerunt, tanquam de alio mundo loquerentur; cum enim hæc sint immobilia & quasi immutabilia & semper durantia, de his humana mens inquisivisset, vbi essent ea loca, quibus id contigisse diceretur; quæ si in mundo non invenisset pro fabulâ statim agnovisset: Econtra cum Ethnici locum certum nominari audiverunt, non de personis & rebus gestis earum, nec de tempore erant sollicitj, quia illa terris videbantur mutabilia & quasi invisibilia: Deos tales quales Poëtæ finxerunt, non negârunt, sed assumpserunt libidinosos, adulteros, incæstuosos, & omni crimine notatos, insana quadam persuasione inducti, ita vt licuerit Poëtis fingere in deos, inq; scenicis spectaculis agere, quicquid libuerit, in homines autem nullo modo, quod D. Augustinus lib.2.c.13. ita improbat; *Græci*, inquit, *putant rectè se honorare homines scenicos, cum colant ludorum scenicorum flagitatores dominos; Romani verò hominibus scenicis nec plebeiam tribum, quantò minus Senatoriam curiam dehonestari sinunt. In hac disceptatione huiuscemodi ratiocinatio summa quæstionis absolvit: Proponunt Græci, Si dij tales colendi sunt, profectò etiam tales homines honorandi sunt: Assumunt Romani: sed nullo modo tales homines honorandi sunt; Concludunt Christiani: Nullo igitur modo dij tales colendi sunt:* Et sequenti cap. 14. *Deinde quæremus*, inquit, *ipsi Poëtæ talium fabularū compositores, quare duodecim tabularum lege prohibentur famam lædere civium, tam probrosa in deos convitia iaculantes, cur non vt scenici habeantur inhonesti? Qua ratione rectum est vt Poëticorum figmentorum & ignominiosorum deorum infamentur*

mentur actores, honorentur auctores? An fortè Platoni Græco potius palma danda est, qui cum ratione firmaret, qualis esse civitas debeat tanquam adversarios civitatum Poetas cenjuit urbe pellendos; Iste verò & deorum iniurias indignè tulit, & fuscari corrumpiq; figmentis animos civium noluit. Tantum Augustinus; Quæ cum verissima sint, quis nisi planè Ethnicus Deos illos admitteret, aut eorum effectus qui certis locis etiam verè existentibus à Poëtis attribuntur? Non autem nos fugit & veteres Geographos & recentiores locum certum Troiæ, vbi stetisse præsumitur, assignare; & esse, qui testentur, Turcas eorum locorum accolas referre, ex ruderibus Trojæ subterraneis adhuc marmora erui ad ædes exornandas abhiberi solita: Verum hæc indicia esse valdè dubia, & si ita sint, de ædificijs, quæ ibi steterint, attestari posse, non de individuo Troiæ à dijs extructæ & à Græcis deletæ, non est dubium: Quid enim magnifici operis sub terra remansisse potuit, si stetit Troja, cum illa ætas potiùs humiles casas, et mapalia quàm palatia et ædes marmoreas agnoverit, cum mœnia ab Apollinis lyra structa dicantur, et tantillo tēpore, quo Troja stetisse scribitur, non tanta ædificia extrui potuerint, vt fama est Poëtica? Troadem autem vrbem (vnde et Trojani incolæ dicuntur) cujus in sacris à Diuo Paulo fit mentio, eo loco, circa tempus Christi stetisse, notissimum est; sed hanc alterius veteris Troiæ reliquias aut coloniam, et marmora ibi effossa non potiùs ex hac recentiori, quàm illa vetérrima fuisse, quis pro certo affirmabit? Quis non potius conjiciet hanc ad præscriptum Homeri longè pōst ejus tempora extructam, velut innumeris alijs factum animadvertimus, vt ita merito nomen vatis apud Ethnicos Homerus obtinuerit: Nā quæ finxit ille, vel vt facta hi amplexi sunt, vel vt facienda imitati. Phrygiam à Phryxo dictam volunt, qui, ut fabulati sunt, cum ariete, quem Mercurius aureum fecit, in Colchidem pervenit sive per aëra, sive per aquas, ibiq; cum habitasset, regioni nomen dedit: Huius arietis meminit quoque Apollonius lib. 2. Argonaut.

Argonaut: his versibus:

Vt puto iampridem vestras pervenit ad aures,
Phryxus ut Æetæ regnumq́ & mœnia adivit:
Hunc aries vexit, quem mox Cyllenius aureum
Fecit, nunc etiam suspensa est aurea quercu
Pellicula, interdum crepitat quæ leniter auris.

Patet itaq; Colchidem & Phrygiam valde vicinas esse regiones, & huius nomen alteri tribui, ac vice versa, quod nihil aliud indicat nisi fabulam vtramq; & de aureo vellere Phryxi à quo Phrygia dicitur, & de Trojana expeditione, quæ in Phrygia facta traditur, esse de vna eademque re fictam & introductam: Vtriusq; Allegoriæ vt vnus ferè sensus est, ita & eædem personæ finguntur, ita tamen, vt Argonauticorum filij aut nepotes partim, partim ipsi Trojano bello interfuerint, quod centum annis recentius statuitur Argonautica navigatione: quamvis, vt antè quoque retulimus, Castor & Pollux, et Helena et Clytæmnestra, ex binis ovis vno partu editi vtrisque interfuerint: Vnicus, inquam, aries totum illud bellum exponit, quale fuerit, non, quod dici solet, de lana caprina, sed arietis aurei pelle, quam Mercurius inauràrat; Hic aries et Phrygiam et Colchos nobilitavit, de cuius explicatione anteà satis egimus: Mirum est, quomodo se torqueant Mythologi in enarrando, quid per arietem Phryxi intelligi debeat, vbi vel viginti diuersas significationes ejus proferunt, quarum ne vna cum rei natura convenit, sed vt omnes erroneæ & á veritate discrepãt, ita se ipsas mutuo è medio tollunt: Dictus est, inquiunt, aureus aries, quia consilia sapientum putanda sunt aurea; At nihil ad rhombum; cum ista declaratio ne plumbea quidem sit, nec rubrica, nec atramento notanda vt in sapientum oculos ac mentem veniret: Eundem locum seu terram Phrygiam Midas suo voto aureo nobilitavit, cujus nos lib. 2. vná cum vellere aureo meminimus, et Ovid: in Met: De Pactolo Midæ

lotione aurifero reddito, hoc modo tradit:

Rex iussa succedit aquæ, vis aurea tinxit
Flumen, & humano de corpore cessit in amnem.
Nunc quoq; cum veteris percepto semine venæ
Arva rigent auro madidis pallentia glebis.

Quæ tingendi ratio etsi naturæ non conveniat, tamen satis declarat, quid eâ antiqui innuere voluerint, nempe idem quod per vellus aureum, Trojæ occupationem, Ganymedis raptum, & his similia, vnde et Midas rex suæ tempestatis ditissimus traditur, qui Tmolum montem *Phrygiæ* auriferum Phœbo victoriam cantûs adversus *Pana* adjudicantem redarguens, auritus à *Phœbo* redditur: Testes itaq; sint Tmolus & Pactolus, Aries Phryxi & Midas *Phrygiam* auri venis abundasse, ideoq; multarum fabularum narrationibus locum dedisse: His adjungemus Ganymedem itidem *Phrygium*, qui Laomedontis regis Trojanorũ filius dicitur à Iove sub aquilæ forma in cœlum evectus, vt illi pocula pro Hebe ministraret, sub qua fabula Cicero l. 1. Tusc. quæst. arcanũ quippiam contineri subodoratus est, dum inquit: *Nec Homerum audio, qui Ganymedem à dijs raptum ait propter formam, vt Iovi pocula ministraret: Non iusta causa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria: Fingebat hæc Homerus & humana ad deos transferebat.* Quibus verbis fatetur Cicero Homerum finxisse, quæ de Ganymede rapto scripserit; Ita & nos scimus Homerum in toto suo opere fecisse, non solum in hoc vno, sed singula & vniversa ad aliũ scopum direxisse, quàm verba sonant: Alij hoc Iovis factum ad hystoriam referre conantur dicentes, Iovem fuisse regem Cretæ hominem immundissimum, qui et pueris abusus sit, & virgines exterorum rapuerit, Et Tantalũ regem Phrygiorum Ganymedem filium Trois regis Dardanorum rapuisse in ejus gratiã, vt eo Iupiter abuteretur secundũ Orosium lib. 1. Verum hæc esse ab alijs excogitata, et nulli veritati inniti ex omnibus circumstantijs apparet: Lactantius quoque lib. 1. de Iove sic sentit: *Quid Iupiter*

Homerus humana ad Deos transtulit.

piter, qui in solenni precatione Optimus Maximus nominatur, nonne à prima sua causa, ac pueritia penè parricida deprehenditur cum patrem regno expulit, nec expectavit finem decrepiti senis cupiditate regnandi, & cum paternum solium per vim & arma cepisset, bello est à Titanibus lacessitus, quibus victis reliquam vitam suam in stupris adulterijsq; consumpsit: Omitto virgines, quas imminuit; Illud enim tolerabile iudicari solet; Amphytrionem ac Tindarum præterire non possum, quorum domos dedecore ac infamia plenissimas reddidit: Illud verò summæ impietatis ac sceleris, quod regium puerum rapuit ad stuprum: Parum enim ei videbatur, quod sic in expugnanda fœminarum pudicitia maculosus esset & turpis, nisi etiam sexui suo iniuriam faceret: Hæc Lactantius. Verũ Iovem non fuisse hominẽ vti nec Deum, nec regẽ Cretæ, ex antè dictis satis constat, quod nempè ab Ægyptijs longè antequàm Græci quicquã de illa religione ab Orpheo primitùs allata cognovissent, multis et monstrosis figmentis et allegorijs celebratus erat; Nos nec inter Deos nec homines, illum ejusq; parẽtes seu proavos, nec fratres aut sorores, nec filios, nepotes aut posteros recenseri debere aut posse, satis probavimus: Quæ de Ganymede referuntur, ad hieroglyphica Chymica spectant; In his enim Ganymedes non pro hyeme pluvias mittente tanquã pocillatore Iovis, seu aëris, nec pro aquario signo cœlesti exponitur; sed de eo, quod per aquilam evehitur, hoc est, de fixo, quod per volatile ad summam dignitatem effertur; Sexta ratio omnium firmissima est, & desumitur à Conditionibus seu Requisitis, sine quibus Troja oppugnari non potuit: Sex enim quasi fatalia celebrãtur omninó, quæ concurrere necessum erat, & à Græcis conquiri oportebat, antequàm de Trojanis victores evadere possent; Illorum primum erat, quod Calchas vates pronunciasset, Trojam sine Achille capi non posse, nec absq; Neoptolemo eius filio; Alterum, Palladium ex Ilio diripiendum fore; Tertium, vnum ex ossibus Pelopis ad Troiam, antequam expugnetur, haberi debere: Quartum, Cineres Laomedontis ex porta rapiendos esse:

6. Ratio. A sex conditionibus seu requisitis fatalibus, sine quibus Troia expugnari non potuit.

Quintum, sagittis Herculis opus esse; Sextum, Equos Rhesi Thraciæ regis, antequã è Xantho fluvio biberent, abigẽdos fore. Hæc primo aspectu fabulosa apparerent, nisi ab Homero & illis authoribus, qui post eum Trojanæ cladis meminerunt, passim inculcata essent: At quid res tam diversæ & à proposito alienæ ad civitatis expugnationẽ cõferre potuerunt, aut gentis excidium? Quid hæ Græcis prodesse & Trojanis obesse traduntur, nisi fortè magicâ vi, aut supernaturali virtute? Legimus in sacrarum literarum monumentis, quomodo Hierochuntis mœnia circuitu & sono tubarũ repetito, á populo Israëlitico, Dei iussu dejecta sint, aditusq; victoribus Israëlitis patefactus, at tale quid apud Ethnicos cõtigisse non meminimus: Hoc à *Deo* Exercituum verissimè factum habetur, illa, quasi facta essẽt, finguntur; Hoc sacratissimæ literæ, illa poëtarum fabulæ tradiderunt; Verum vt magis conspicuum fiat, has res non solum ficticias esse, sed propter quid tandem efficta sint, de singulis earumq; circumstantijs latius disquiremus: *Primum* erat Achillis præsentia, & virtus invicta contra Trojanos: Fingitur autem Achilles Pelei & Thetidis filius: (*sonis* cænum, vt Thetis aquam significat) Nam Peleus, vt Isacjus scriptum reliquit, Chironis patris consilio Thetin sub formâ sepiæ piscis latentem in Magnesia, loco Thessaliæ, compressit; Ad quorum nuptias in Pelio monte (vbi nostra magnesia latet, inde primitùs dicta) celebrandas omnes dij venerunt, exceptâ Discordiâ, quæ hinc irata in medium omnium pomum iniecit aureum cum hac inscriptione, detur Pulcherrimæ: Hoc malum omnis mali Trojanorũ initium fuit: Nam in his nuptijs duo semina jaciuntur seu causæ principales præbentur Troiæ delendæ; *Primó* enim Achilles ex his generatus; deinde & *Paris* pro judice arbitrario eligitur, qui Venerem, á qua munere promisso, Helenâ formosissimâ, corruptus erat, Pomo dignissimam iudicavit; Hinc iræ reliquarũ dearum in Troianos exarserunt, tum propter *Paridem* iudicem, tũ propter Æneam Veneris filium, & Helenæ raptus consecutus est: Helenam

Iosue c. 6.

I. Requisitum: Achilles & Neoptolemus. Arcana.

Helenam aliquot ex *Paride* liberos suscepisse scribunt, vnde patet eam adhuc quinquagenario minorē fuisse; At quomodo *Pollux*, qui cum ea ex vno ouo prodijt, interfuit Argonautis, circiter 100. annis ante vellus aureum petentibus? Aut quomodo Achilles natus in his nuptijs, qui filium suum Pyrrhum secum duxit ad Troiam? Vnde sequitur ad minimum 40. annis post pomum Eridos proiectum ad Troiam contendisse Achillem, quibus si duratio obsidionis, nec non vitæ Helenæ accedat tempore Argonauticæ expeditionis, conficiunt non minus quam 180. annos ætatis Helenæ, Troia iam devicta, et mæcha recuperata á Græcis: Nec Helenam valde iuuenem tum fuisse consequitur, quia et á Theseo rapta adhuc virgo dicebatur, sed restituta parentibus: At hæc scrupulosius rimari superuacaneum existimamus, cum res per se ficticia satis constet; Helinandus narrat Iovem amasse Thetydem, cum verò moneretur, ne quem ex ea generaret, á quo ipse á regno expelleretur, dedisse eam vxorē *Peleo* regi *Pelopōnesi*, fratri Æsonis, patruo Iasonis quorum nuptijs cum omnes deæ adessent, excepta Discordia, hanc iratam pomum aureum in medium dearum proiecisse, cum inscriptione, vt antè dictum: Fulgentius vult per has tres deas poëtas intellexisse tres vitas, scilicet per Venerem, vitam voluptuosam, per Iunonem vitam actiuam, per Palladem vitam contemplatiuam: Sed hæc moralia primariò de illis dici, non est verisimile ex omnibus circumstantijs, secundariò autem optimè convenire non negamus: Ex prædictis itaq; constat, Achillem esse *Pelei*, hoc est, cæni, vel montis *Pelij*, et Thetidis deæ marinæ seu aquæ, filium, Chironis nepotem, Saturni pronepotem, Cœli et Terræ abnepotem; Sic enim oportet esse illum, qui a philosopho eligi debeat ad opus suum explendum; Absq; illis proavis vix generosæ erit indolis; Verùm audiamus eius institutionem et eruditionem, nec non electionem; Achilles postquam è Thetyde dea natus esset, quia illa cognoverat, ipsum invictum Heroa in bello futurum, ideo cum á tene-

ris assuefecit ad gravia quæq; sustinenda: Nam per noctem sub igne ab ea occultatus dicitur, vt omne mortale absumeretur, per diem ambrosiâ perunctus; Cumq; eodem modo & fratres eius tractaret, cæteri obierunt, hoc vno superstite & viuido permanente, vnde Pyrisous, quasi in igne viuens, ac cum labro adusto esset, Achilles postea vocitatus est, vt tradit Apollon: lib:4. Argonaut: Cum veró Peleus pater huic filij educationi interueniret, irata Thetis aufugit, seq; in numerum Nereidum recepit: Achilles deinde Chironi erudiendus traditur tam armis quám artibus; Cumq; à matre responsum acceperat, sese in bello aduersus Troianos periturum, abdidit sese inter filias Lycomedis habitu virgineo, sub quo & Deidamiam compressit & Pyrrhum ex ea suscepit: Verúm cum à Calchante vate pronunciatum esset, ad Troiam evertendam Achille opus esse, à cæteris Græcis Vlyssi hoc negocij datum est, vt Achillem alicubi latentem inquireret & ad Troiam adduceret; Quod ille summâ diligentia ac consilio perfecit: Estq; hoc primum & præcipuum ex factis memorabilibus Vlyssis, quæ hic tractamus: Per Vlyssem veró artificem prudentem consilio & arte præstantem intelligimus; Per Achillem, subiectum illud artis, sine quo nihil fieri potest: Hæc duo agentia, vnum exterius, alterum interius, nisi adsint ad Troiam, obsidio & expugnatio feliciter perfici nequit: De Agente exteriori seu Artifice prius perpauca philosophorum testimonia addemus: Geber artificem duplici dote præstantem describit, nempe corpore & robore Herculeo, & animo seu ingenio Vlysseo: De corpore iam anté libro 5. egimus; De animo hic eiusdem Gebri verba apponemus: qui in sum: perf: par: 1. c. 5. agens de impedimentis ex parte animæ artificis; *Dicimus igitur*, inquit, *quod qui non habuerit ingenium naturale & animam perscrutantem subtiliter principia naturalia & naturæ fundamenta & artificia, quia consequi naturam possint in suæ actionis proprietatibus, non inueniet huius preciosissimæ scientiæ veram radicem:* Vbi deinde reijcit eos, qui duram habent cervicem, in omni

Vlysses artifex consilio valens.

ni perscrutatione vacuam ingenio, qui et vix communem intelligere queunt sermonem, et opera similiter cum difficultate discunt vulgó communia, qui facilè omnem phantasiam concipiunt, qui quod credunt se verum invenisse, phantasticum est totum & á ratione devium & errore plenum, & semotum á [illegible]ipijs naturalibus; Quorum cerebrum multis repletum fumositatibus, non potest recipere veram rerum naturalium intentionem; Qui mobilem habent animam, de opinione in opiniones & de voluntate in voluntates, sicut, qui modó credunt hoc, & idem volunt sine rationis vllius fundamento, paululum veró pòst illud, & aliud credunt similiter & aliud volunt, qui tam mobiles, vt vix minimum eius, ad quod intendunt, possint consummare, sed diminutum potius illud relinquunt; Qui non possunt videre veritatem aliquam ex rebus naturalibus, non magis, quam bestiæ, velut mente capti, insani & pueri, qui contemnunt scientiam, & ipsam non putant esse, quos similiter hæc scientia contemnit, ipsosq; ab huius preciosissimi operis fine repellit, qui serui sunt pecuniæ deseruientes, hanc scientiam mirabilem et ipsi affirmantes, sed ipsa dispendia interponere timent, ideoq; licet ipsam affirment et secundum rationem ipsam investigent, tamen ad operis experientiam non perueniunt propter pecuniæ auaritiam: *Ad hos igitur*, inquit, *non peruenit hæc scientia nostra: Qualiter enim, qui ignorans fuerit, vel scientiam inuestigare neglexerit, faciliter ad ipsam perueniret?* Et cap. 6. vltimâ paupertate oppressos, licet hactenus dicta habeant, ex dispensationis indigentia hoc tam excellens magisterium postponere cogi affirmat; Aliosq; curiosos varijs huius mundi curis & sollicitudinibus detentos, etiamsi cætera possideant, ad finem artis nunquam pervenire: Sic idem Geber c. 7. sub formâ Epilogi verum artificem seu Vlyssem describit, cuius verba dicto loco videantur: Vnde Isaac lib. 1. c. 99. de operibus ad finem necessarijs sic inquit: *At quicunq; Chymista omnia ista non intelligit, antequam operari incipiat, is nec iam, nec vllo vnquam tempore*

tempore quicquam in vniuersa arte Chymia producet, quamvis semper operaretur: Fortè fortunâ ad aliquam artem peruenire posset, quemadmodum cæcus passerem sagittâ ferit, sed aliter ad eam peruenire non posset. Vlysses itaq; satis descriptus est, quibus animi dotibus pollere debeat, vt Troia eius consilio potissimû occupari possit, quemadmodum patet in oratione Vlysis contra Aiacem, apud Ovid: in Meta: Eius ope erâ factum esse solius, quicquid ad Troiam à Græcis fæliciter perpetratum sit; Ac prima eius laus est, quod Achillem adduxit; Ad quod negotium in se susceptum mercatorio habitu claustra virginum explorans progressus est, sicq; Achillem tandem inventum, nolentem ad Troiam adduxit, vna cum filio eius Pyrrho, iuvene rufi capillitij: At quorsum hæc? Nos fatemur, hæc esse in Chymicis arcanissima, & ab Homero miro artificio tradita; Subiectum enim aliquod est in rerum naturâ, sine quo Artifex philosophicus nihil efficere potest; Idq; subiectum est inquirendum Vlysseo ingenio; Neoptolemus propriè vocatur, & est ardentis capillitij ex Achille natus; Quomodo autem nascatur, procedere quem oportet, vt Thetis cum Achille processit; Hoc est arcanum arcanissimum, á philosophis vix vnquam claris verbis expressum; Quod si verò huius tractatus loca consentientia perlustraveris, in Rhodo apud Adonim & alibi sæpissimè id animadvertes: Vnus est ex omnibus neotericis, qui hoc arcanum apertissimè tradit; Cumq; hoc sit Clavis totius artis, ego eiusdem verba hic proferam: *Mineralis est*, inquit, *æqualis est, continuus est, non vaporat, nisi nimium excitetur, de sulfure participat, aliunde sumitur, quam à materia, omnia diruit, solvit & congregat, similiter & congelat & calcinat, & est artificialis ad inveniendum, est compendium sine sumptu aliquo, saltem parvo.* Cætera apud suum authorem, qui notus est, videantur: Si Vlysses igitur noster Achillem habeat & Pyrrhum acquiret; Nam propter filium adducitur pater: At vnde, quæres, hic Achilles accersetur? Respiciendum est ad parentes & natalem locum Achillis; Pater est Peleus, mater Thetis.

Arcanum Arcanissimum.

Thetis, ex nominibus & ominibus agnosces, Sic in forma sepiæ latentem Thetin inivit *Peleus*: Sepiæ genus aquaticum notum est, quod dum capitur, atramento aquam inficit; Locus est Magnesia; Vnde & noster Achilles ab aliquibus Magnesia dicitur; Hinc Flam: ex Democ: *Magnesia enim dealbata non sinit corpora frangi, nec umbram Veneris induci*: Et mox: *Quæ magnesia nisi totum compositum?* Et; *Magnesiæ pulchra vide, mirareq; quomodo per vnum multitudinem infert*: Et Dardaris in turba; *Præterea scitote, quod æris corpus magnesiâ regitur*: Mosius; *Argentum vinum Cambar, est magnesia*; Pythagoras; *Non igitur oportet vos illam dimittere magnesiam absq; argento vivo: Cum enim componuntur, fortissima est compositio, quæ vna est de decem*; Pandulphus: Belus, Astratus Rarson, aliijq; quam plurimi in turba eiusdem meminerunt, quorum dicta omittimus; Quin idem Pythagoras sic totam artem definit; *Et sciendum, quod nihil aliud est huius artis scientia, quam vapor & aquæ sublimatio, argenti vivi Magnesiæq; corpori coniunctio*; Nec refert quod aliqui putent hoc nomen illi ex invidia datum esse; Vnde Rarson; *Hoc quidem maximum est nostrum arcanum, quod invidi Magnesiam appellârunt, propter arcanum ipsum: Diligenter igitur ipsam magnesiam in vase suo coquite, quousq; totum coaguletur & seipsum contineat*: Habita itaq; magnesia, seu Achille (seu Pyrrho inde exorto) qui matris industria sub igne foueatur, & à Chirone auo, qui tot Heroas, & inter eos Iasonem patruelem eius instituit, educetur, vt verè Pyrisous & salamandra nostra fiat, ad Troiæ occupationem accedere licet: Per Troiæ autem obsessionem et in cineres redactionem, nihil aliud ab Homero mysticè & occultè intellectum est, quam vasis philosophici, in quo Helena & Paris, Materia principalis continetur arctè conclusa, ab igne suo circumeunte, vaporoso et digerente periodus et ambitio; Helena ipsa est, propter quam concertatio fit, in cuius gremio Paris ignauus adulter delitescit; In vno enim subiecto est duplex vis agens et patiens, mascula et fœminea, cum qua concurrit

Quid per Troiæ deletionem intelligatur.

Achilles, at per insidias à Paride in fano Apollinis Thymbræi interfectus est; Sic iacet ille fortissimus Græcorum ab ignavissimo & mulierofo Troiano occisus; At ita fieri oportuit; Ignis enim noster ab aqua sua tandem extingui debet, & aqua habet primam vim agendi, in solutione scilicet; Atq; tum vt moriatur Achilles necesse est, postea autem cum iam color ad optimum conuertitur, tota Troia occupatur Palladis arte & scientia, diripitur & in cineres redigitur, carissimos tamen & non aspernandos: Ex illis enim Phœnix immortalis nascitur & reviviscit; Ex illis, inquam, reliquijs coloniæ in exteras mittuntur oras, Æneas, Diomedes, Antenor & alij, qui noua regna condunt & obtinent: Hæc est summa totius operis Homerici de Troiano excidio; Cuius circumstantias particulatim in sequentibus dilucidiores reddemus: Helena & Pollux ex uno ouo redduntur, masculus & fœmina; Sic Helena & Paris in vno thalamo resident, & Marchasitam nostram philosophicam vno nomine compræhendunt; Achilles & Pyrrhus noster laton est, nostra magnesia, noster ignis; Sic bellum inter marchasitam & magnesiam exortum est, in quo illa primò dominatur, pòst autem hæc; Vis exempla authorum? Vide Morienum; qui inquit: *Et item Maria dicit: Nihil est, quod à latone suam obscuritatem vel suum possit auferre colorem; Sed Azoc est quasi eius tegumentum, primum videlicet quando decoquitur; nam & eum colorat & album reddit, ac iterum dominatur laton Azoc, & eum rubeum reddit; Alius quoq; Philosophus ait: Quod Azoc nequit substantialiter latoni suum auferre colorem, vel eum mutare, nisi quantum ad visum, sed latonem ab Azoc suam auferre substantialem albedinem, quoniã inest ei mirabilis fortitudo, quæ super omnes colores apparet:* Hæc Morienus: Laton itaq; Achilles est aut filius eius Pyrrhus patris defuncti locum tenens, & Azoc Paris cum Helena; Primus occumbit Achilles, vt dictum, quia Azoc latonem tegit & deuorat; At pòst Pyrrhus dominatur rubro capillitio, qui totam Troiam evertit, & omnia ad suum colo-

Summa operis Homerici.

colorem, nempe latonis, reducit: Hæc sunt scientibus adeò clara, vt sol non clarior in meridie appareat; Talpis autem lumen eiusmodi nil prodest, neq; noctuis, quia his cæcutire volupe est magis quam videre: Achilles clypeum habuit à Vulcano fabricatum invulnerabilem & hastam Peliam, de qua Ovidius;

Vulnus Achillèo quod quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta fuit.

Idque non iniuria dicitur; Quia Pyrisous, seu pyrausta, seu salamandra, Achilles noster in igne viuere debet, & non consumi; Ideoq; necesse est, vt ipsi validissimus clypeus à Vulcano fabricetur, quo ille ictus flammæ recipiat, seq; defendat; Nec enim satis erat à matre & auo Chirone instructum esse Achillem, vt pugnare posset contra ignem, sed ipsi quoque Clypeus Vulcani necessarius fuit; Ipse prius Hectorem Troianorum fortissimum interfecerat, cuius cadauer à Troianis auri æquato pondere redemptum est; Sic cum ille à Paride in Apollinis fano interemptus esset, eius cadauer similiter auro exæquatum est; Nam cum hi heroes sint omnino aurei & ab aureis dijs ferè omnes oriundi, auro æquiparantur non immeritó; Ossa quoque eiusdem in aureo vase, quod largitus fuit Thetidi Bacchus, recondita fuisse memorant, eique Medeam nupsisse post mortem in Campis Elysijs: Bacchus seu Dionysus, quod aureus deus sit, qui Midæ aureum votum concessit, ex antè dictis patuit; Ideo eo vase beavit Thetin. Quod in campis Elysijs Medeæ nupserit, causa est, quia noster Achilles mortuus reiuuenescit, & fit medicator ægrorum, hoc est, hominum corpora á languoribus & affectibus varijs relevans, ijs quasi novam vitam inducit, vt ipsa Medea fecisse perhibetur suis pharmacis, velut antè dictum; Non solum enim á Chirone visceribus leonum, aprorum & vrsorum medullis, (nec lacte humano) nutritus est,

 sed

sed etiam præter cytharæ pulsandæ artem & usum herbarum, peritiam venandi & jaculandi, leges æquitatis & prudentiæ, in arte medica institutus dicitur, ut Staphylus scribit lib. 3. rerum Thessal: Ob ejus mortem aiunt Musas & Nymphas omnes flevisse: Neq; id sine causa; Aquilæ enim novem cum decima parte terræ nigræ, aut Musæ cum Apolline, hoc est, Nymphæ & Lymphæ suis lachrymis ejus corpus humectârunt; sic enim convenit: Unde & dicitur, cum ad Trojam advectus navi descenderet in terram, fontem aquarum excitasse: Hasta ejus magnarum virium fuit, quia intoxicata calidis venenis existimatur, proptereà quod vulnus eâ factum consolidari non potuit, nisi ejus admonitione ad vulnus; Itaq; eo magneticam vim unguenti armarij nostro tempore dicti expressit; Lullius Theor: test. c. 81. huiusmodi lanceæ sub Allegoria meminit his verbis: *Fili, accipe de nostro aere & de terra modicum, & perfora latus eius acuta lancea tota calida, & videbis à ventre suo exire tantum de cholera nigra & combusta, quod habebit potentiam intoxicandi & impotionandi totum mundum*. Et mox Pyrrhum nostrum describit hoc modo: *Et natura huius rubei capitis est una substantia multum subtilis & levissima, & in complexione multum calida & sicca & acuta*: Atq; hic est Pyrrhus rubro capite, seu Achilles Pyrisous: Idem Lullius Helenam & Paridem eodem cap: optimè depingit, dum dicit: *Post hac adde illis duas partes de pedibus albis: Natura illorum pedum alborum est una substantia grossa mediocriter, & in qualitate mediocriter frigida: Et per hanc proprietatem participat oculos nigros, est adhuc in substantia mediocriter subtili per suam qualitatem humidam & calidam.* Hæc Lullius: Nigredo superveniens Paridem repræsentat, quia illa caput rubeum extinguit, at pòst Helena cum Paride cæterisq; Trojanis à rubedine illa, sive latone, sive Pyrrho omninó extirpatur ita, ut rubedo dominetur post omnes colores devictos; Hanc esse genuinam explicationem Trojanæ pugnæ testes mihi erunt illi, qui de vero Arcano nonnihil subolfecerint, qui cum Ulysse post multos erro-

res Achillem nostrum agnoverint; Nec mirum videri hoc debet cuiquam per prælium aut obsessionem arcis vel vrbis opus Philosophicum descriptum esse ab Homero, cum hæc allegoria & describendi ratio huic operi maximè conveniat, propterea quia in nostro opere sint duo, agens & patiens, interq; ea continuum bellum, donec vnum subiuget alterum, & Græci rubeo capillitio dominentur Trojanis; In hunc modum Dionysius Zacharius Gallus, qui anno 1548. se scripsisse testatur, vel paulò post, allegoriā venustissimam desumpsit ab Imperatore principem obsidēte in oppido quodam, quæ vera hystoria erat, cum ante 3. vel 4. annos eo ferè tempore & modo in Germania contigerat, atq; ita Trojanum bellum suo opere licet inscius, verè expressit; Vt autem reliquos omnes, eandem similitudinem vsurpantes, qui permulti sunt, prætereamus, Basilij Valentini hac de re testimoniū proferemus, qui in vitrioli descriptione ita concludit; *Et pro memoria hoc dico, quod si Paris nobilem Helenam absq; interpellatione tueri possit, ne generosa civitas Troja à Græcis amplius deleatur & Priamus cum Menelao hinc tristitia afficiantur, tum Hector et Achilles concordes fient ad impetrandum regium sanguinem absq; bello et possidendum Monarchiam cum nepotibus et posteris omnibus amplificando eorum ditiones cum magnis divitijs*; Quibus accedit, etiam alios doctos viros de hoc Trojano bello philosophicas cogitationes suscepisse, quòd, dum hæc ederemus & jam ad sextum librum Chalcographus venisset, ab amico quodam & doctissimo viro admoniti fuerimus ex Germania tractatum nuperrimè allatum (non dissimilis à nostro argumenti) de Achille Redivivo inscriptum, quo Achilles, Chiron & aliæ personæ ad medicinam quandam reducantur: Quod si ita est, cum ipsum videre hactenus non contigerit, de eo nobis gratulamur ac lectori scintillantem veritatem de Troiana expeditione eò lubentiùs ob oculos ponimus: Secundum requisitum ad capiendam Trojam, præter Achillem, erat Palladium ex arce Troiana diripiendum, quod quale & quid fuerit, & vnde

2. Requisitum, Palladium.

Venerit, variæ fuerunt opiniones. Nos ab Apollodoro, lib. 3. traditam fabulam amplectimur, qui inquit, quod ubi Ilus Ilium condidit, discolorē bovem secutus, deos precatus est, vt aliquod sibi signum appareret, atq; tunc decidit Palladium trium cubitorum, quod sponte ambulare videbatur, dextra hastam tenens, ac sinistra manu colum ac fusum: Huic Ilo postea responsum fuit ab Oraculo, tam diu civitatem Trojæ incolumem futuram, quam diu inviolatum illud Palladium servaretur: Pherecydes omnes imagines manibus non factas, at è cœlo in terram dejectas, Palladia fuisse appellata affirmat, quasi ejus generis plura fuerint: Hoc, de quo hic loquimur, aiunt è cœlo in Pessinuntem Phrygiæ civitatem, quæ ab eo casu nomen obtinuit, vt Dio & Diodorus putârunt, delapsum: Alij vt hoc excusent, alias fingunt causas: Nonnulli ad Palladis cum Minerva certamen referunt tanquam imaginationem timoris pectori Minervæ impressam, quod Palladium sequentibus temporibus fuit ad Trojanos delatum. Ovidius lib. 6. de fastis narrat, quod tempore Iuli regis Trojanorum, qui fuit quartus à Dardano, á quo Trojani dicuntur Dardanides, Palladium prædictum cecidit de cœlo in summam arcem Trojæ: Consulitur super hoc Apollo, qui respondit, quód quā diu Troja haberet Palladium, tam diu staret ejus imperium: Trojani ergo summa diligentia servabant Palladium in arce vsque ad tempora Priami regis, qui aliquantulum negligentiús illud servabat. Vbi admirandum est, quod Christiani Mythologi saltem enarrent, quomodo Palladium vel è cœlo deciderit, vel ex Minervæ timore pectori impresso contigerit, ac nihil addant de causis existentiæ, aut non existentiæ, quasi satis sit Ethnicorū produxisse mysteria, & non ex fundamento revulsisse: Nos dicimus quomodocunq; accipiatur Palladium è cœlo delapsum vel ex Minervæ timore exortū, fabulosum esse et ex Homeri cerebro, nō aliunde, decidisse, á quo tanquā à Deo aliquo omnes cæteri Poëtæ profecta arripuerūt & miris laudibus in cœlum extulerunt; vnde non inconcinnè

Poëta omnes Ethnici ab Homero figmenta mutuati sunt. Ælian. l. 13. c. 22. Galaton pictor Homerum pinxit vomentem, &c.

cinnè quidam Homerũ finxit magnam de se spumam evomere,ac alios quoscunq; ipsi accumbere græculos *Poëtas* sputum eius lambentes; *Per* hos enim rivos ex eo fonte deducta est superstitio & de dijs monstrosa opinio in Græcorum ac pòst Latinorum mentes, totiusq; orbis gentes; Hoc *Palladium*, quia omnino fictitium fuit, multas dubitationes excitavit,non solum vnde venerit, vt antè diximus, sed etiam an à Græcis hoc occupatum sit,an verò ab Ænea vnà cum reliquis dijs Trojanis ablatum, et in Italiam gestatum sit:Ovid.lib.6. de Fastis, id sub dubio relinquens,asserit suo tempore *Palladium* fuisse Romæ in tẽplo deæ Vestæ,cum quo concordat Tit:Livius de secundo bello *Punico*; De eo fatale narrant quòd eo translato transferretur imperium;Vnde sacra fatalia appellata sunt,& tres dicuntur, in quibus fuerant,civitates perdidisse, nempe Trojam primò, pòst Laviniũ, deniq; Albam; Hanc condidit Ascanius,vnde Albani,quæ dicitur fuisse mater Romæ, à Tullo Hostilio deleta: At communior sententia est *Palladium* fuisse à Diomede & Vlysse arce Trojana direptum,et ad Græcos delatũ;Hi enim,vt Virgil.2. Æneid: et ex eo August:l.1.c.2.de Ciu.Dei meminit, cæsis summæ custodibus arcis corripuère sacram effigiem, manibusque cruentis Virgineas ausi divæ contingere vittas:Dictys Cretensis narrat,quod Antenor Trojanus propriæ patriæ proditor postquam cum Græcis ordinaverat proditionẽ Trojæ,persuasit Theanæ, quæ fuit sacerdos templi Minervæ seu Palladis,vbi servabatur *Palladium*, quod sibi illud traderet,quod et fecit,quo facto Antenor tradidit illud Græcis; Simili modo hic Cretensis & Dares *Phrygius* referunt Æneam proditionis vrbis Trojanæ fuisse conscium, licet Virgilius conetur excusare Æneam à proditione patriæ,dicens ipsum ignarum insidiarum fuisse; Deinde post excidium vrbis aiunt ortum esse magnum certamen super Palladio inter Aiacem et Vlyssem (quemadmodum etiam de armis Achillis interfecti) vtroq; ipsorum petente *Palladium* et sua merita allegante: Faverunt Vlyssi Agamẽnon

et

et Menelaus frater Agamẽnonis, maritus Helenæ, eó quod cũ Aiax Helenam originẽ tantorũ malorũ vellet interficere, *Vlysses* eam liberavit & saluavit; Aiaci verò faverunt exercitus & reliqua multitudo; At Vlysses *P*alladium obtinuit Aiace id ægrè ferente: *P*ostmodum Aiax clã de nocte ferro invenitur interẽptus: Ortâ veró seditione in exercitu contra Vlyssẽ propter necem Aiacis, de qua suspectus habebatur apud exercitum, fugit Vlysses per mare, & *P*alladium dimisit penes Diomedem, à quo Æneas recepisse illud dicitur in Italia, vt Solinus lib. 3. c. 8. tradit: Verúm cum tanta sit opinionum contrarietas semper adversissima statuẽtiũ ac quilibet scriptor ad suam mentẽ & propositum omnia sive facta, sive ficta accommodet, vt saltem suæ gentis honorẽ quærat, nos nullis assentiri possumus, ac dicimus ab Homero, hæc omnia pendere, à quo tot *P*oëtæ sua opera seu carmina mutuati sunt, ab eodem & *D*aretem *P*hrygium, & Dictym Cretensem, quæ hystorica videntur scripsisse de bello Trojano, vt & suæ gentis gloriam quærerent, accepisse, nec vllum interfuisse ipsi bello, quam vis glorietur falso: At quid tandem Homerus hoc Palladio intellexerit breviter addemus: Superiús satis expositum est quid per Palladem significetur, cumq; ab hac Palladium & nomine et forma deducatur, facile apparet, quid Homerus adumbrare voluerit, nempè sapientiam & summam ingenij subtilitatem apud artificem esse debere, vt ille hac fretus de opere suo perficiendo sit securus; Vlysses enim in hac tota Allegoria artifex habetur acumine rationis præditus, quo omnia magis ardua negotia perficit; Primus ejus labor fuit circa inventionem Achillis ejusq; adductionem ad Trojam; secundus, vt subtiliori mentis indagine inquirat, qua ratione Troja occupari, *P*alladio scilicet arrepto possit; Ideoq; frustra de rebus planè fictis quæritur, vnde venerit, an è cœlo, an ex Minervæ imaginatione, & vbi manserit: Vlyssi autem valenti prudentiâ, non Aiaci præstanti viribus assignatur, quia artificis subtilitas hic quæritur, non magnitudo laboris seu virium, quæ circa Hercu-

Palladium quid denotet.

lis

Is personam descripta est; Nam Vlysses Helenam protexerat sua sapientia, quod ipsum decuit, ne Helena per vim Aiacis periret (tam bella iuvencula, quæ ab initio Argonauticæ expeditionis, vt suprà demonstravimus, ad minimum erit iam 180 annorum) Est enim præcipua nostra persona, quæ totius belli causa dicitur: Quæ credita sunt sacra Palladia fuisse apud Romanos, vel Albanos, ipsi viderint, an vt ancilia illa, è cœlo deciderint, an verò ex humana phantasia ortum duxerint; Nos Christiani nihil tale credimus, præsertim cum nulla adsit vera hystoria, nisi quæ à figmento poëtico nata sit: Tertium requisitum ad Trojæ expugnationem necessarium fuit vnum ex ossibus *Pelopis*: Cætera hactenus tradita ratione aliqua excusari possent, nempe Achillem propter fortitudinem singularē, Palladium propter sanctitatis opinionem de eo, à Græcis impetratum fuisse antequam Trojam evertere potuerint, verùm quod os hominis pridem demortui eó quid conferat, supra naturam & captum humanæ mentis est: Quid enim vnum os cadaveris humani efficeret, vbi tot vivi homines milleni parum præstarent? Fuit autem *Pelops* Tantali filius illius, quem apud inferos torqueri modó timore impendentis saxi, modó rerum victui necessariarum penuria crediderant, quia impurus & beneficiorum acceptorū immemor fuisset: Tantalus ab alijs Iovis & Plotæ Nymphæ, ab alijs Iovis & *Pluius* filius dictus est: Zezes hyst: 10. Chil: *Pluto* quidem matre at patre Tmolo Lydiæ rege genitum scribit: Hic cum Deos aliquando in hospitium accepisset, ipsisque lautum convivium parasset, Pelopem filium cæsum inter epulas apposuit, idque, vt aliqui arbitrantur, ad epularum magnificentiam quasi omnium rerum vel carissimum filium illis offerret: Cæterum cum id dij cognovissent, ab ijs epulis abstinuerunt, præter vnam Cererem, quæ ob raptæ filiæ *Proserpinæ* dolorem penè desipiens inconsultò humerum edit; Tum dij reliqui eius filij miserti eum rursus iecerunt in lebetem ac recoctum vitæ restituerunt: cum verò illi deesset humerus, quem

Regnante Numa Pompilio.

3. Requisitum, Os Pelopis.

comederat Ceres, dij eburneum fecisse dicuntur: Hinc Lycophron bis pubescentem appellavit Pelopem, quia junior á dijs restitutus fuit, quàm erat prius: Ideo Tantalus ad inferos detrusus, quia deorum epulas per humanam cædem contaminasset, iusque hospitij violasset, lautissimo apparatu semper habere epulas dicitur, quas tamen fame excruciatus attingere non possit: Alij illum perpetua siti vexari dixerunt, cum aqua ad eius mentum assurgeret, quæ, quoties illam attingere conetur, refugiat; Ovidius aliam causam ejus pœnæ tradidit, nempe loquacitatem, quia secreta deorum mortalibus divulgaverit, vbi inquit:

Quærit aquas in aquis et poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Huius, inquam, Tantali filius Pelops fuisse traditur, qui Hippodamiam Oenomai Elidis ac Pisæ regis filiam curuli certamine victor obtinuit, in quo innumeri proci antea succubuerant victi ac cæsi, ex quorum craneis Marti templum extruendum erat: Myrtilli ope vicit, quem postea quoque Pelops trucidavit, á qua cæde á Vulcano expiatum fuisse eum memorant. Fabulantur Pelopem, vt coctus fuit, á Neptuno amatum, vt Pindarus ait: Sepultus fertur Letrinæ, quæ Elidis civitas fuit. De Tantalo, qui filium dijs comedendum apposuit, Poëtarum fictio est; qui vel in eius contumeliam, vt eiusmodi alia de Sysipho, Ixyone, Busiride & similibus, id effinxerint, ideoque æternā quasi pœnam ipsi attribuerint, vel ob impietatem vel garrulitatem; & quidem ob hanc magis, quam illam prout de Ixione fabulantur: Quæ verò secreta fuerint deorum, quæ ille mortalibus aperuerit, facilè apparet ex convivio & epulis, quas dijs apposuit, vnde sola Ceres gustaverit; Cereri autem, vt suprà diximus, Eleusinia sacra & abditissima quæq; solennia tam apud Ægyptios quam Græcos dicata fuerunt, quorum arcana nemini aperire licebat: Vnde constare posset, hæc innui ab illo manifestata esse; Verùm

sive Tantalus ob linguæ incontinentiam taxatus sit, sive aliam ob causam, toti huic narrationi fabulam & allegoriam inesse, eamq; referri ad eas ipsas Hieroglyphicas traditiones, quarum ante meminimus, indubitatum est. Vt enim Osiris ab Iside, Bacchus seu Dionysius à Nymphis, Iason à Bacchi nutricibus, Æson à Medea, cocti dicuntur, & iterum juvenes redditi, ita & Pelops à Cerere aut dijs post coctionem, vitam & juventam simul recuperavit; de quibus cum suprà satis dixerimus, idem de Pelope intelligendum erit: A Vulcano expiatus esse dicitur à cæde, & à Neptuno amatus, qui quales dij habeantur, jam satis innotuit: De hoc Pelope Ioh: Fran: Picus Mirand: l.2.c. 2. de auro, meminit his verbis; *Sic, inquam, nonnulli interpretantur Atrei nuncupandum agnum, arietemvè, vt descriptam auri faciendi potestatem lectoribus insinuent. Nam Atrei & Pelopis opes ex metallis fuisse scriptum reliquit Callisthenes Olynthius, Aristotilis & discipulus & consanguineus.* Et lib. 3. cap. 1. *Nec defuêre*, inquit, *qui Tantali quoq; divitias tulerint acceptas Chemicæ compositioni descriptæ in pellibus agni; Vnde sit & Pelopis filij & Pelopidarum regnum longè lateq; propagatum, vt hinc absonum visum non sit, quæsisse Thyestem natu minorem Pelopis agnum, hoc est, in agni pelle faciendi auri cõpositionem exaratam, quam in arcanis habuerit natu maior Atreus extorserit q; Thyestes ab vxore fratris cognita stupro, ex quo & odia & cruentissima cœna tragædia: Meminerunt hujus rei quanquam obscuro velamento & antiquissimi poëtæ, & Cicero, Seneca & Paprius*: Hæc ille: At si rei veritas & fabulæ, quæ singulis hisce personis adhærent, consyderentur, ad Iovem omnes reduci animadvertentur, qui Tantali pater, hic Pelopis, qui Thyestis & Atrei, quorum ille ex filia sua Pelopeia genuit Ægysthum, hic Agamemnonem & Menelaum; Atreus Thyesti fratri filios apposuit proprios comendos; Ægysthus Atreum & Agamemnonem trucidat & Clytæmnestram ducit in vxorem; At Orestes matrem vnà cum Ægysto interfecit, vt suprà narratum est. Quæ omnia occasionem allegorijs de Pelope fingendis

dederunt: Os eius insignis magnitudinis fuisse memoratur, quod ab Vlysse quoque, vt reliqua, impetratũ est: At cur hoc ad Troiam occupandam vtile aut necessarium dicebatur? Absq; dubio quod artifices indicare voluerint terreã quandã substantiam ad opus requiri, quæ quasi mortua sit et reliqua ex corpore metallico, vt os ex corpore humano: Vt enim ossa in corpore animalis aut hominis sustinent carnes, humores, vasa & spiritus, tanquam basis & fundamentum domus, ita etiam in opere Philosophico vnũ fixum continet omnia volatilia seu non fixa & ita colligat, vt vna substantia meritò dici possit: Inde in Aurora consurg: dicitur, c. 20. *Quod tinctura sit à natura volantium; Et illud quod firmat & fixat ipsum spiritum, est fixum & perpetuum & incremabile, & nominatur sulfur Philosophorum vel cinis extractus à cinere, vt Senior dicit: Quod fixum est, figit res fugitivas*: Et mox, *Terra fixat, aqua dealbat, aër penetrat, ignis colorat*; Item: *Terra ibidem relinquitur vt alia tria elementa in ea valeant radicari; si ipsa non esset, elementa fundamentum non haberent superædificandum domum novam thesaurariam*: Et Author Consil: con: ex Grattiano; *Ignis in aëre fit lux; Ex osse fit calx; intendit exiccationem illius humidi splendentis, vt vertatur in cinerem, de quo dicit Aziratus, Et quàm preciosus est cinis iste: Aer in ovo fit spiritus*: Hinc et quartum requisitum fuit cinis Laomedontis è Scæa porta rapiendus: Cum enim ex osse fiat cinis, vt authores dicunt, & per experientiam patet, os & cinis sunt duæ substantiæ ad opus Philosophicum necessariæ; De cinere innumeris meminerunt locis; Bonellus in turba; *Ista natura*, inquit, *cui humiditas adempta est, cum per noctes dimittitur mortuo similis videtur. & tum illa natura igne indiget, quousq; corpus & illius spiritus in terram vertantur, & tunc fit pulvis mortuo similis in suo tumulo: His peractis reddit ei Deus spiritum & animam, & omni infirmitate ablatâ, confortata est natura nostra & emendata. Oportet igitur illam rem comburere absq; timore, donec cinis fiat, qui cinis aptus sit recipere spiritum, animam & tincturam infusam*:

4. Requisitum Cineres Laomedontis.

Inspi-

Inspicite filij doctrina, qualiter pictores nequeunt suis coloribus pingere, quousq; eos in cineres vertant & pulverisent: similiter & Philosophi suis ægrotis sæpe nequeunt medicinas componere nisi tractas et pulverisatas: Quod si ipsum cinerem rexeritis subtiliter, multa ab eo procedent, eo quod as, vt homo, corpus habet et spiritum: Idem Custos, alijq; plurimi indicant, vt legentibus ipsis patet, absq; cinere in artificio chymico nihil fieri; Duo enim ossa et cinis, plurimũ hic possunt; At alicuius certi individui cineres (vt & ossa) requiruntur, nempe Laomedontis: Hic vt Rex Troiæ mœnia exædificasse traditur Apolline & Neptuno, vel etiam Vulcano operarijs, cuius anté meminimus: Ab Hercule trucidatus fertur, vt sub 14. ejus labore exposuimus; Laomedon itaq; Trojæ fundator, ob eam ipsam vrbem vitâ privatur; Cum enim operarijs dictis mercedem pactam non daret, á Ceto vexabatur à quo Hesione filia eius ab Hercule liberata est, at cũ nec Herculi equos promissos daret, occisus est, eiusq; Cineres in porta quadã Scæa asservati; Hi ad deletionẽ Trojæ quoq; videbantur necessarij, ideoq; ab Vlysse clá̃ inde ablati: Ita sæpe authores referunt finem operis Philosophici testari de suo principio, & econtra, cũ vno incipi, et cum vno terminari; Quintũ ad Troiam requisitum erant sagittæ Herculis, qui in Oeta monte inter Thessaliam & Macedoniam moriẽs sagittas suas Philoctetæ dono dedit, mandavitq; ne cui corporis sui reliquias indicaret, juramento recepto: sed cum postmodò Delphicum oraculum Græcos monuisset, Troiam sine sagittis Herculis capi non posse, aut sine reliquijs corporis, inventus est Philoctetes & de Hercule interrogatus, negavit se quid scire, cũq; cogeretur, tacuit, sed pede locũ monstravit: Has sagittas à Philoctete Vlisses acceptas ad Græcos detulit: Eas veneno infectas fuisse aiunt, quas cũ Chiron aliquã do earũ longitudinem admiratus contrectasset, vna in pedem eius decidit, ex quo vulnus lethale accepit, sed centaurea herba sanatus dicitur. Hæc ficticia esse nemo non agnoscit; Philoctetæ sagittæ Herculis donatæ sunt,

5 Requisitum, Sagitta Herculis.

vt clava Mercurio; hac cominús illis eminús pugnavit Hercules contra tot monstra; Hac fixa & resistentia obtruncavit & emollivit, illis fugacia & volatilia fixit & retardavit à fuga: His duobus instrumentis aut operandi rationibus omnis Philosophus indiget, vt superiús sæpe demonstratum est; quemadmodum & duabus aquis, quarum vna fixat alteram & solvit mutuis vicibus; Ad Trojam itaq; absq; sagittis Herculeis parum effici poterit: Maior enim labor absumitur in fugaci & volatili sistendo & sagittis quasi figendo (vnde fixio apud Chymicos) vt apparet in Apolline figente *Pythonem*, Diana Orionem, Atalanta aprum & his similibus; de quibus suo loco egimus: Sextum requisitum & vltimum habetur, quod Thraciæ regis equi, eo cæso abducendi erant, antequam è Xantho fluvio biberent, sine quo ritè peracto Troja occupari non potuit: Hæc ridicula esse, & fabulis similima, quæ pueris à nutricibus narrari solent, nisi à tot & tantis scriptoribus, Homero ejusque sequacibus traderentur, non immeritó iudicaremus; Quid os, cineres, sagittæ ad vrbem occupandam? Quid equi adducti, antequam ex fluvio certo biberint? Attamen non sine causa ita efficta esse ex antedictis prospeximus; Erat autem Xanthus fluuius Troadis regionis, cuius hæc vis celebratur, quasi animalia ex eo potantia flavo inficiat colore; Xanthus enim flavum denotat; Hic color forté in equis ingratus videbatur; ideo equi præcavendi fuerunt, ne biberent ejus fluvij aquam; Ita memorant Neptunum ad nuptias *Pelei* & Thetidis contulisse equum Xanthum & Balium, qui ad Achillem hæreditario jure pervenisse creduntur; At miserabile quid videri posset, nisi fabula esset, propter equos abducendos Regem trucidandum esse, & quidem Thracium, ferocem et bellicosum tam leviter superari potuisse ab Vlysse solo vel paucis cum socijs absq; resistentiâ vllâ: An levius fuit Regem Thraciæ occidere, & per vim eius bona abripere, quàm Troianos *Phryges*, vt habebantur, imbelles, in quibus tamen occupandis tot

6. Requisitum; Equi Rhesi abducendi.

Rex trucidatus ob equos.

tot anni consumpti dicantur; Naturæ et rationi adversa videntur, si hystoriam consulamus: Non enim cum columbis aucupari licet accipitres, sed cum his illas, non leporibus canes venamur, sed econtrà: Quod si verò hæc ad verum suum sensum Hieroglyphicum reducantur, non erunt absurda, sed possibilia & necessaria, antequam Troia occupari possit; Et si bene ad Philosophorum dicta respiciatur, animadvertimus, illos monere artifices, vt videant, ne rubedinem pro albedine, aut albedinem pro nigredine in principio operis acquirant; Rufus enim color seu subflavus in initio non convenit, sed pro damnabili habetur apud Philosophos; Hinc Bernhardus comes monet ne colorem papaveris sylvestris acquiramus nimio igne pro nigredine; & Zacharius venenum vitare docet in primo opere, quod in secundo adesse solet; sic Isaac lateris contriti colorem inutilem dicit in principio; Post operis perfectionem omnes inculcant colorem flavum, purpureum, rubrum & tyrium, vt Gerus in turba; *Regite ipsum coquendo, donec Crocus fiat excellentissimus.* Ardarius: *Et ecce apparebit vobis lapis Tyrius*; Borates; *Terite aqua sua donec Crocus fiat in colore auro similis*: Et sic alij aurei et Xanthi coloris meminerunt eum adesse debere in fine operis, non in principio, ibi esse vtilem, hic noxium: Et ita de Equis Rhesi existimandum est, ipsos abducendos esse ad Trojam antequam flavescant; Atq; hæc sunt sex illa memorabilia requisita, sine quibus Troia occupari aut deleri non potuit: Quibus non immerito septimum adijci deberet, nempe Equus ille Troianus armatis viris repletus & in vrbem deiectis mænibus deductus; Inventum Palladis dicebatur, quia stratagema subtili ingenio excogitatum videri posset, nisi cum tanto periculo coniunctum esset, & Troianos nimiæ simplicitatis, ne dicā stoliditatis, argueret, quòd hoste in terra sua morante muros demolirentur, & ita ipsi eos, á quibus subigi possēt, in vrbem inducerent: Verùm et hoc fictionem manifestè arguit in pluribus, licet aliàs excusari possit; cum similia

Equus Troianus.

Iphigenia mactata.

lia exempla in navigijs nostro tempore feliciter perductis experti sumus: Ita de Iphigenia Agamemnonis filia Dianæ oblatâ pro sacrificio, propter mala exercitui infesta, res omnino ficta est & fabulæ proxima, quemadmodum & omnia, quæ in tota Iliade & Odyssea habentur allegorica sunt, partim physica et arcana naturæ opera explicantia, partim polytica, et reges in multis, seu personas publicas, et privatas instituentia, Ideo Homerus tanti ab Alexandro Magno fiebat, qui eum suo cervicali noctu supposuit, et regium viaticum appellavit, vt et ab alijs omnis ætatis magnis et doctis viris, adeó vt summum ingenij humani artificium in Homeri opere expressum videatur, nisi tot et tanta mala, vná cum bonis inculcaret, nempe deorum adulteria, furta, cædes, rapinas et alia; quæ tantum virum non revera dijs attribuisse verisimile est, sed poëtica licentia et allegorico scribendi modo protulisse, vt sapientes nucleum á cortice, bonum a malo separarent, inq; suum vsum verterent: Quadruplicem itaq; vsum Homero, et etiam Orpheo, assignamus; Primum hieroglyphicum, arcanum, profundum et latentem, primarium, arcanissima naturæ opera, de quibus egimus, spectantem; Atq; hunc soli philosophi et Chymicæ veræ conscij introspiciunt et admirantur, cæteri negligunt et sub vmbroso tegmine non animadvertunt; Alterum polyticum, ethicum, moralem, hystoricum, oeconomicum, secundarium, Reges, duces; Magistratus, et singulos quosq; in moribus et communi vita instruentem; Quem plures animadverterunt, et solum in eo quasi divinitatis quid habentem suspexerunt; Tertium relinquimus poëtis, qui eius fabulas, figmenta, & traditiones de dijs, heroibus, alijsq; rebus vni é amplectuntur; Quartum Grammaticis deputamus, qui ornatum, phaleras et seriem dicendi obscruant et alijs interpretantur; Vnde Homerus (mendicus falsissimè habitus, cum fuerit vir maximè polyticus et in rebus magnis agendis expertissimus, quod non in mendicum, sed maximum ingenio, fortunaq; dotibus præstantem cadit) tot Grammaticos

Quadruplex vsus Homerici Operis:

1. Hieroglyphicus.

2. Polyticus.

3. Poëticus.

4. Grammaticus.

maticos per Græciam alere dicebatur, vt etiam Alcibiades cuidam Homerum mordenti colaphum eam ob causam infregerit, hoc scommate addito; Tuné ipsum mendicum, aut vanum nominabis, qui tot alios sui interpretes & dites facit? Ex tot itaq; rationibus & argumentis in medium productis & hactenus explicatis satis apparet Troianam Expeditionem parum aut nihil habere in se veritatis hystoricæ, at plurimum allegoricæ; & potius propter intellectum arcanum, quam sensum vulgarem introductam esse; Nihilominus non diffitemur & secundum, tertium & quartum vsum, vt modo diximus, eidem attribui posse: Nam nihil vetat allegorijs & fictionibus aliquid veritatis admiscere, quamvis econtrá non deceret rebus veris fictitias ingerere; Vt enim fermentum vel in minima portione puræ massæ similagineæ immixtum totam reddit acidam & fermentosam, ita & res falsæ aut fictæ etiam non multæ hystoriam veram suspectam reddunt, & fide omnino priuant; Sic si poetæ, vt Orpheus & Homerus, forté suis fabulis & allegorijs nonnihil veritatis immiscuerint, quo ad loca, res aut personas, non tamen sequetur eas esse veras, aut ita, vt sonant, assumendas & intelligendas velut plæriq; ex Ethnicis fecerunt; Quocirca si quis eiusmodi in dictis poetis offendat, hoc fictiones illorum non, nisi inconsyderatissimo, veras efficiet: Vnde si fuisset Troia antiquissimo tempore civitas, et destructa, non tamen hoc modo, vt describitur, id factum esset; Namque quæ à poëtis, aut hystoricis hos sequentibus ærate et scriptionis modo, traduntur, talia sunt, vt merito in dubium revocari, et ad suam originem, nempe allegoricam, prout fecimus, reduci debeant: Restat nunc Vlyssis reditum et errores breviter percurrere, cùm ille, vt dictum, sit Artificis persona, ingenio valens tantum, quantum Hercules viribus: Ideoq;, si ber omnia consyderentur, quicquid ad Troiam præclare actum est, eius consilio et opera præstitum videbitur: Nec solum ingenio Vlysses valuit, sed et manuum labore, vt annotante Æliano l.7.c.5. ipse de se testatur Odyss: O. his

Iphigenia mactata.

lia exempla in navigijs nostro tempore feliciter perductis experti sumus: Ita de Iphigenia Agamemnonis filia Dianæ oblatâ pro sacrificio, propter mala exercitui infesta, res omnino ficta est & fabulæ proxima, quemadmodum & omnia, quæ in tota Iliade & Odyssea habentur allegorica sunt, partim physica et arcana naturæ opera explicantia, partim polytica, et reges in multis, seu personas publicas, et privatas instituentia, Ideo Homerus tanti ab Alexandro Magno fiebat, qui eum suo cervicali noctu suppoluit, et regium viaticum appellavit, vt et ab alijs omnis ætatis magnis et doctis viris, adeó vt summum ingenij humani artificium in Homeri opere expressum videatur, nisi tot et tanta mala, vná cum bonis inculcaret, nempe deorum adulteria, furta, cædes, rapinas et alia; quæ tantum virum non revera dijs attribuisse verisimile est, sed poëtica licentia et allegorico scribendi modo protulisse, vt sapientes nucleum á cortice, bonum a malo separarent, inq; suum vsum verterent: Quadruplicem itaq; vsum Homero, et etiam Orpheo, assignamus; Primum hieroglyphicum, arcanum, profundum et latentem, primarium, arcanissima naturæ opera, de quibus egimus, spectantem; Atq; hunc soli philosophi et Chymiæ veræ conscij introspiciunt et admirantur, cæteri negligunt et sub vmbroso tegmine non animadvertunt; Alterum polyticum, ethicum, moralem, hystoricum, oeconomicum, secundarium, Reges, duces, Magistratus, et singulos quosq; in moribus et communi vita instruentem; Quem plures animadverterunt, et solum in eo quasi diuinitatis quid habentem suspexerunt; Tertium relinquimus poëtis, qui eius fabulas, figmenta, & traditiones de dijs, heroibus, alijsq; rebus vni é amplectuntur; Quartum Grammaticis deputamus, qui ornatum, phaleras et seriem dicendi obseruant et alijs interpretantur; Vnde Homerus (mendicus falsissimé habitus, cum fuerit vir maximé polyticus et in rebus magnis agendis expertissimus, quod non in mendicum, sed maximum ingenio, fortunaq; dotibus præstantem cadit) tot Grammaticos

Quadruplex vsus Homerici Operis:
1. Hieroglyphicus.
2. Polyticus.
3. Poëticus.
4. Grammaticus.

maticos per Græciam alere dicebatur, vt etiam Alcibiades cuidam Homerum mordenti colaphum eam ob causam infregerit, hoc scommate addito; Tunc ipsum mendicum, aut vanum nominabis, qui tot alios sui interpretes & dites facit? Ex tot itaq; rationibus & argumentis in medium productis & hactenus explicatis satis apparet Troianam Expeditionem parum aut nihil habere in se veritatis hystoricæ, at plurimum allegoricæ; & potius propter intellectum arcanum, quam sensum vulgarem introductam esse; Nihilominus non diffitemur & secundum, tertium & quartum vsum, vt modo diximus, eidem attribui posse: Nam nihil vetat allegorijs & fictionibus aliquid veritatis admiscere, quamvis econtrá non deceret rebus veris ficticias ingerere; Vt enim fermentum vel in minima portione puræ massæ similagineæ immixtum totam reddit acidam & fermentosam, ita & res falsæ aut fictæ etiam non multæ hystoriam veram suspectam reddunt, & fide omnino priuant; Sic si poetæ, vt Orpheus & Homerus, forté suis fabulis & allegorijs nonnihil veritatis immiscuerint, quoad loca, res aut personas, non tamen sequetur eas esse veras, aut ita, vt sonant, assumendas & intelligendas velut plærique ex Ethnicis fecerunt; Quocirca si quis eiusmodi in dictis poëtis offendat, hoc fictiones illorum non, nisi inconsyderatissimo, veras efficiet: Vnde si fuisset Troia antiquissimo tempore civitas, et destructa, non tamen hoc modo, vt describitur, id factum esset; Nam quæ á poëtis, aut hystoricis hos sequentibus ætate et scriptionis modo, traduntur, talia sunt, vt merito in dubium revocari, et ad suam originem, nempe allegoricam, prout fecimus, reduci debeant: Restat nunc Vlyssis reditum et errores breviter percurrere, cum ille, vt dictum, sit Artificis personá, ingenio valens tantum, quantum Hercules viribus: Ideoq; si liber omnia consyderentur, quicquid ad Troiam præclare actum est, eius consilio et opera præstitum videbitur: Nec solum ingenio Vlysses valuit, sed et manuum labore, vt annotante Æliano l.7.c.5. ipse de se testatur Odyss. O. his

verbis: Non alius potior fuerit, mihi crede, minister, Siue ignem succendi opus est, seu ligna secanda. In his enim maior pars Vlyssei laboris consumitur in arte philosophica: Sic ratem ipse Vlysses confecisse traditur celerrimè suo labore absq; fabrorum operâ. Ille sex ante posita fatalia, sine quibus occupari non poterat, impetravit; Suo eloquio & prudentia totum exercitum rexit; Pòst hunc Achilles, & eius vice Neoptolemus; Deinde Helena cum Paride; Cæteræ personæ adduntur ad celandum artificium, Agamemnon vt imperator, Menelaus, vt actor, Aiax vt manibus multum tribuens, Diomedes vt socius Vlyssis, Sinon proditor, Thersites conuiciator, & sic de alijs: Troiâ nunc deniq; arte & Marte debellatâ, victâ & eversâ, Vlysses in patriam, prout & alij Græci, redire desyderauit: Sic enim Ovidius de eo:

Errores Vlyssis circa reditum in patriam:

Non dubia est Ithaci sapientia, sed tamen optat
Fumum de patrijs posse videre focis.

De causa, cur aufugerit, cuius superius meminimus, hic nihil addimus: Omnium primò itaq; ad littus Ciconum populorum Thraciæ delatus est tempestate: Pòst ad Lotophagos in Africam, vbi cum socij eius lotorum fructus gustassent, patriæ obliti ad naues minimè reuerterunt: Inde in Siciliam ad Polyphemi antrũ, quem obcæcauit, cum 12. socijs: Pòst in Æoliam insulam & Læstrigonas immanissimos Campaniæ populos, mox ad Ææam insulam cursum tenuit, vbi Circe venefica, Solis filia, socios eius in beluas conuertit; Ex qua Telegonum & Ardeam genuit: Pòst ad inferos descendit, Plutoni ac Proserpinæ columnam consecrans, vt è vate Teresia ibidem, quæ sibi agenda forent, perdisceret: Deinde ad Insulam Sirenum delatus aures sociorum cera illitas obturavit, seq; ad malum navis alligari iussit: Hinc Scyllam & Charybdin pertransiens non sine aliqua sociorum iactura in Siciliam rursus pervenit, vbi Solis filiæ paternos greges custodiebant, quos

quos cùm socij cæderent, ferè omnes naufragio perierunt ipso arrepto navis malo, in qua hærens 9. diebus maris fluctibus iactatus ad Ogygiam insulam defertur, vbi à Calypsone Nympha in hospitium acceptus 7. annos moratus ex ea filios quoq; suscepit: Deinde dijs jubentibus hinc solvens, iterum propè Phæaciam navim fregit ex Neptuni instinctu propter casum Polyphemi, & in portũ Phæacum adnatavit, nudusque inter frondes arborum ibi se occultavit: Cum verò vestes postmodò à Nausicaa filia Alcinoi accepisset, Palladis operâ ad Areten Alcinoi coniugem perductus, à qua vestibus & socijs dono acceptis, in Ithacam cum muneribus dormiens exponitur, vbi mendici habitu assumpto ad Penelopen redijt, quæ illi adhuc filium Polyporthum devictâ Troiâ ad memoriam paternæ virtutis peperisse dicitur, cum id nomen populatorem vrbis significet. Atque hi sunt errores Vlyssis circa reditum in patriam, qui vltra decennium se extendisse apparent, cumq; tam diu Troiana obsidio durârit, viginti integros annos Vlysses extra patriam vixit multis eroribus & infortunijs implicitus, quibus tandem superatis nomẽ populatoris vrbis ex filio ipsi genito obtinuit: Atque hæc per se satis innotescunt, cum sint omnino fabulosa & fictitia à Poëta producta ad demonstrandum polyticè, quibus erroribus & malis humana vita exposita sit, nec non quibus artifices antequam ad vltimam metam perveniant, obnoxi fiant: Nam qui non erravit, nondum incepisse dicitur: Et Bacasser in turba; *Rectum*, inquit, *non nisi errore discernitur, & nihil magis dolorẽ cordi generat, quam error in hac arte & opere:* De quibus artis diverticulis et difficultatibus cùm aliorum extent commentarij, nec non quotidiana exempla ijs satis superque attestentur, ad demonstrationem eorum hic nihil adijcimus.

Sive itaq; Troja steterit & deleta sit revera, sive saltem fictione (idem intelligendũ de Herculis laboribus, certaminibus sacris, adq; deos spectantibus rebus,) perinde erit, cum nobis inde nil feratur, nec metatur; verùm si alter-

vtri parti asseriri debeamus, mille indicia, nihil ex his reuera fuisse conuincent, quamuis totidem feré libris, tanquam fuissent, ab Ethnicis statuatur; si tamen omnes scriptores de his consulamus, vnde hæc tanta & talia hauserint, ad sex antè dictos omnis religionis aut potius idololatriæ Ethnicæ authores (Orpheum, Linum, Musæum, Melampodem, Homerum & Hesiodum) recursus fiet; Quod si & hos quæramus, vnde illi habeant, ab Ægyptijs partim, partim ex proprio cerebro ad Ægyptiorum imitationem & doctrinam, omnia hæc originem trahere animaduertemus: Ægyptij verò ab Iside, & hæc á Mercurio ac Vulcano, vt iam antè retulimus, omnes suas doctrinas acceperunt: Si vero quis nihilominus sua persuasione ductus illa omnia de personis veris & certis dici & intelligi debere affirmet, ac hystoriam ipsis fabulis inesse opinetur, neq; illi valdè repugnamus, dummodo nobis vicissim concedat, & sub hystoriâ verâ posse Allegoriam abscondi, hoc est res arcanissimas & figuratè tradendas non rarò sub velata quasi veræ doctrinæ forma tegi; Cuius rei si exemplum quis quærat, magni illius Ambianensis Medici libros de abditis rerum causis inspiciat ac dijudicet, an non sub illo cortice, permultis durissimò viso, nucleum alium celet, an non Medicinæ communis ex authoribus coacervatis Theorematis & præceptis arcanissima naturæ & artis opera intermisceat ita, vt non nisi à perspicacissimis ejus intentio dignoscatur? Sic & vetusstissimi illi (quorum tempore ne nomine quidem Chymia peruulgata fuit) si vera quædam suis scriptis tradiderint, tamen constat plæraq; fictitia esse ab illis prolata, & quæ longè pondere suo veris præualeant, sub quibus fictis et allegoricis quis dem ostrabit non latere Chymica illa, quæ hactenus satis ex suis tenebris eruimus, & in lucem omnium intelligentium posuimus? In quo scripti genere, cæteris omnibus non consideratis, si quis & fabulosa illa ad veritatem reducere conetur, & authores omnes vnà secū Chymiæ ignaros existimet, nec quicquam Chymici sen-

sus

fus suis scriptis olim occultasse, ille suo abutatur arbitrio, quantum & vbi velit, nihilominus, vt & nobis tantum liceat, quantum ipsi & alijs, concedere tenebitur ex iure Talionis: Atq; nunc, prout Natalis sub mythologia Solis Deo gratias agit his verbis; *Fabularum declaratio apertior & uberior, quod in nostra tempora mihi fuerit reservata, est cur* Deo *OMNIPOTENTI Redemptori gratias immortales agam, cuius beneficio mihi concessum est, has priscorum insulsas ambages nihilq; verè religiosum continentes aperire, sed tantum figmenta esse demonstrare ad res Philosophicas explicandas*; Sic & nos eâdem animi devotione & pectore et ore eidem TRIN-VNI DEO, quantas possumus mente concipere, gratias agimus, quod illud nobis clementissimè largitus sit, quo has Aegyptiorum, Græcorum et omnis antiquitatis allegorias, fabulas et mysteria, arcana arcanissima olim, vt adhuc, habita, (nec de rebus vulgaribus et in mundo notis, sed de ijs, quæ iure suo occultari deberent, excogitata) ex quibus tot gentium idololatriæ, tenebræ et errores tanquam ex abundantissimis fontibus redundârint, ad suam veram originem reducere, inq; vnâ veritatis lineâ & puncto immobili harmoniâ quadam irreprehensibili (quæ veritatis propria est) conciliare potuerimus; quæ omnia cum in nulla alia re, quam MEDICINA ANIMI ET CORPORIS dicta verè aurea conveniant, hanc Summus OPT. MAX: et vnicè TRISMEGISTVS ille animæ et corporis Medicus IHESVS CHRISTVS nobis ad sui nominis gloriam, nostram & proximi vtilitatem vsurpandam diutissimè, et post hanc, Vitam æternam concedat, qui vt LAPIS ex alto MONTE sine manibus revulsus, et lapis angularis à potiori mundi parte seu gentibus rejectus nobis appropriatus, sit benedictus in secula: AMEN.

Finis huius Tractatus.



INDEX RERVM.

praecipuarum huius tractatus.

A.

Accipitris Hieroglyphicū quid. p.40
Achelous ab Hercule victus. p.232
Achille opus erat ad Troiam delendā p.260
Achillis parentes. 260
Achilles ex quibus nuptiis genitus 260
Achilles vt educatus à matre, 262
Achilles latens compressit virginem. 262
Achilles Pyrrhum genuit. 262
Achilles quid denotet. 262
Achilles in arte quis. 264
Achillis clypeus. 267
Achillis ossa recōdita aureo vase. 267
Achilli nupsit Medea in Elysiis. 267
Achilles medicator ægrorum. 267
Achilles quibus nutritus. 267
Achilles quibus artibus instructus 268
Achillis hasta vires. 268
Achillis hasta venenosa quid significet 268
Achillem Paris interfecit. 268
Achilles redivivus. 267

Adam omnium creaturarum essentias cognovit. 48
Adonia. 194. apud Syros. 193
Adonis quis. 194
Adonim allegoricè Solem esse non Cæli. 194
Æëta et Augias Solis filii. 131
Ægypto reges qui præfuerint 4
Ægyptiorum dii præcipui. 6
Ægypti quædam Insula cur prohibetur aditu à transeuntibus. 11
Ægyptii lege fratres sorores ducunt vxores exemplo Osiridis et Isidis. 16
Ægypti sacra. 21
Ægypti præcipui reges. 21
Ægyptus quos ordine reges habuerit. 28
Ægypti Pyramides: 50
Ægyptia sacra quando ad Græcos translata. 58
Ægyptii sapientissimi antiquitus. 32
Ægyptiæ superstitionis origo. 36
Ægyptiorum monumenta. 41.42
Ægyptiorum colonia 42
ex Ægypto omnes artes. 47
Ægyptia Columna Romæ. 48

Ægyp-

r

INDEX.

Ægiptij olim & adhuc ex ovis pullos educunt calore artificiali: 49
Ægyptiorum institutis mundus mutationem sensit. 29
Aegyptus cur exteris non adeunda. 28
Aegyptij sacerdotes adiurati ne sepulchrum Osiridis patefacerent. 10
Aegyptij sacerdotes testantur Osiridis sepulchrum apud se esse. ibid.
Aegyptij sacerdotes tertiam agrorum partem ab Iside acceperunt. 10.13
Aegyptij sacerdotes quadam in arcanis habent. 18
Aegyptiorum vana gloria de antiquitate. 211
Aeneas Veneris filius. 282
Aegysthus quos occidit. 2[illegible]5
Aesculapius Apollinis filius. 127
Aesculapij allegoria. 127.128
Aesculapius ex Epidauro adducitur Romam. 130
Agamemnonis filia. 159
Agens internum artis quod & ubi. 264
Alexander cur se pro Deo haberi voluit. 21
Allegoriae quod menti serviant. 166
Alcyoneus gigas. 239
Amazonum regina Baltheus detractus. 231
Amphion & Zetus. 162
Ambrosia. 170
Ancilia de coelo deciderunt. 273
Anser Romam prodexit. 253
Anubis filius Osiridis. 7
Antaeus praefectus Lybiae. 7
Antaeus ab Hercule prostratus. 236
Animantium cultus tres causae. 31
Animalia unde coli coepta in Aegypto: 36
Apaturia 10
Aper Erimantheus. 225
Apis bos seu vitulus sacer Aegyptijs. 29
Apis ut Deus in Vulcani fano locatus. 30
Apim quando sola mulieres vident. 30
Apis quomodo & quam diu cultus ab Aegyptijs. 30
Apis bos lingua Aegyptia. 33
Apidis electio, cura, cultus. 29
Apidis maculae crescentis lunae. 30
Apis & Memphis tauri Isiai dicati. 10
Apollo docuit 9. Musas. 8
Apollo Iovis filius, & eius allegoriae. 121
Apollines quatuor Ciceroni. 121
Apollinis filij dicti. 123
Apollini ara aurea statua. 123
Apollo miles, medicus, Poeta. 198
Aquila Romam fundavit. 253
Aquilae Hieroglyphicum. 40
Ara communis quibus dijs 196
Arcana apud Aegyptios sub poena prohibentur vulgari. 18.19
Arcano Alexandro Magno revelata. 20
Arcana. 135 184

Arcanis-

INDEX.

Arcan[illegible]*ssim*: 138.142.18..264
Aries aureus velleris colchos & Phrygium nobilitavit. 257
Artifex ammoqualis. 262.263
Ardalus Vulcani filius. 119
Argonautæ omnes persona ficta & Acys oriundæ. 67
Argonautæ deorum filij: 70
Argonautarum de reditu varietas scriptorum. 75
Argo navis quæ. 70
Argonauticæ expeditionis qui meminerint. 65
Astronomiæ constellationes à figmentis aureorum deorum. 204
Astrologia ab Aegyptiorum et Græcorum fabulis orta. 223
Ascolia. 170
Athenienses Aegyptiorum colonia. 43
Atlas cinxit hortos Hesperidum. 7
Atlas ab Hercule consulitur. 78
Atlas quis: 80
Atlas cur Astronomus fingatur. 81
Aurea templa ab Iside statuta Iovi et Iunoni parentibus. 4
Aureus circulus in Simandii palatio: 2
Aurei velleris allegoria. 62
Aureum vellus pro lapide Philosophico expositum. 66
Aurea mala quid sint: 83
Aurea mala Atalantæ. 85
Aurea admiranda. 91
Aur à pluvia. 52
Aurea pluvia in Danaës gremium: 95
Aurea messis. 9
Authores sex apud Græcos religionis fabulosæ. 58
Aves Stymphalides: 228
Augiæ stabulum purgatum. 226

B

BAcchus natus fingitur ex Cadmi filia. 46
Bacchi filij. 153
Bacchi sacra. 166
Bacchus cur alatus. 169
Bacchus cornutus, iuvenis, senex, mas, fæmina, barbatus, imberbis, et cur: 169
Bacchanalia sublata Romæ. 174
Bacchades fæminæ. 169
Basilius Valentinus ubi meminit belli Troiani. 269
Belus ab Aegyptiis oriundus. 42
Beli Babylonici templum 52
Belli sub Allegoria Philosophicum opus sæpe descriptum. 269
Berosi statua aurea lingua posita 211
Bos cur in Aegypto cultus, 33
Bovis colendi duæ causæ. 34
Brotheus Vulcani filius. 119
Brumalia. 170
Busiris rex Aegypti, 22
Thebas condidit. 23
Busiris ab Hercule interemptus. 23
Busiris cur ita crudelis habitus sit. 28
Bubastis urbs condita. 17

C.

CAcus interemptus ab Hercule 2[illegible]0

Cadmus ex Thebis Aegypti ortus. 44
Canis Hieroglyphicum. 37
Canis in lapidem conversus. 112
Canephori a. 170
Cœlus & Terra. 99
Cathena aurea Homeri. 96
Cathena aurea Deorum. 98
Cereris festa. 176
Ceres comedit de Pelopis humero. 274
Centauri ab Hercule deleti 225
Certamina 4 in Græcis: 207
Cerva aureis cornibus ab Hercule capta, 87.88.89.225
Christiani sua fide taciti Troiam oppugnant. 254
Chiron Saturni filius. 111
Chironis Discipuli, ibid.
Chrysaor vnde natus. 93
Chymiæ quæ nomina & numina conveniant. 3
Chymiæ subiectum hermaphroditicum. 12
Chymia scientiarum mater inter scientias vix agnoscitur. 238
Creatoris imago gestata in Eleusiniis. 186
Crotalum quid sit. 229
Crocodili hieroglyphicum. 39
Columnæ ad occidentē posita ab Hercule. 232
Columnæ in India erectæ ab Osiride. 8
Colchi Coloniæ Aegyptiorum. 42
Colchidem & Phrygiam vicinas esse regiones. 257
Colli qui sint & iuvenes redditi. 275
Consiliarij qui optimi. 217
Cynocephali hieroglyphicum. 32
Cynocephalus an ex matre deûm. 172

D.

Dedalus Aegypti opera imitatus est. 46
Danaus ab Aegyptijs oriundus. 42
Deorum metus etiam falsorum continet homines in officio. 20
Deorum gentilium officia. 62
Deus vnus. ibidem
Deorum genealogia aurea. 96
Deorum Aegyptiorum series. 212
Deorum gentilium summus qualis. 204
Deæ tres quid significent. 261
Delphi in medio terræ crediti. 123
Diabolus in serpentis forma Aesculapium repræsentat. 174
Diana seu Luna. 188
Dianæ tres Ciceroni. 133
Dij primi. 2
Dij Aegyptii de medicina aurea intellecti. 3
Dii singuli sub quibus animantium formis latuerint. 41
Dii ab omnibus gentibus recepti à Vulcano & Mercurio orti: 56
Dij Ægyptij 12. magnarū gentiū: 57
Dij falsi falsis miraculis innotescunt: 168
Diodorus Siculus de dijs Aegyptijs: 3

quando

quando Ægyptum perlustravit: 30
Dionysia. 170
Dionysi synonima. 144
Dionysi mater Semele combusta: 145
Dionysum falso tradunt natum Græci apud se: 146
Dionyso miracula afficta: 146
Dionysi qui curam habuerint: 148
Dionysi expeditio: 142
Dionysus primo pro deo cultus apud Græcos. 150
Dionysi allegoriæ explicatio: 152
Dionysus soterrestris. 168
Diomedis equi cum ipso trucidati ab Hercule. 230
Dictys Cretensis vt fabulosus author cretizat. 245
Discordia dea quid mali fecit cum malo. 260
Differentia festorum ecclesiæ & gentium: 167
Dipetes Ægyptius Atheniensium rex. 43.
Dorpia: 171
Draco ab Iasone quis trucidandus. 72
Draco Hesperidum custos quis. 81
Draco tauri pater, & taurus draconis pater. 183
Draco quid sit in Chymicis. 189

E.

Eleusinia sacra bina. 181
Eleusinijs sacris nil olim arcanius: 178
Eleusinia sacra à quo primò revelata: 183
Eleusinijs sacris quid occultatum sit: 183
Eleusinijs sacris quæ imagines gestatæ sint: 186
Eleusinijs sacris simulachra gestata quid significent: 190
Eleusiniorum hieroglyphicum: 185
Equi Rhesi abducendi: 278
Equus Troianus: 279
Erichtheus Ægyptius Atheniensibus imperavit: 43
Erichtheus Cereris Eleusinæ sacra instituit. 43
Eridos pomum aureum: 86
Erix. 234
Ethnici in rebus divinis insani. 114
Ethnicorum vanitas: 132
Eumolpus de mysterijs: 213
Eumolpides ab Ægyptijs sacerdotibus orti: 44
Eurystheus quis: 213

F.

Fabricatis & auri inventi ab Iside 4
Fatalia sex circa capiendam Troiam. 259
Festa in sacris literis instituta: 164
Festa Ægyptiorum pro memoria. 165
Festa Cereris & Proserpinæ. 176
Felis hieroglyphicum. 38
Figurarum cæli erectio vnde dependeat. 223
Frumenti vsus antiquissimus. 54

G.

INDEX.

G Allina Romam gubernavit. 253
Ganymedes Phrygius raptus a Iove. 28
Ganymedis raptus ad chymica spectat. 259
Gentes in multis Israelitas imitari voluerunt. 167
Germanorum ludi equestres. 194
Geryon quis. 233
Geryonis boves abducti ab Hercule. 232
Geryon rex spoliatus bobus & vita ab Hercule: 234
Gleba ex terra soluta aqua à Medea. 63
Glauca Saturni filia. 111
Glaura cubilia. 14
Graci ab Aegyptijs doctrinas accepe-runt. 5
Graci qui ad Aegyptios transierint 47.5
Gracia certamina & ludi. 197
Gracorum solem a à quibus instituta 198

H.

H Arpocratis hieroglyphicum. 41
Harmonia Veneris & Martis filia. 117
Hebe Iunonis filia. 11
Hecuba somnium. 250
Heliconis fons vnde. 157
Helena & Pollux ex vno ouo nati, 158
Helena ex ovo procreata. 249
Helena prius à Theseo rapta 250
Helenam Ethnici immortalem faci-unt. 250
Hercules dux exercitus ab Osiride constitutus in Aegypto: 7
Hercules Osiridis coaevus. 11
Hercules aurea mala petens quos consuluit. 78
Hercules cepit ceruam aureis cornibus. 87
Hercules Iovis filius. 158
Herculis fama per orbem notissima: 209
Herculis pater Iupiter. 2.2
Herculis ad conceptum tres noctes. 212
Herculis octo magistri. 214
Herculis laboribus multa afficta. 215
Herculis parentes. 215
Hercules quid significet. 217
Herculis coætanei. 218
Hercules quibus artibus eruditus. 219
Hercules Crotalum à Pallade accepit ad fugandas aves stymphalides. 228
Hercules in solem arcum intendit: 225
Hercules in oceanum arcum intendit. 235
Hercules aggressus Cygnum. 236
Hercules Antæum prostravit. 236
Hercules 12 dijs aras erexit: 2.0
Hercules Cerberum ex inferis eduxit. 240
Theseum liberavit: 240
Menetium interemit. 241
Hercules ex populo coronam sibi fecit. 241
Herculis sagitta. 247
Herculis sagitta cui donata. 247

Herculis

Herculis sagitta quid denotent: 278
Hermes tabulas duas inuenisse fertur. 45
Hermes quis: 10
Hermione Martis filia. 11
Heroicum seculum intellectuale: 158
Hesperidum aureorum malorum expositio aliorum & responsum ad ipsam: 7
Hesione liberata à Ceto. 232
Hieroglyphica litera. 29
Hirci hieroglyphicum. 38
Hieroglyphicum Flamelli: 137
Hieroglyphica quod oculis seruiant ad reminiscendum. 166
Hieroglyphica scriptura in Eleusinijs 187
Homines primi. 1
Homerus quando vixerit ipse non exprimit. 2..
Homerus quando vixisse putetur. 25
Homeri patria ignota. 25
Homerum conciuem quot vrbes sibi vendicent: 252
Homerus humana ad deos transfuit 28
Homerus in Aegypto artificium chymicum resciuit. 24..
Homerici operis quadruplex vsus 2.0
Horus vltimus deorum Aegypti: 21.
Horus Aegyptius sol est. 211
Hyppolitae baltheus: 231
Hydra Lernea. 223

I.

IAsonis genus & educatio. 62
Iasonis pugna. 65
Iason quis. 69
Iasonem erudierunt Chiron & Medea. 69
Iason medicus, medicina aurea artifex. 70
Iasonis expeditionis explicatio. 71
Iason quid significet: 71
Iasonis mors. 65
Ibidis Hieroglyphicum. 40
Ichneumonis hieroglyphicum. 38
Iericho vt occupata. 260
Ignis Vestae sacer: 196
Ignis elementaris notus ante diluuium. 5
Iphigenia mactata: 280
Isis quid: 3.12
Isis Ceres est. 4
Isidis inuenta. 4
Isis vita Osiridis mortem in Typhone. 10
Isidis columna. 17
Isis à Mercurio erudita. 17
& cur. 18
Isis vxor Osiridis, frugum inuentrix 173
Isis in astro Canis refulgens. 17
Isidis Bubastia vrbs condita. 17
Isis Lamia. 206
Iudaei ab Aegyptijs prodierunt. 42
Iuno & eius allegoria. 106
Iupiter & eius allegoria. 105
Iupiter qualis fingitur. 159

L.

LAbyrinthus Cretensis. 27
Labyrinthus Aegypti. 27
Laomedo trucidatur ab Hercule. 232
Laomedontis cineres. 276
Lampadophoria. 195
Lapis in Helicone positus. 91
Laton est magnesia & Achilles. 260
Lemnus Vulcani officina primo ab Iasone petita. 63
Lenaa. 170
Leo sacerdos Aegyptius quid Alexandro Magno aperuerit. 20
Leo ante Simandium regem pugnam iniit. 24
Leonis Hieroglyphicum. 33
Leo Nemeaus. 210
Leonis Nemeai hieroglyphicum. 210
Luna quid in opere Philosophico. 192
Luna sputum quid. 221
Luna imago gestata in Eleusiniis. 186
Luna & Solis imago data Iasoni à Medea ad pericula superanda. 64
Lupi Hieroglyphicum. 37

M.

MAcedon filius Osiridis eiusq; insignia. 7
Magnesia quid sit. 265
Magnesia Philosophorum est Achilles 265
Mala aurea Hesperidum quid sint. 86
Mala aurea Atalanta. 86
Mars Iovis filius & eius Allegoria 117
Maron comes itineris Osiridis. 7
Mater & filius coniuges. 15
Medicina aurea in Ægypto. 2
Medicinam auream quod habuerint Ægyptii & Graeci. 54
Medicina aurea quid fecerint antiqui. 54
Medicamentum animi. 24
Medea quae Pharmaca dederit Iasoni. 64
Medea ut fratrem Absyrtum discerpserit. 65
Medeae avus Sol. 70
Melampus Dionisi sacra ex Ægypto in Graeciam transtulisse fertur. 45
Mena rex Ægypti. 22
Menander de mysteriis. 155
Mercurius quid. 3
Mercurij inventa. 4
Mercurius inventor plurimarum rerum. 4
literarum, honoris deorum, Astronomiae, Musicae, Palaestrae, Medicinae. 5
Mercurius quomodo literarum et artium inventor est. 5
Mercurius quid denotet. 6
Mercurius consiliarius fidi constitutus ab Osiride. 7
Mercurij columnae plenae doctrinis. 8
Mercurio Ægyptii suos libros inscribebant. 47
Mercurius deauravit pellem Phryxi arietis. 66
Mercurius Iovis filius, & eius allegoria. 134
Mercurius volatilis. 136

Mercu-

Mercurius à Vulcano eruditus. 137
Mercurij officia. 137
Mercurius Aegyptiis leges & literas tradidit. 137
Mercurius astronomiæ & Philosophiæ author. 137
Mercurius quis. 140
Mercurius Trophonius non nominandus. 141
Mercurio lingua sacra. 141
Mercurius mundo imposuit. 141
Mercurii antrum ab Orphea descriptum. 143
Mercurius Ægypto præfectus. 150
Mercurii imago gestata in Eleusiniis. 187
Mercurio clavam dicavit Hercules: 240
Metallorum auri & argenti proventus in Ægypto. 24.25
Minera monstrorum nominibus tecta 82
Mineralis arbor: 82
Midas aurei voti particeps: 90
Minos & Rhadamantus. 161
Midas Phrygius quomodo tinxit aquas. 258
Musæ 9. virgines secutæ Osiridem: 7
Mystica ad cultum Osiridis addita: 8
quid significent: 9
Mystica de Mercurio: 141
Mysteria de Eleusiniis. 179
Mysteriorum occultationis triplex causa: 179
Mystica causa circa communitatem aræ Palladis & deorum ignorum: 196
Mystica de Plutone. 108

N.

Nemea: 207
Nepenthes medicina dolorifuga ab Ægyptiis facta. 53
Neptunus & eius allegoriæ: 110
Nereus quis. 85
Nereus ab Hercule consulitur: 78
Nilus quid. 3
Nilus inundans Ægyptum Aquila dictus: 8
Nili ripas aggere cinxit Osiris: 8
Nympha quæ: 84
Nymphæ ab Hercule consuluntur ad inveniendum aurea mala. 78
Nysa urbs condita ab Osiride: 8

O.

Oceanus generator Deorum. 3
Olla ærea à Cadmo Minervæ oblata. 45
Olympica certamina unde dicta. 199
Olympica certamina quando & à quibus instituta. 197
Olympicorum certaminum institutionis variæ opiniones. 200
Olympicis ludis primus Apollo vicit Mercurium cursu. 201
Olea arbor circumflexa ab Hercule. 231
Orestis de ossibus ænigma. 160
Orestes matrem occidit. 275

Orgia.

Orgia. 168
Orgia à quibus prohibita. 168
Orpheus primus Græcorum vates Theologus. 62
Orpheus primus author religionis apud Græcos. 12
Orpheus morborum remedia tradidit. 125
Orphei opera. 125.210
Orphica. 166
Orphei obitus. 17
Orphei morti allegoria affictа. 175
Orpheo non antiquior scriptor Græcus: 210
Orus vltimus deorum Aegypti. 14
Orus vlciscitur patris Osiridis mortem. 10
Orus ab Iside in lucem restitutus & immortalis redditus. 14
Orus Apollo est. 14
Oro seu Soli Thebа condita in Ægypto. 2
Os Pelopis ab Vlysse inventum. 276
Os pelopis tertium requisitum ad Troiam. 273
Oschophoria. 10
Osiris quid. 3.12
Osiris Dionysus est. 4
Osiris & Isis Saturni filij: 4
Osiridis tacta & peragrata orbis. 6
Osiris quid docuit mortales. 7
Osiris cupidus risus. 7
Osiris ad Indos penetravit. 8
Osiridem & Isidem esse in vno subiecto. 9
Osiridis expeditio quid significet. 9
Osiris iniustè regnans à Typhone fratre impio interemptus. 10
Osiris à Typhone in 26. partes dissectus. 10
Osiridis partes præter pudendum recollectа ab Iside. 10
Osiris ab Ægyptijs Sacerdotibus honoratus. 10
Osiris vt deus coli mandatur. 10
Osiris frater dicitur Apollinis & Isidis. 7
& pater Ori. 10
Osiris filius Saturni: 17
antiquior: 18
citur. 19
Osiridis columna. 17.
Osiris vniversum peragravit orbem. 17
Osiris ad populos Arcto subiectos pervenit. 18

P.

Pactolus aurifer. 257
Pallas quid. 3
Palladi cum Prometheo & Vulcano ara communis. 85
Pallas Iovis filia absque matre: 115
Pallas Amazonum dux. 149
Pallas musica & artibus dedita. 198
Palladium secundum requisitum ad Troiam delendam: 269
Palladium quid & vnde sit. 270
Palladium fictitium. 271
Palladium vbi manserit. 271
Palladium à quibus in Italiam allatum

sum. 27
Palladium qui Troiana vrbe abstulerunt. 271
De Palladio contentio inter Vlyssem & Aiacem. 272
Palladium quid denotet. 272
Palladium tres vrbes perdidit 271
Palici fratres ex terra editi: 161
Panos vrbs Chemnis in Thebaida: 7
Pecunia vnde primitus dicta: 86
Persei ortus. 154
Perseus Iovis filius. 15
Peleus pater Achillis. 2.0
Peleus quomodo Thetin inivit. 262
Pelias hasta Achillis. 20
Pelops Tantali filius. 72
Pelops bis pubescens. 27
Pelopis opes ex metallis. 27
Petra Cyanea Iasoni primò ad unda 64
Pharmaca quaterna Iasoni data à Medea. 64
Phallica. 1
Phasis aurifer fluvius. 72
Phorcus Neptuni filius. 110
Philosophicus foetus solus sub igne nutritur. 177
Phrygia unde dicta. 257
Phryxi aries quid fuisse explicetur: 257
Pictura, muta poësis. 210
Planetarum simulacra quid significent in chymia vera: 191
Planetarum nominibus & signis nihil Vulgare in chymia intelligi. 191
Pluto & eius allegoria: 107
Poetarum antiquissimorum intentio primaria. 59
Poetae promebant ... apud Romanos. 255
Poetis apud Graecos fingere quaelibet permissum 25
Poeta de dijs fingunt quid velint apud Romanos. 255
Poesis capitis polypi ... 147
Poetica ... loquens. 210
Pomum aureum Eridos. 86
Pomum aureum dandum pulcherrimae. 260
Pollux & Helena ex vno ovo nati: 158
Proculs c...faria facta virilia. 212
Prometheus imperavit parti Aegypti. 8
Prometheus ab Hercule consulitur. 78
Prometheus quis. 85
Prometheo cum Vulcano & Pallade ara communis. 85
Prometheus ab Hercule liberatus: 239
Protheus Neptuni filius. 110
Proserpina. 103
Psammiticus Aegypti rex primus exteros admisit. 28
Pudenda Osiridis in fluvium proiecta. 1
Pyramidum Aegypti authores. 27
Pyramides Aegypti. 50
Pyramides cur, vbi, à quibus, quando extructa sint. 50
Pyramides inter mundi miracula sola perdurarunt. 51

Pyramides cur extructæ credantur. 51
Pyrithous in saxo sedens apud inferos relictus ab Hercule. 241
Pyrisous Achilles dict... 255
P... rubro capillitio. 263
Pythagoras ex Ægypto in Græciam quando redijt. 28
Pythia certamina. 202
Pythia in Apollinis honorem instituta & cur & à quibus celebrata. 202. 203
Python seu Typhon quis sit in chymia: 204

Q.

Quinquaginta puellæ una nocte ab Hercule gravidæ factæ: 212

R.

Reges primi. 1
Regnum Pelopidarum unde. 275
Remedia data Jasoni à Medea quid significent. 76
Responsio ad calumniantes chymiam: 103 107. 119
Rhea mater deorum. 172
Rhesus rex trucidatus ob equos. 278
Rhodiorum terra à serpentibus devastanda. 45
Romani Ægyptiorum deos receperunt. 172
Romanorũ legatio in Epidaurũ 173
Romæ gentilitiæ adfictis auctores à ... ys oriundi 252
Romani ternas aves sibi vendicant. 253
Roma à concursu audacissimorum hominum amplificata. 254
Roma à raptu Sabinarum mulierum stabilita. 253
Romulus à lupa nutritus, deus statuitur. 252
Romulus ex Venere & Marte ... ys originem ducit. 252

S.

Sabacchus rex Ægypti regno se abdicavit. 27
Sacerdotes Ægyptij cur tertiam partem agrorum habuerint. 19
Sacerdotes Ægyptios secretiora habuisse. 31
Samothracum deorum nomina. 138
Saturnus quos genuit. 4
Saturnus Osiridis pater, deorum inferior. 17
Saturnus & Rhea. 99
Saturni hieroglyphica. 99 100 101. 102
Saturni allegoria ad Chymiam: 103
Saturnalibus cur domini servirent servis: 104
Satyri secuti Osiridem. 7
Saxo occisus Argus à Mercurio: 109
Secreta revelantium pœna. 132
Segetum satio nota ante diluvium: 5
Senex fit iuvenis à Medea. 76
Serapis quando dictus 30
Sethon rex Ægypti Vulcani Sacerdos: 16
Sesostris Aegyptij regis opera. 26 7
Sileni Alcibiadis. 90
Simandy regis Aegypti stupenda opera. 23. 24
Sol rex Aegyptiorum creditus. 4
Soles quinq; Ciceroni. 121

Sol

Sol Cœli quis dici possit. [illegible]
Sol lapis Anaxagoræ dictus. 122
Solis imago gestata in Eleusiniis: 187
Stellis [illegible] cur certæ vires asscribantur. 224
Sterculius quis: [illegible]

T.

TAntalus apud inferos cruciatus. 273
Tantalus filium Pelopem dijs apposuit comedendum. 273
Tantali pœna. 274
Tantalus punitus quia secreta aperuerit. 274
Taurus quid philosophicè denotet. 35
Taurus draconis pater & draco tauri pater in Eleusinijs habetur. 188
Taurus in chymicis quid. 182
Taurus furiosus Cretæ captus ab Hercule. 13
Terra mater omnium divitias largiens. 3
Tempus inter Alexandrum Magnum & Osiridem: 113
Tempus à Solis seu Ori regno ad Alexandrum. 16
Tēpus navigationis Argonauticæ. 76
Ter sq[illegible] natum ab Iasone vnus petitus lapide. 6
Thebaidis incolarum iusiurandum per Osiridem. 11
Thebæ Ægyptiæ centiporta amplissimæ. 22
Thebarum ornatus & divitiæ. 22
Thesmophoria. 176
Theseus eductus ex inferis ab Herculе [illegible] 241
Theseus an [illegible] tempore vixerit. 243
[illegible] annum. [illegible]
Tithoni filius ab Hercule occisus. 275
Trieterica. 166
Triptolemus à Cerere enutritus sub igne. 176
Triptolemus comes itineris Osiridis, triticum serere docuit. 7
Triton Neptuni filius. 110
Troia Herculis & hic Osiridis tempore fuisse fingitur. 11
Troiæ fundatores fabulosi: 245
Troiæ mœnia Apollinis lyra extructa. 246
Troiæ mœnia à Vulcano fabricata. 45
Troia non diu stetisse scribitur. 247
Troiæ reges & defensores fabulosi. 247
Troiani omnes denominationis Græcæ at lingua diversa. 248 249
Troiani omnes interciderunt præter paucos. 249
Troiæ oppugnationis causa sunt fictitiæ. 249
Troiæ oppugnationis causa sunt pomum & ovum. 249
Troiani excidij tempus incertum, quia nunquam fuit. 250
Troiæ deletio quando præsumitur contigisse. 251
Troia vbi fuerit. 254
Troiæ antiquitas [illegible] cuius. 256
Troiæ capiendæ conditiones. 259
Troiæ per deletionem quid intelligatur: 265

INDEX.

Typhon ex percussu terra natus 3.12
Typhon & Echidna quorum parentes 14.

Vas perforatum à sacerdotibus replendum.
Vellus aureum quid 7
Venus aurea Ægypti. 5
Venus monstrum sine vitio. 1
Venus Saturni filia. 11
Venus emergens Apellis. ibid.
Venus amica naturæ dea credita. 12
Veneres plures cur statuantur. 12
Veritas Saturni vel Temporis filia. 11
Veritas à collo iudicis Ægypti pendit. 24
Vesta sacer ignis. 196
Virum in Ægypto antiquis temporibus. 4
Vlysses quid significet. 252
Vlysses Helenam protexit. 2
Vrna 360. laste repleta: 1
Vulcanus quid: 3
Vulcanus inventor ignis. 4
Vulcanus regnavit in Aegypto: 4
Vulcani inventa. 4
Vulcanus quid denotet. 5
Vulcanus cur primus dicitur regnasse apud Aegyptios: 5
Vulcani sacerdos rex Aegypti Sethon: 16
Vulcani in luco Isis sepulta. 11
Vulcanus de Sesostri quæ prædixerit patri eius. 26
...in templo quæ statuæ. 27
Vulcani templum primum Memphis. 28
... sacerdotes reges ... erant. 28
Vulcanus & Mercurius hieroglyphicorum interpretes veri: 41
Vulcani officina ab Iasone primò petita. 63
Vulcano cum Prometheo & Pallade ara communis. 85
Vulcanus Hermiones monile fecit. 117
Vulcanus Iovis filius & eius allegoria: 118
Vulcanus in Ægypto deorum præcipuus. 17
Vulcani pus Crotalum. 28

X.

Xanthus fluvius Troadis. 278
Xanthi fl. vg vis. 278
Xanthus equus Neptuni Peleo datus. 278

FINIS.





